EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBRI V.

Quincto nuper addito.

Eiuſdem quæ præfationes appellantur.



Q
28.

VENETIIS, M. D. LXI.



14072

1125 a 1957

MVM

AD ILL. ALBERICVM CIBO, MALASPINAM, MASSAE ET CARRARIAE PRINCIPEM.

EX IIS artibus, quæ merito liberales appellantur, excellere duas in primis, litterarum ſcientiã, & rei militaris præſtantiam, in omni ætate omnium conſenſu iudicatum eſt: utra uero ex his ipſis illuſtrior, utra magis expetenda ſit, & quæſitum aliquando eſt a magnis uiris, & minime tamen adhuc plane uidetur explicata deliberatio. nam, ut otium, & pax, ſine quibus litteræ non conſiſtunt, armis comparentur: tamen nec ipſa feliciter ſatis arma tractantur, niſi adſint illa, quæ magna ex parte a litteris petuntur, conſilium, ordo, prudentia, animi præterea ita ratione temperata magnitudo, ut, ſicubi periculũ occurrat, metus pariter ac temeritas abſint. itaque conſtat, quæ nationes bellica gloria claruerunt, in iiſdem uiguiſſe ſtudia doctrinæ, ut in Græcia,

quæ Persarum innumerabiles exercitus non modo sustinuit, uerum etiam fregit, atque profligauit; ipsa uero nunquam uinci, nisi a se ipsa, potuit. domesticis enim & diuisa discordiis, & infirmata bellis, non tam Philippi, Macedonum Regis, uirtute, quàm propriis perculsa uiribus, afflictaq. corruit. Romana uero gente quæ fuit ulla unquam gens aut belli gerendi scientia, ac fortitudine præstantior, aut iis præcipue litteris, quæ rudes animos humanitate informant, exculta diligentius? hinc illa manus ducum excellentium, quæ Romani terminos imperii quamlongissime protulit, Catones, Aemiliani, Syllæ, Luculli, Cæsares, quos historiæ mirabiliter laudant, nec tamen ita, ut eorum merita laudes ullæ satis adæquare uideantur. Age, Macedonum tot uictoriæ, tot militaria decora unde fluxerint, si quis interroget; quid respondebimus? hoc primum, ut opinor, ab Alexandro duce: is enim Asiam perdomuit uniuersam, &

ad

ad intimos etiam Oceani receſſus penetraſſe fertur: deinde illud, a phalange, quæ fuit acies in exercitu firmiſſima. quod utrunque ſi ſpectetur, ac perpendatur accurate; non exiguam fortaſſe bellicæ laudis partem litteræ ſibi uindicant. nam Alexandrum a primis annis diſciplina erudiit Ariſtotelis, & ad eam tum animi, tum ingenii præſtantiam, qua poſtea res illas, omnium opinione maiores, & aggreſſus eſt, & confecit, præceptis philoſophiæ pulcherrimis extulit. Phalangem uero, eiusque artem ſtruendæ ab uno primum Homeri poetæ uerſu manaſſe, doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt. Ergo uiciſſim & a litteris adiuuantur arma, & ab armis litteræ ſuſtinentur. quòd ſi, ubi quæſitum armis imperium eſt, ibi artes illæ uigerent, quæ litterarum uſu cognoſcuntur: conſeruarentur facile ſtudia ciuium, ac populorum: & in communi omnium concordia, nullus unquam externis uiribus ad labefactan-

dam publicam rem locus esse posset. quod contra & in Græcia, & apud Romanos, & ubiuis gentium accidisse, atque accidere quotidie, uidemus. Neque solum in una ciuitate, aut in una etiam gente multos, sed uix in singulis familiis singulos, qui utranque laudem adamauerint, & in utraque pariter excelluerint, reperire difficillimum est. unum quidem non modo nostra tempestate, sed multorum sæculorum memoria, historiæ celebrant, quem uere phœnicem inter omnes Europæ uniuersæ Principes licet appellare, Laurentium Medicen, proauum tuum: cuius, nescio, plus ne uirtus in bellis, an in pace sapientia, ac moderatio enituerit. nam rem Florentinam, sæpe aduersa fortuna nutantem, confirmauit, interdum malis prope extinctam unus ipse non modo restituit, uerum etiam uehementer auxit. tranquillis uero rebus, ornauit patriam, ac muniuit legibus optimis, atque institutis: iustitiam præter ceteros,

ros, ac temperantiam publice, priuatimq. coluit: liberalitate, si quis unquam, delectatus est: cuius fama longinquas regiones peruagata, barbaras etiam gentes, & religione diuersas, illi conciliauit, multosque, aliqua modo uirtute, nobili ue arte insignes, in urbem Florentiam perduxit. Et, ut alia uel in patriam, uel in singulos non uulgaria merita omittantur, quis miseram Græciam, suis sedibus Othomanorum iniuria pulsam, supplicem, atque egentem hospitio excepit, benignitate subleuauit, perpetuo studio fouit, ac tutatus est? unus eam laudem sibi uindicat, unus in Italia Græcas litteras, & præclara doctrinarum studia Laurentius Medices excitauit: cum & ipse pro ea, qua excelluit, eruditione acerrimus esset ingeniorum æstimator, & naturæ quodam impulsu ad beneficentiam magnopere propenderet: ut mirandum minime uideatur, si tanto patre genitus, domestico tam illustri exemplo commotus, Leo X, Pon-

tifex maximus, omnes liberales disciplinas præmiis extulit atque ornauit ampliſſimis, effecitq. ut aliquando Romam in urbe Roma liceret agnoſcere. In tua uero paterna gente Cibo, & in materna Malaſpina, mirabilis omnium uirtutum in omni ætate fuit exercitatio. et, ne illa nimis uetera ex annalibus fide dignis repetamus, iam inde ab eo tempore, cum, Græcorum Imperatorum ætate, oppidum Pera, quod proxime Byzantium ſitum eſt, Genuenſes obtinebant; quo tempore ſummis honoribus, & copiis maiores tuos floruiſſe conſtat: aut, cum Mucius ille Cibo, plane alter Mucius in tuenda patriæ ſalute, triremibus priuato ſumptu comparatis, atque inſtructis Piſanos, Genuenſium rebus acriter infenſos, in Sardinia profligauit: ſexcenta præterea in Genuenſium remp. merita, in qua etiã Gulielmus Cibo cruce rubea, publico inſigni, uirtutis ergo decoratus eſt: hæc ut omittam; & illa, quæ auorum noſtrorum memoria geſta ſunt, attingã;

Aranus,

Aranus, Aaron in hiſtoriis nominatus, equeſtri dignitate ornatus, Romani Senatoris titulo inſignis, antiqua illequidem ſuæ gentis nobilitate clarus, multo tamen ſuis laudibus illuſtrior, qui nihil unquam in uita non egregium, non amplum, non ingenuo nobiliq́ue uiro dignum aut cogitauit, aut fecit, is, qua tempeſtate Renatus Andegauenſis Alfonſo Neapolitanorum Regi bellum intulit, in eo bello, quæcunque a ſummo duce munera poſtulantur, ea fortiſſime præſtitit, uſque eò, ut Renatus, Neapoli potitus, eum pro Rege, iure ſummo, ac poteſtate ampliſſima, conſtituerit. quo in imperio ita ſe geſſit abſtinenter, ita iuſtitiam eſt complexus, ut, cum ad Alfonſum rurſus uictoria inclinaſſet, afflictis Renati partibus, exceptus ab illo ſit honorifice in primis, ac ſplẽdide: quemq́. apud Renatum antea, eundem apud eum, quem ſæpe armis læſerat, ſæpe in diſcrimen uitæ adduxerat, & dignitatis, & gratiæ locum obtinuerit. Ex hac

hac tantarum uirtutum præstantia filius eius, ad optimam naturam optima uoluntate adiuncta, documenta sumpsit ad uitam laudabiliter instituendam, & iis artibus excolendam, quibus postea maximam adeptus & uirtutis, & probitatis opinionem, Pontifex, approbante Deo, fauentibus, atque incumbentibus hominibus, creatus est. Nec se postea, ut multi, sui dissimilem præbuit; sed, quantum antea contenderat, ut in studio uirtutis omnes anteiret, tantum, ut se ipse in omni laude uinceret, & studuit, & consecutus est. itaque, quemadmodum ei non modo ad obtinendam Cardinalis dignitatem, uerum etiam ad Pontificatum antiqua maiorum existimatio, & clarissima patris memoria quasi uiã ex aliqua parte muniit, aditumq. patefecit: sic patris deinde tui fratrem, multis illum quidem animi bonis ornatum, multo tamen facilius ad Cardinalatum egregia Pontificatus Innocentii fama perduxit. Hæc est in tua gen-

gente, magne Princeps, non opum, ac diuitiarum, quibus etiam minime digni sæpe affluunt, sed uirtutis, & gloriæ, perpetua multorum sæculorum serie quasi per manus tradita, & ad te ipsum usque conseruata hereditas. Nec uero paternum tibi quidem genus prædicandum, maternum autem dissimulandum uidetur. utroque licet, si uera spectes, æque glorieris. nam Malaspinarum nobilitas simul & antiquitas Etrusci poetæ doctissimi, ac sapientissimi Dantis testimonio cognoscitur: nobilitas in eo, quòd illam Italiæ partem, quæ hodie Luneiana communi uocabulo nuncupatur, Malaspinis olim uniuersam paruisse tradit: antiquitas autem, quòd, cum ipse annis ante nos ducentis quinquaginta florue rit, Corradum tamen Malaspinam, non ut ætati suæ proximum, sed ut multis ante sæculis natum, honorifice appellat. Vides, a quibus uiris originem ducas, Alberice clarissime. neque uero uides tu quidem, sed nō imitaris,

taris, aut imitaris quidem, ſed non aſſequeris. uerſantur enim in animo tuo cogitationes egregiæ. inde emergunt præclara facta, tuis maioribus, teq. ipſo digna. et quanquam tibi maxime propoſitum eſt militare decus, unde primum tuæ gētis nobilitas fluxit: magni tamen facis earum doctrinarum ſtudia, quæ ſi abſint ab hominum uita, ſimul abſit omnis humanitas, neque ſatis diu, quæ merces uirtutis eſt, recte factorum memoria conſeruetur. faues ingeniis, ut audio: nihil deeſſe litteratis hominibus, nullum commodum, nullum ornamentum, pateris: cupis uirorum illuſtrium res geſtas æternis mandari monumentis litterarū. et uidi iam de Laurentii Medices uita libros tres, a Michaele Bruto luculenter conſcriptos: qui cum ſuperioribus diebus Venetias ueniſſet, mira quædam de animi, ingenii, conſilii tui præſtantia, de ſtudio erga nobiles diſcipli nas, præterea de humanitate, ac morum elegantia prædicabat, quæ cum

in

in te ipso bona sint, longe pluris intelligentium iudicio, quàm ea, quæ petuntur extrinsecus, æstimantur. nam argenti, atque auri magnam uim possidere, imperare populis, oppida tenere munitissima, clarum esse a maioribus, omnes pæne Italiæ Principes, summos etiam Reges necessitudine attingere; magna quidem hæc sunt, nec tibi communia cum multis, eiusmodi tamen, ut inter fortunæ munera referantur; quæ scis etiam ad tui dissimilli mos peruenire: uitam autem sic instituere, ut omnia consilia, omnes actiones ratio moderetur; uirtutem in se ipso expetere, in aliis diligere, ac ornare; uelle inter homines eminere beneficentia potius, quàm potestate: hæc quia partim sequeris, partim adeptus iam es, iccirco te uere diuitem, qui æterna bona tibi compares, uere nobilem, qui nobilitatem a te ipso hauriias, existimamus. Atque etiam illa ipsa, quæ dixi a fortuna pendere, quia cum uirtute coniungis, firmiora fiunt:

quan-

quandoquidem neque tuas urbes, tuamque ditionem mœnia potius, & aggeres, & flumina, quàm populorum beneuolentia tuebitur; neque facilius ulla re, quàm recte factis, beneuolentia comparatur. Quæ sit autem eorum, qui prope adsunt, qui te quotidie intuentur, ad te diligendum propensio; nos, qui longinqui sumus, ex nostro in te singulari studio facile iudicamus. nam me quidem, iam aliquot abhinc annis, ea, quæ de te adolescentulo, rerum laudabilium infinita cupiditas, & magnarum indoles uirtutum, ferebatur, in tui amorem atque obseruantiam cœpit allicere: postea, tuis laudibus cum ætate auctis, incensus ita sum, ut statuerim, tibi quidem primum, deinde etiam aliis, aut meum in te celebrando ingenium, aut certe uoluntatem aliquando ostendere. Quare cum hæc iam increbuerit consuetudo, ut, de quibus optime sentimus, iis dicata esse, & eorum nomine insigniri nostra scripta cupiamus: mittendum

putaui

putaui ad te, dum aliquid interim fortaſſe præſtantius adornatur, uolumen epiſtolarum, & præfationum mearum. quas ego nequaquam edere animum induxiſſem, niſi me ſuadentis, atque etiam petentis Venetæ nobilitatis mouiſſet auctoritas. quibus enim pro ſummis erga me meritis omnia debere mihi uideor; iis cur aliquid a me negari æquum putem? cur non obſequar ampliſſimis uiris, non credam ſapientiſſimis, non gratificer amiciſſimis? Tuo uero nomini liber inſcriptus ut exiret, fecerunt illa ſuperiora: quæ ne te offendant, (quandoquidem ſunt a me, non ut gratiam tuam ficta laudatione colligerem, ſed ut omnibus mei erga te ſtudii cauſſam ueriſſimam exponerem, commemorata) cupio impetrare a modeſtia tua, & debeo ſcilicet, cum etiam in iis non tam ad laudandum, quàm ad cohortandum non nulla pertineant: & currentibus ad me tam, atque etiam appropinquantibus, minime moleſtas eſſe cohortantium uoces,

uoces, minime plauſum diſplicere con
ſtat. Venetiis, M. D. LVIII.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER PRIMVS.

RAINVTIO FARNESIO, CARDINALI CREATO, Romam.

QVIA *uirtus est ipsa per se amabilis; & quia nobilitati honor & obseruantia debetur; amaui te iam inde a tua pueritia, studio uirtutis incensum; & colui, clarissimo genere ortum, Pauli* III. *Pontificis nepotem. iam tum equidem uidi, prædixique multis, qui futurus esses: & nunc, opinionem, auguriumq. de te meum exitu comprobante, utrique nostrum gratulor, tibi, cui tribuuntur ea, quæ semper illustria fuerunt, nunc eo magis, quòd a Paulo* III. *Pontifice tribuuntur; mihi, qui de tua futura dignitate, fretus indole, moribus, ingenio tuo, adolescens uere coniecerim. Cardinalis es. optabile, & honorificum: sed est in isto honore pondus, & labor. cadunt in eam, quam nunc sustines, personá uirtutes omnes, atque ita cadunt, ut, si absint, is, qui honor est, honor esse desinat, uel sit etiam summa deformitas. Curæ autem, & cogitationes illæ sunt præclaræ, illæ, Rainuti, te dignæ, æternaque cum gloria coniunctæ: pietatem præcipue colere;*

excubare animo pro salute, ac dignitate Ecclesiæ; beneficentiam sine spe præmiorum exercere; nihil omnino facere, nihil cogitare, in quo statim decus non eluceat: nam, ubi paullo uidetur obscurius, ibi satis constat turpitudinem inesse. quæ profecto tibi in mentem uenire, atque ob oculos assidue uersari, cum in aui tui summam gloriam intueris, necesse est. et omnino datum hoc uestro generi diuinitus uidetur, uobis nascentibus heroum numerus ut augeatur, & quasi maius lumen de sublimi quadam specula errantibus honestis disciplinis uiam, et hospitium ostendat. ergo alter alteri exemplo estis ad bene agendum: uobiscum simul & oriuntur uirtutes, et cum ætate crescunt; donec uitæ munere perfunctos educant ex hac rerum humanarum teterrima caligine, & in illa sempiterna luce collocatos cum illo bonis omnibus circumfluente cælestium animorum cœtu coniungant. Aut igitur mihi nullus tui cohortandi relictus est locus, aut hic tantum, ut uelis esse tui quamsimillimus; quodq. tuo generi, tuo nomini, tibimet ipsi, tuisq. debes institutis, id cumulate persoluendum existimes. Vnum exoptandum, ut qui tibi istam mentem cum auctoritate dedit, (dedit autem omnium auctor laudandarum rerum, & creator Deus) idem uelit utriusque rei fructum esse maxime diuturnum, & æquare tuæ uitæ spatium cum ijs bonis, quæ in te summa contulit. profecto, tales gubernatores, tam peritos, tam uigilantes, Christiana religio si nunquam non haberet,

beret; nunquam illæ exorirentur dissidentium opinionum horribiles procellæ; quæ iactare multis ab hinc annis Petri nauem cœperunt, neque dum consistere patiuntur. quo quidem mihi libet ominari de te idem plane, quod cupio; futurum, ut optimis artibus, quàm diu uixeris, præsidio sis, & ornamento; uiuas autem, quàm diu uel temperantia duce, uel naturæ lege licet. Vale. Venetijs.

ALFONSO CARAFAE, CARDINALI CREATO, Romam.

Solent esse, quæ minus exspectantur, lætiora. nihil tamen ista, quate auctum nuper accepimus, dignitate neque magis exspectatum apud eos, qui tua studia, tuos ad uirtutem præclaros impetus nouerant, neque iucundius, aut lætitiæ maioris unquam fuit. nemo enim dubitat, quin eum, qui te nunc ornat, honorem ornaturus aliquando sis, eximia tua gloria bono publico coniuncta. quò te hortari res ipsa non patitur. nam si attendes diligenter, & considerare cum animo tuo, adhibita in consilium ratione, uolueris, primum illud, quis te Cardinalem creauit; deinde, quæ Cardinalis partes, quàm graues, & laboriosæ, quàm eædem honorificæ, ac splendidæ sint; postremo, quibus temporibus hæc tibi sit imposita persona, quàm alienis a uirtute, quàm turpi omnibus in locis omnium pæ

ne scelerum labe fœdatis: profecto ipse te, nullo cuiusquam hortatu, a te ipso de tua laude monitus, excitabis ad excellentem omnium artium honestarum cupiditatem: quæq. his artibus aduersantur, abijcies, atque contemnes, neque solum eo uiro, quem in posterum præstare debes, qualemq. te fore omnes auguramur, uerum indigna prorsus homine iudicabis. Vixisti semper antea laudabiliter: fuit in puero pudor: est in adolescente probitas, est perfecta pœne ratio, et expetendarum uitandarúq. rerum scientia. desiderari uidebatur, in qua te ostenderes, occasio. delata diuinitus est omnium maxima, singulari consilio summi Pótificis Pauli IIII. qui cum sit patruus parentis tui; cum te ab ineunte ætate non mediocriter dilexerit; cum omnes suos incredibili quadam complecti caritate consueuerit: tamen in te honestando alia quædam secutus est: dedit honorem non propinquitati, aut familiæ, sed tibi ipsi, qui familiæ nomen studes illustrare, et, quo modo principia se dant, studium comprobabit euentus. En habes Alfonse campum, in quo tua uirtus, parta uigilijs, bene agendi consuetudine confirmata, excurrat. hæc est illa, ad quam te exercebas, quò tuæ spectabant curæ, tuo ingenio, tuis optimis cogitationibus, ac studijs dignissima prouincia. ostẽde, quæ tuæ sit non modo uoluntatis, uerum etiam industriæ præstantia; & prome ex animo tuo illa præclara, quæ, ut antiquum gentis tuæ decus, ac domesticam præsentem uirtutem referres, a pueritia

tia collegisti. non est, mihi crede, labor ei, qui bene sentiat, bene facere. quod enim positum est in nobis ipsis, non aliunde pendet, non extrinsecus assumitur; in eo, quid obstat, quo minus uoluntatem res ipsa consequatur? Iam, ipsa uirtus inuitat, ipsa allicit, atque afficit sui studiosos omni uoluptate, omnibusq. præmijs. nec dubito, quin excellens animi tui uis omnes difficultates, omnia superet humana. Quare gratulor equidem tibi tua caussa, de isto, quò te extulit Pauli Pontificis diuina sapiẽtia, honoris altissimo gradu: sed me mouet aliquanto magis publica res: quam tu, traditam tibi simul cum ista dignitate, atque commendatam, sæpe, ac nunc quidem maxime, talium uirorum ope indigentem, tueberis in omni uita; præsidiumq. erit in te situm aduersus iniustitiam impietatemq. firmissimum. Quæ si tibi magna uidentur, atque gloriosa; debes animum sic instituere, ac moderari, nihil ut ad te ipsum referas, nihil ipse tibi arroges, aut a te ipso exspectes. manasse a Deo cuncta puta; qui perennis æternusq. bonorum omnium est fons. nos enim, ut nos, nihil sumus; aliquid autem, atque adeo plurimum, ut a Deo, & per Deum, esse possumus. Vale.

STEPHANO SAVLIO, Decentianum.

MAGNVM *est hoc, Sauli clarissime, humanitatis, & amoris in me tui argumentum, quòd, cum in istis locis nunc sis, ubi multam diei partem cum singulari uiro, Cardinali Polo, grauissimis, sanctissimisq. sermonibus traducas; non modo tamen de me cogites, quo ego uno contentus esse poteram, uerum etiam id ipsum mihi declarandum litteris existimes. at quibus litteris? scriptis mehercule, quod ad uerba attinet, elegantissime; quod ad sententias, prudentissime: ut ijs legendis non magis amarem amorem tuum, qui te ad scribendum impulerat, quàm eloquentiam susp icerem; qua effeceras, ut illa ipsa, quæ scriberes, cum ornatiora essent, amabiliora quoque uiderentur. Quare cum tibi ago gratias, ut debeo, immortales, quòd ita animatus in me sis: tum uero etiam atque etiam te rogo, in quo me ambitio quædam mouet, ut id, quod facis, perpetuo facias. quanti enim putas ad meam laudem interesse, cum hoc percrebescit, me a Stephano Saulio diligi: cuius est familia perillustris: qui suæ ipse familiæ clarum lumen est: quem præclari illi uiri, eius consuetudine, & conuictu magnopere delectati, coluerunt, Flaminius, Bonamicus, Iulius Camillus, Longolius. Hæc ego, Sauli, cum aliquot abhinc annis cogitarem; semper quidem, ut a te dilige-*

diligerer, optaui; ut uero etiam laudarer, optare fortasse potui, sperare, cum ipse me nossem, certe non debui. at tu in hac parte mecum sane perliberaliter egisti. scripsisti, in hac Romanæ linguæ facultate, non, mihi neminem præstare, sed id, quod ego cum legerem erubui, neminem esse, cui non ipse antecellam. equidem, ut, quod res est, aperiam, fateor a prima pueritia ita me in litteris esse uersatum, ut unam maxime spectarem eloquentiam, unam colerem, unam admirarer. atque hoc me studio satis mea sponte flagrantem, acrius inflammabant ij, qui tum homines uiuebant, Bembus, Sadoletus, Bonamicus; quorum nomina per orbem terrarum celebrari sermonibus, & scriptis, intelligebam. Polus hic noster, qui nunc in omni laude, omniq. uirtute tantus est, suis me scriptis capiebat, atque afficiebat maxime. ego tum, ut erat ætas mea, præter uerborum, & non nullarum sententiarum ornamenta nihil agnoscebam. pure, & eleganter scribere, putabam esse id, quod unum si assequerer, excellerem. sed Rhambertus meus, qui ex Gasparis Contareni, præstantissimi uiri, consuetudine prudentiam hausserat, præclara quædam notabat in Polo; meq. paullo ætate inferiorem, ex uulgata uenalium magistrorum disciplina rudem, atque impolitum, eruditebat, & conformabat exemplo. tum quidem, quantum proficerem, non me pœnitebat: & ex ijs, quæ ieceram, fundamentis aliquid eiusmodi, qua-

le ego uellem, excitari aliquando posse uidebatur. Sed in rebus humanis, quis est, cui nihil unquam secus accidat? cum in eloquentiæ studio multus essem, nec satis ualetudini parcerem, incidi in morbum: qui cum esset per se grauis, tum eo factus est periculosior, quòd, usu mihi librorum à medicis interdicto, magna sane est animi mei affectio, atque ægritudo consecuta. post biennium denique ualetudine recuperata, cum præteriti temporis iacturam sarcire diligentia uellem, ad pristina studia redeuntem exceperunt domesticæ controuersiæ; quas neque sedare minimo negocio, neque negligere sine graui mearum fortunarum exitio licebat. his quoque me difficultatibus aliquando is, cui omnia debeo, eripuit Deus. Lucem iam, quasi diu per tenebras errassem, uidebar adspicere: et quanquam, multorum annorum amisso fructu, erat sane cur ingemiscerem, uitamq. mihi haud satis iucundam putarem; tamen, ocij spe recreatus, facile impetrabam a me ipso, ut ex animo meo superiorum molestiarum, atque incommodorum memoriam obliuione delerem. Vigebat item, ut antea, pristina illa cura: nec erat quidquam in meis consilijs antiquius, quàm ut abditas atque implicatas in mente cogitationes non modo aperire, atque explicare uerbis, uerum etiam exornare, quasiq. pigmentis & coloribus illustrare possem. res erat nec exigui temporis, & maximi laboris. tempus non, quantum rei magnitudo ferret, suppetebat;

bat; cum ex uetere patris instituto in hoc imprimen dorum librorum munere, & restituendæ antiquitatis cura distinerer. laborem autem, uel si abundarem tempore, perspecta ualetudinis meæ ratio recusabat. utrunque tamen cum uoluntas uinceret; quotidieq. aliquot horas, occupationibus ereptas, stylo darem: ecce me nescio quis, homo certe satis a fortuna felix, præmijs commotum, & blanditijs captum, atque irretitum, Romam abduxit. ubi cum aliquot menses non in ijs, quæ semper amaueram, litterarum studijs, sed inani officiorum genere consumpsissem; & is, quem secutus eram, mõtes aureos pollicitus uix minima præstaret: collegi ipse me; neque solum studiorum meorum, quæ intermiseram potius, quàm dimiseram, uerum etiam rei familiaris, cui nisi cõsulerem, ipsa quoque iacere studia necesse erat; habendam mihi esse rationem duxi. quo consilio in patriam reuersus, retuli me omnino ad ueteres meas tum legendi, tum scribendi exercitationes: sed tum in domestica re constituenda, tum in emendandis antiquorum libris districtus, postea uero etiam erudienda duodecim nobilium adolescentium Academia per triennium occupatus, quantulam habuerim excolendæ facultatem eloquentiæ, quantumq. in tantis temporum angustijs per eam, quam ingressus eram, latine scribendi uiam procedere potuerim, facile, ut opinor, est existimare. Nosti tu, Sauli, cuius acies ingenij etiam ea, quæ occultissima sunt, asse-

assequitur, primum, cuius prudentiæ sit, quale illud est, quod in imitatione sit optimum, dijudicare; deinde cuius industriæ, quod optimum iudicauimus, id re ipsa consequi. quod utrunque cum sit difficillimum; id quod, ut uides, ætate nostra optimorum scriptorum penuria declarat; cum tamen, qui hoc in genere elaborent, plurimi sint: satis equidem mirari non possum, cur tu me in epistola tua summum feceris in eloquentia, dederisq. id, quod ego si accipiam, mei sane dissimillimus, hoc est impudens plane sim. nam, ut cetera, quæ dixi esse ad studium huiusce laudis necessaria, mihi non defuerint; quæ utinam mediocria fuissent: tem poris quidem, ut paullo ante exposui, multo minus habui, quàm rei magnitudo postulabat. fatum in hoc singulare meum est, ut otio nunquam abundem. abundem autem? utinam non semper indigerem maxime. nunc ad occupationem etiam accessit solicitudo: quam mihi ex immaturo Cardinalis Maffei, diuini hominis, interitu exortam utinam aliquando dies extinguat: ratio quidem hoc non dum potuit. ille mea studia fouebat unus: ille mihi otij spem dederat: & feciſſet: quis enim ad benignitatem propensior? ille me, ubi opus esset, auctoritate ornabat, consilio monebat, re sustentabat. quid plura? in illo mihi erant omnia, & cum illo mihi omnia perierunt. quare non tam mihi cogitandum est, ut opus uniuersum de Romanis antiquitatibus, quod tu dilaudas, illo auctore in-

stitu-

ſtitutum, poſſim abſoluere, quàm ut partem aliquam, iam confectam, liceat perpolire. quod ipſum, ſi mihi nunc per meas occupationes liceret, hic tamen, qui me uexat, dolor certe non concederet. ac mehercule hæc ipſa, quæ tu nunc legis, irrigaui lacrymis, cum ſcriberem: nec putaui fore, cum tot curis diſtinerer, ut poſſem ſcribere: ſed magna uis amoris eſt, magna obſeruantiæ erga te meæ. ea fecit, ut hoc officium rebus omnibus anteferrem. Aduentus tui iam aliquam nobis exſpectationem amicorum ſermo commouerat. eam tu quòd litteris confirmes, ualde lætor. cupio enim tuam tum humanitatem, tum prudentiam, quarum altera tibi ab hominibus amorem, altera etiam honorem conciliat, in conſuetudine & ſermonibus reguſtare. me autem, quòd huius conſilij præcipuam tibi ais eſſe cauſſam, facile patior. mihi hoc a te, uiro grauiſſimo, perſuaderi; amoq. mirabiliter animum, atque amorem iſtum tuum: cui reſpondere officijs, etſi difficile eſt; perpetuo tamen ſtudio, & ſingulari quodam obſeruantiæ genere, ut ſpero, tibi ſatisfaciam. Vale.

EIDEM,
Decentiano Genuam redeunti.

ETSI *multarum rerum curis atque oneribus ita premor, optime Sauli; ut reſpirare uix poſſim: tamen, ut litteris tuis, amantiſſime ſcriptis, aliquid*

aliquid respõderem, abieci omnia, et officium, quod tibi a me debetur, habui antiquissimum. Video te miro quodã ueteris eloquentiæ amore, ac studio teneri. Significant hoc studia tua: declarãt scripta: sermones ubique non obscure testantur. næ tu rem pulcherrimam diligis: cuius me quoque forma cepit adolescentem: et de uoluntate illa, uel cupiditate potius, tantum abest, ut dies aliquid detraxerit, ut cũ ætate simul amor creuerit. quare cum tibi ego tam multis in rebus cõcedam; patere, obsecro te, in hac me una riualem esse tuum, nec tibi uel tantillum omnino uelle concedere. Sentimus enim idem, quod tu, nihil esse speciosius eloquẽtia, nihil præstantius: quam, ut ipse nosti, amarunt ætate nostra, atque appetiere quamplurimi; potiri autem, ut mihi quidem uidetur, adhuc nemo potuit. quis enim latinæ orationis laudem non magnopere diligẽdam dixit? quis porro rationem, et quasi uiam, qua peruenire ad eam liceat, nobis indicauit? nam, qui se ita exercẽt, ut ex ueterum scriptis et membra, et integrum quandoque comprehensionis corpus sua inscripta transferant; non equidẽ eos reprehendo; si quidem perfecti similitudinem quandam sequuntur; sed, quia perfectum ipsum non attingunt, in magna laude non posuerim. Obsecro te, Sauli, qui iudicio excellis, quid tibi de Christophoro Longolio uidetur? equidem, si quando, quid de scriptis illius existimem, interrogor, ita soleo respondere, exilem esse in sententijs, non luculentum in uerbis; ut tamen

de

de eo, si uitæ contigisset usura diuturnior, bene cen seam sperandum fuisse. sed, ut nunc est, mea quidem sententia, nullus est. quid enim affert exquisitum, quid singulare, non uulgatum, non ex quotidiana consuetudine, usuq. sumptum? At scribit interdum et de rebus familiaribus, & ad familiares. Quid tum? quasi non uel in obscuro argumẽto possit ingenij lumen elucere. Nam quòd in eo uerborum circuitus sæpe a Cicerone totus est: si consulto fecit, quòd inde laudem speraret, iudicium requiro. etenim, aliena quæ sunt, ad nos translata stulte iactamus: ut neminem laudare solemus, quia pulcher, quod accipitur a natura; at quia temperatus, quia iustus; quæ posita sunt in nobis ipsis. sin, quod potius existimo, inops a latina lingua explicare animi sensa aliter non potuit: necessitatem excuso: nec tamen, quod faciebat, diutius eum puto facturum fuisse. qui enim in illo ocio Patauino nihil ageret aliud, quàm ut se tum eloquentiæ copijs, quæ philosophiam ornant, tum carum artium instrumento, sine quibus muta silet eloquentia, locupletaret; utriusque studio facultatis consecutus esset, ut, suis quasi opibus abundans, de alieno quotidie parcius assumeret. cuius autem generis ea, quæ moriens reliquit, scripta sunt; abesse eum iudico ab ea specie, quæ est in scribendo optima, longissime. qua de re cum aliquot abhinc annis in conuentu amicorum sermo esset ortus, memini dissentire a me amicum hominem, & eruditum: qui

Cice-

Ciceronis in libris diu, multumq. uolutatus, tamen Longolium suspicit. aurea uidelicet cum assidue tractet, ærea non internoscit. itaque, paucis post illum sermonem diebus interiectis, cum epistolam ad me misisset, in qua ita scripsit, nihil sibi tam accidisse mirandum, quàm quod a me audisset, cum dicerem, mihi Longoliana scripta non admodum probari: nihil rescripsi, quòd homini quinquagenario insitam opinionem non speraui me posse euellere. & sunt omnino quædam res, quas ubi sensu & iudicio ipsi non percipimus, atque assequimur, nulla satis oratio probabit; ut cum Anaxagora, niuem atram iudicante, frustra de albedine disputares. Improbas igitur, inquies, si ab antiquitate scribentes mutuemur? Ego uero, si apte fiat, etiam summe probo. sed hoc ipsum, apte, quàm difficile sit, ex eo licet cogitare, quòd latinam linguam continet uniuersam: uniuersa enim sub imitationem cadit. imitandi autem ratio, quia et multiplex est, et admodum recondita: primum, de ea præcipere sigillatim, infinitæ doctrinæ est; deinde, quæ præcipiantur, cognoscere, & perfecte exsequi, non mediocris ingenij. cumq. id, quod enitet in oratione, aut in re uideatur esse, aut in uerbis: ego olim rem significatam simul cum uerbis significantibus sumebam; eaque meis scriptis cum inseruissem, tum optimum illud, quod quæritur imitando, plane arbitrabar me esse consecutum. postea cœpit mihi meum consilium displicere:

ui, quoniam id esset memoriæ magis, quàm ingenij; quod ego efficerem, præstare multos posse: quod autem multi possent, egregium non esse. Tum uiui rationem haud paullo difficiliorem, quam cum pauciſſimis mihi esse communem intelligebam. exquisitas sententias, de Cicerone excerptas, aut de Terentio, tacitus in animo uersabam. eas ornabam uerbis quàm poteram lectiſſimis; ut, quasi uestitu orationis mutato, cum eædem essent, aliæ tamen uiderentur. Erat non dissimilis in uerborum figuris commentatio. si quas notaueram illustriores, ad alias sententias ita traducebam, ut interdum eandem locutionem in res prope innumerabiles accommodans, quasi ex una cera plures imagines, nec tamen eiusdem generis effingerem. in hac exercitatione quantum esset, utinam aut mature cognouissem, aut sero cognitum, auideq. arreptum uis occupationum non extorsisset. equidem, si quis me neget in scribendo quidquam esse, non pugnabo: sed, si quid sum, ab hac una esse contendam. Tibi gratulor Sauli, qui & uis, quod sentis esse præclarum; & quod uis, nihil impedit quo minus præstare possis. otij enim tantum habes, quantum styli exercitatio postulat. abundas, ut animi, sic fortunæ bonis: in quibus ipsis (Zenonis pace dixerim) non minima ad uirtutem uis est. ingenio uero ita flores, ut tuam maxime consuetudinem propterea expetierint ij, qui ipsi ingenij gloria præter ceteros excellere putabantur. atque

utinam

utinam ea, quæ litteris mandasti de homine Christiano, aliquando emittas; ut opinionem ac sermones de te meos res ipsa confirmet. quod breui futurum facile spero. recipis enim te nunc in uillulas tuas, hoc est in summum otium: ubi cum nullam tibi horam a studijs uacuam abire patiaris; (sic enim & a multis antea cognoueram, & postea Coccius noster confirmauit) expolitionem intra paucos menses exspectamus operum tuorum. qua de re ut interdum me Bruti nostri litteris certiorem fieri uelis, etiam atque etiam te rogo. Pontificis Legatus, Ludouicus Beccatellius, homo antiquæ probitatis, humanitate, ac doctrina præstans, post obitum Cardinalis Maffei ita me complexus est, ut omnem in meis commodis atque ornamentis curam & cogitationem fixisse uideatur. cui non tam a me gratiæ sunt habendæ, quòd agit ipse quantum potest, ac plus etiam, quàm potest; quàm, quòd alios etiam, magnos et principes uiros, ad me augendum, atque honestandum suo exemplo, atque auctoritate uehementer excitat. qui cum multi sint, tua tamen inter omnes elucet liberalitas; qui, re uix audita, amore in me tuo, studio erga litteras incitatus, tantum tua spõte ad hanc prouinciam conferre uelle pollicitus es, quantum ex animo meo nulla unquam delebit obliuio. Vale, tuamq. ualetudinem cum tua, tum nostra etiam, qui a te pendemus, caussa diligenter cura.

Eidem.

EIDEM, Genuam.

MAGNVM mihi solatiũ attulit epistola tua: iucunditatem, dicere non possum; quam tempora eripiunt, sic, ut me tristitiæ pæne totum tradiderim. Ac primum, obijsse audio fratrem meum Bononiæ, cum ualeret optime, repentino morbo oppressum. fratrem cum dico, me alterum iure naturæ dico. uerum addo illud. obierit, si uera narrantur, frater is, qui bonitate præstabat, ualebat ingenio, excellebat industria, factus ad omnia maxime omnium uidebatur. itaque obruor dolore: nec, puto, emergam, nisi aut, illi melius esse, cognouero, aut, si naturæ satisfecit, opem tulerit ipsa dies; quæ ualet ad omnia plurimum, animi uero morbis plus etiam interdum, quàm ratio, medetur. Ad hanc ægritudinem accedunt domestica, meaq. propria. uxor, cuius præcipue studio res familiaris, ac domus tota nititur, quæ me multis molestijs, multarumque rerum & curarum onere leuabat, quæ meam ualetudinem præsenti semper officio tuebatur, ipsa nunc iacet, periculi non expers, affectis diuturno morbo uiribus. ego uexor acerbissime anniuersarijs oculorum doloribus: quos sanare, cum iam pæne tentata sint omnia, humanæ artis esse non puto. remedia sunt ab uno illo, qui malis cunctis medetur, cælesti medico expetenda. is mihi optimam, ut spero, ualetudinem aliquando restituet: si hoc minus, mu-

niet me saltem ea uirtute, qua res aduersæ facile perferuntur. ita salus ex morbo nascetur, non hæc, qua corpus uiget, quam ego adhuc omni remediorum genere frustra quæsiui, quæ cum ipso corpore paucorum annorum spatio terminabitur, sed illa multo præstantior, qua nostræ mentes, cum sese ab hac terrestri labe seiunxerint, & cum purissimo illo cælestium animorum cœtu consociauerint, perpetuo fruentur. interim, tot in me concurrentibus malis, ægre impetum sustineo, planeque, quoniam homo sum, debilitor aduersis. Hic tu me uocas ad scribendum; et hortaris, ut ea tradam litteris, quæ assiduo latinæ linguæ usu, et diuturna tibi uideor exercitatione consecutus. uis me scilicet, optime Sauli, eam uiam, quæ ad eloquentiam ducit, aperire. spissum opus, ac difficile, multi otij, tranquillæ mentis, non nostræ fortunæ, cuius tibi imaginem ostendi, neque nostrorum neruorum, quos tu putas esse satis firmos; ego, quàm sint imbecilli, experior sæpe, ac sentio. At erunt præclari conatus, etiam si non succedat. Si ita est, hac laude nemo excluditur. potest aggredi, qui uult. uelle autem quis non debet? siquidem egregia cupientem aliqua uel ex hoc ipso gloria consequetur. te, si quenquam, Sauli doctissime, te, inquam, ipsum decet maxime omnium id suscipere, quod mihi imponis. quæ enim sunt ad hoc munus necessaria, quorum alijs alia desunt, ea in te uno abundant omnia, ingenium, usus diuturnus, doctrina, iudicium. quid? opes, & fortuna

tuna nunquid huc pertinent? illæ uero, mea sententia, uel maxime. cursum enim ingeniorum retardat, uires debilitat, ac frangit inopia. an tu putas Aristotelem, & Platonem, illa Græciæ lumina, an Ciceronem nostrum, an Plinium tam multa potuisse litteris mandare, nisi summum illis otium rerum omnium affluentia peperisset? domi alebant seruos eruditos: contubernales habebant, eximijs præmijs accersitos ex ultimis terris, rhetores, historicos, præstantis ingenij, singularis doctrinæ philosophos. cum his se quotidie exercebant, commentabantur, disputabant: horum omnium opera, quatenus liberet, utebantur. at ego sumptum unius pueri, minima mercede conducti, quo in scribendo utor, ægre sustineo. Et in his angustijs, in hac mea tam tenui ualetudine, tam aduersa fortuna, quia rudes homines, ueteris eloquentiæ cupidos, meis scriptis non erudio, nec in rectam latine scribendi uiam induco, appellas me, quasi malum debitorem, atque etiam accusas, uerbis tu quidem humanissimis, & alieno, ut uideris, nomine, re tamen ipsa grauiter, &, ut ego interpretor, tuo iudicio: quod uereor in primis, facioque, sicuti debeo, plurimi. ue runtamen uidere te puto, quam facultatem res desideret. quid autem præstari a me possit, nemo omnium, qui uiuunt, me ipso melius intelligit. quare noli mihi languorem, aut desidiam obijcere: quæ abesse procul a me, qui anteactæ meæ uitæ cursum inspiciet, atque examinabit, facile cognoscet. satis

habeas, si nemo istam culpam in te conferat. qui cum ingenio præstes; ætatem omnem in latina lingua contriueris: ex quo factum est, ut eam perfectè calleas: id quod tuorum scriptorum subtilitas, & elegantia declarat: cum ualetudinem non desideres; otio pæne diffluas: addo etiam illud: cum optime tibi cum fortuna conueniat: quæ tibi de suis bonis tantum elargita est, ut erogare quantamuis pecuniam in homines doctos, eorumq. studia nullo tuo incommodo possis: hæc cum ita sint omnia, caque, ut ego arbitror, summa, non minima quidem certe; abstines tamen ab hoc munere, & hortaris alios, nulla tibi re, præterquam uoluntate, & studio, conferendos. quis non miretur sitire fontes? sitiunt enim certe, cum tu petis a me tanquam ex arido solo, quod in te ipso uberrimum esse constat; & cum ad nostram potius inopiam confugere, quàm tuis copijs uti uis. Hoc loco mihi uenit in mentem, tuam quoque causam, non modo meam, meditanti, quod tu fortasse respondeas. Distingues illa superiora: negabis in te uno esse omnia, quæ dixi esse de latina lingua scribentibus necessaria. de fortuna concedes: patet enim: etiam, opinor, de ualetudine, de otio: ingenij laudem, & doctrinæ, quæ tua modestia est, abs te reijcies, fortasse etiam, quæ tui est in me animi propensio, quæ humanitas, ad me transferes. Nolim equidem tecum, Sauli, ne in tua quidem laude, contendere: uerum, quod tu mihi de te ipso non credes, credent alij, uerumq. fatebuntur, adducti

ducti in hanc sententiam, ac plane confirmati, non tam auctoritate mea, quam tamen in his præsertim elegantioribus litteris, in quibus iam tot annos uersor, non esse nullam intelligo, quàm tuo ipsius testimonio, quod habet ponderis apud bonos ac sapientes uiros in omni re plurimum. te, inquam, ipso teste locuplete, cui fides habenda uideatur, probabo tuam uirtutem. Oblitus ne es, aut oblitum me putas illius temporis, cum tu librum tuum de homine Christiano mihi ostendisti? bone Deus, quàm in illo multa præclara, cuius industriæ, cuius prudentiæ, quàm a te grauiter, quàm copiose, quàm splendide tractata. neque uero ego unus illum librum, uidere alij, uidit, qui uir, & quantus, Reginaldus Polus Cardinalis, qui potest esse instar omnium, quem tu profecto iudicem in re tua nunquam recusabis. hunc ego audiui, audiuere alij, de tuo interdum libro loquentem. ornabat laudibus. (& est homo, ut scis, natura simplex, rectus, cuius ab intimo sensu nunquam ne minimum quidem aut uultus, aut oratio discrepet) quid plura? conferendum cum antiquitate iudicabat. Quamobrem redeo illuc, & concludo paucis. Magni facis eloquentiam: cupis eam cognosci, cupis amari, et coli. egregia cupiditas, et nobili sane uiro digna: uerum, ut tibi satisfacias, et inuenias exitum studij tui; elige de duobus utrum uis. aut ipse, qui potes, ostende nobis latinæ linguæ pulchritudinem, ac præstantiam; doce nos, doce posteros, quæ sit eius adipiscendæ, &

perfruendæ ratio ineunda: aut, si quos existimas hoc præstare posse, excita eos liberalitate, foue tuis copijs: noli pati, animum eorum hac & illa curadi strahi: sit intentus, & fixus hoc uno in studio; neque abducat eum ab opere pulcherrimo, ac nobilissimo humillimæ interdum rei turpis, et sordida procuratio. ita consequeris facile, quod uis; optimisq. studijs et posteritati magna tua cum laude consules. Illa, quæ scribis de leguleijs quibusdam in meum librum de Romanis legibus, detrahendi studio, incurrentibus, legi nullo cum stomacho: nec sum miratus, a barbaris hominibus, sordido quodam litterarũ genere assuetis, elegantioris doctrinæ scientiam, & quasi lautitiam quandam studiorum contemni. Non placet istis meus liber: magnis uideli cet uiris, quorum fama ædium illarum, in quibus ipsi habitant, limina non dum est egressa. at placet Vincentio Portulacæ, cuius est in urbe Brixia insignis auctoritas, illustre per Italiam nomen; placet Antonio Augustino, Marco Antonio Nattæ, Lælio Taurello, Vido Pancirolo, iuris utriusque scientia claris; quorum nomina, scriptis egregijs testata uirtus, atque expressa, cum æternitate cõiunget. hos ego meorum laborum, & uigiliarum laudatores cum audio, uiros graues, & certos, omniumq. nobilissimos; uoculas raucæ plebeculæ contemno; quidq. leues, & obscuri homines de me sentiant, aut loquantur, non esse mihi ualde laborandum existimo. te quoque sperabam in meis præsidijs esse,

&,

&, si qui urgerent grauius, obsistere, impetumq. inuidiæ, & maleuolentiæ tua auctoritate, ac testimonio frangi. quod si facis; fructum fero meæ singularis in te obseruantiæ, & habeo tibi, quam debeo, gratiam: sin minus; hoc tamen nomine tibi debeo, quòd meos obtrectatores flocci facis, usque eò, ut indignos, quibus respondeatur, existimes. Vale. Venetijs.

VIDO FABRO, Patauium.

Nescio, utrum fortunæ succenseam, cuius culpa factum sit, ut ego tuas litteras duobus fere mensibus post eum diem, quo tu scripseras, acceperim; an eidem gratias habeam, quòd mihi, arcu lam quandam scriptorum meorum euoluenti, planeq. aliud agenti, deimprouiso illas obtulerit. gratias habebo potius; quòd eodem tempore simul cũ iniuria beneficium accepi; & iniuriæ beneficium præferri, æquum est. sed quoniam uereor, ne tarditatem in scribendo meam durius acceperis; hunc tu mihi scrupulum, Vide, si ex animo euelleres, faceres humane, nec tamen inique: cum hoc ipsum, quod commissum a me est, primum ex aliena culpa pendeat, deinde nunc quidem etiam corrigatur. Venio ad tuas litteras: quibus mihi gratius nihil potuit accidere: dicerem iucundius, nisi clausula illa de Bunello meo plane omnem iucunditatem eri-

peret. nam sic fac existimes, ex illius uiri interitu tantum me cepisse dolorem, quantum dies exhauri re nulla poterit. Vixerat mecum Venetijs per quadriennium: cum ego in illo probitatem morum, uirtutemq. diligerem; ille in me propensionem, credo, quandam ad litteras non improbaret. intercesse etiam inter nos officia quædam, sed à me leuia, nec satis digna, quæ memoria tenerentur: quæ tamen ille, ut erat gratus, non meminisse solum, sed prædicare etiam solebat. ego ab illo maximum habebam beneficium, quòd me, cum Philelphis, & Campanis nescio quibus (ut alijs parcam) misere errantem, in hanc recte scribendi uiam primus induxerat. Videbatur quibusdam natura seuerior; sed erat lenissimus erga sui similes, hoc est erga bonos uiros; ubi uitium nosset, censor acerrimus. Distinguere homines non fortuna, sed moribus solebat. Loqui ad uoluntatem neque ipse poterat, neque ferre qui ad istam artem eruditus esset: totus erat apertus, & simplex. Satis scio fuisse, qui illum deprauatæ religionis nomine in crimen uocauerint. quorum uitam si cum Bunelli uita comparares, Socratem diceres iniquorum conspiratione circumuentum. coluit omnes uirtutes & philosopho dignas, et homine Christiano, sed continentiam præter ceteras. hac uero ille triumphauit maxime, et triumphauit adolescens, cum ceteros uoluptas capit. quo mirandum est minus, si tantus postea uir ex tanto adolescente factus est. nam extremam ui

tæ

ta partem, quam, ut in fabula actum, decet esse perfectissimam, heroicam audio fuisse, et plane diui nam. Quare incumbamus, o Vide, et hanc operam Bumello nostro nauemus, ut illius nomen, immorta litate dignissimum, extingui mortali cum corpore non sinamus. quod equidem enitar; & honinis mi hi amicissimi, summi uiri, memoriam (si modo is ego sum, qui tantum præstare possim) profecto ab interitu uindicabo. uideo te in tuis litteris idem uel le: nec dubito, quin possis. nam & Bumellum a-mas mortuum: & uales plurimum ingenio; quod etiam pietas excitabit. cuius officij societas eo gra-tior utrique nostrum esse debet; quòd cum apud a-lios laudabilis maxime erit, illustri exemplo gratiæ referendæ; tũ ad animos nostros amore coniungen dos, æternaq. necessitudine conglutinandos, plus ualere nihil potest. Reliqua erant in epistola tua magnifica quædam, & eleganter scripta de laudi-bus parentis mei; quæ uerissima fateor; quædam etiam de me ipso, quæ non agnosco. nam etsi tibi, nobilissimo adolescenti, multis non solum fortunæ, sed etiam naturæ, doctrinæq. bonis ornato, et, quod caput est, uirtutis amanti, placere maxime uelim: tamen, quia nemo adhuc a me hoc impetrauit, ut ea mihi adsciscerem, quæ mea non essent, patere, obsecro te, de me ipso mihi potius me credere, quàm tibi. quòd si, cupidum esse laudis, laudem esse uis: isto me licet nomine non contemnas: quòd ea, quæ habent ij, qui laudabiles ducuntur, ego, eadem ut ha-

haberem, semper laboraui. sed scis, uelle, & perficere, non idem esse. alterum contingit multis, alterum duntaxat viis, quos Dij diligere putantur. quorum ego te in numero, optime Vide, præstanti natura præditum, Bunelli præceptis informatum, confido facile futurum. Vale. Venetijs.

MARCELLO CERVINO, CARDINALI, Romam.

POSTEA quàm Roma discessi, etsi tum mea uetus in te obseruantia, tum tua in me perpetua beneuolentia postulare uidebatur, ut ad te quàm sæpissime scriberem: tamen id non feci: propterea quòd omne otium, atque omnem etiam mentis tranquillitatẽ molestæ in primis ademerunt occupationes: quarum me, cum primum huc reuerti, tantus æstus absorbuit, ut longo interuallo uix emerserim. nam primum domesticas res ita male affectas offendi, ut, eas seruare, multi temporis, non exigui laboris, etiam alicuius artis esset. deinde, cum illa, quam scis in meis epistolis nutu tantum appellari, inimica natio uirtutis, ac diligentiæ, quæ etiam patri meo, uiro optimo, (& adde, si quid uis) negotium exhibuit, ad me uexandum, atque opprimendum conspirasset: durius habui negotium, ut meas fortunas in tuto collocarem. sed me, qui antea præsto mihi semper affuit laboranti, idem in hoc potissimum

simum discrimine egentem opis & consilij, nec me diocriter de toto rerum mearum statu solicitum, re spexit, ac liberauit Deus. itaque omni plane molestia perfunctus esse mihi uideor. quid quæris? aliqua etiam officij specie ab ijsdem obseruamur: ac se satis apte simulationis, ut opinor, artificio tuentur. accipere tamen quod datur, quocunque animo detur, insciticæ non est: nec hodierni mores, & ratio temporũ secus postulat. Cetera sunt in meis rebus nõ plane cuiusmodi nos optabamus, sed cuiusmodi tamen multi non sperarunt: quibus hæc, quæ nunc agimus, amplissima uidentur esse, cum nos præ ijs, quæ, nisi quis casus nostris consilijs occurrerit, agere aliquando cogitamus, tenuissima iudicemus. quã quidem ad rem quòd tu omnia, quæ in te sunt, liberalissime polliceris; quodque Alexandrum etiam Farnesium, præstantem omni uirtute Cardinalem, in eandem rationem propensum esse affirmas: equi dem de te sic existimo; & multas esse res, in quibus iuuari a te pro tua summa tum dignitate, tum etiam fortuna possim; et in ijs rebus nunquam omnino mihi tuam esse humanitatem defuturam: Farnesium autem, diuinum adolescentem, natum ad liberalitatẽ, et ad gloriã, non miror eo esse erga uirtutem, animo, quo quia semper fuit auus eius, iccirco ad eum gradũ, qui est in terris summus, et augustissimus, Dijs hominibusq. uolentibus adscẽdit. ac sane ille cum domestico exemplo, tum multo etiam magis, egregia ipsius natura ad immortalitatis

tis laudem excitatus, sæpe alias, quanti bonas artes faceret, ostendit, sed proxime uel in primis, cum Hieronymum Ferrarium, iuuenem rarissimæ uirtutis, sanequam pro eius meritis ornauit, atque auxit. in quo, cum apud unum posuisse beneficium uideatur, a multis tamen gratiam iniuit. nam cum uos, tales uiri, patrocinium litterarum suscipitis: quicunque bonis artibus delectantur, animo recreato, ueniunt in spem aliquando fore, ut, post diutur nos labores, & molestiarum quasi tempestates, in quietis et otij portum, uobis adspirantibus, deferantur. quos si in cursu studiorum instituto uestræ benignitatis aura deficiat; hærebunt, neque iam poterunt, quò intendebant, sine ope auxilioq. uestro peruenire. uerum huiusmodi dubitationem uestra iam consuetudo sustulit. magna enim optimæ uoluntatis documenta sæpissime dedistis, maiora etiá dare cogitatis; cum quidem, ut Antonius Bladus ad me detulit, pulcherrimam rem, & uobis dignissimam aggressi, omnes libros græce scriptos, qui nunc conditi asseruantur in bibliotheca Palatina, prælo subijcere cogitetis; ut, multiplicatis exemplaribus, per orbem terrarum, in usum omnium gẽtium, omniumq. sæculorum, diuulgentur. cui se muneri Bladus a te esse præpositum aiebat: itaque uenisse ad nos, ut & eos typos, quibus atramento illitis charta imprimitur, conflandos curaret, &, si qua præterea sunt ad opus necessaria, maturaret. sane sum lætatus plurimum; hominemq. sua spon-

te

te diligentissimum tamen cohortari non desino, ut in ea re, quæ ad commodum studiosorum, maxime uero ad tuam, ut ego sentio, gloriam spectat, operæ ne parcat: eiq. dixi, ut ad omnia me et fratribus uteretur. neque minus prolixe, quæ uerbis pollicitus sum, ubi ille petierit, re præstabo. nam et hominem diligo: & uero tua uoluntas maximi est apud me ponderis. In Romulo quidem tuo, quem initio sum complexus ut fratrem tuum, deinde amare cœpi ut te fratre dignum, nihil prætermitto, quod aut in officio cohortandi, aut etiam in studio iuuandi positum sit. sed ille, cui notissimæ sunt occupationes meæ, pudore, credo, facit, ut rarius ad me scribat: cum mihi, uel in maximis negotijs ei uacare, non modo non molestum, sed etiam gratissimum sit. quod tu, si uidebitur, ad illum scribes: simulq. litteris admonebis, ut, quo consilio Patauium est profectus, id studio & diligentia consequatur. neque tamen hoc dico, quòd eum, adhuc quidem, lapsum esse putem; de quo etiam ea, quæ uolumus, & uidemus, & audimus; sed quòd, infirmitatem eius ætatis cum recordor, interdum uereor, ut possit consistere. Vale. Venetijs.

BERNARDINO MAFFEO, EPISCOPO CREATO, Romam.

VBI te audiui Episcopum esse creatum, lætatus

tus sum non tam ob ipsam rem, quæ sane est per honorifica; propterea quòd Episcopatus & sacerdotium est, & maximum sacerdotium; quàm quia, de te ipso cogitans, intelligebam te eum esse, cui ad istam honestandam dignitatem summa facultas in optima uoluntate non deesset. Tibi erunt, quæ multis solent esse laboriosa, uirtus, et uigilantia, ex tua uetere consuetudine facillima. non enim honorem quasi legē bonitatis, ad quam te fingeres, accepisti; sed ad honorem bonus accessisti, multis antea, magnisq. rebus Paulo III probatus: cui Pontifici? omnium sapientissimo, & optimo; qui & ipse Deo probatus est, & non probat nisi sui similes. Gratulor igitur tibi, non ut gratulantur ij, qui fere, quibus fructibus auctus sis, unum cogitant, cetera magnopere non spectant; sed ut ij, quibus dignitas, et religio prima sunt: quæ tu coles maxime, & eris in Christi militia antesignanus. Grauem sane personam Episcopi sustinetis. uestrum est, errantes animos in uiam reducere. et reducitis uos quidem præceptis diuinæ doctrinæ tradendis: sed magnauis est in exemplo, cum ea, quæ traditis, ipsi uita, & moribus exprimitis. quod tu præstabis utrunque omnium maxime: qui et habes non doctrinam modo, uerum etiam eloquentiam, quarum altera imperitos erudias, altera languentes excites; & uiuis, ut homo, satis extra culpam. quod memini me multis abhinc annis in tua prima adolescentia miratum; cum ea in te laudarem, quæ tamen imitari

tari non poteram. quod feciſti adoleſcens, cum tua te ſingularis, optimaq. natura ad decus inuitaret, & quaſi manu prehenſum duceret; nunc, ætate confirmata, cum ad uoluntatem acceſſerit ratio, dubitem qnin idem multo ſis alacrius conſtantiusq. facturus? dubitet qui te ignorat: mihi, cui tua ſtudia, tui ſenſus ex noſtra familiaritate notiſſimi ſunt, dubitare non licet. Quare, ut ad prima redeam, non eo ſolum nomine tibi gratulor, quòd Epiſcopus es, in ſumma dignitate conſtitutus; quod tibi ſcis eſſe commune cum multis; ſed quòd is es, qui cum iſta dignitate uirtutem æquare poſſis. quod quia uides quàm non multi potuerint, eo magis tu, qui potes, hoc ipſum, quod potes, acceptum Deo referre debes, tantumq. munus in te collatum, illud quidem plurimi facere, ſed, quoniam eſt proprij erga te amoris argumentum, muneris cauſſam multo, quàm ipſum munus, pluris æſtimare. Vale. Venetijs.

GABRIELI CATIANO, Brixiam.

EPISTOLAS a te habeo duas, utranque ſcriptam elegantiſſime, ſed illam pleniorem, quam XI. Kal. Sept. dederas: nam hæc recentior, cui nonarum Oct. dies erat adſcripta, argumentum habuit fere nullum. uenio igitur ad priorem: in qua cetera iucundiſſima, illud permoleſtum, quòd te minus

minus commode significas ualere: scribis enim, ualde te ob aduersam ualetudinem uereri, ne non illud, quod instituisti, absoluere, ac perpolire tibi liceat. Mi Catianc, excita prudentiam tuam; et occurre morbi principijs; ne ille, grauior deinde factus, & te, & amicos tuos, qui, te ægrotante, ualere non possunt, diutius uexet. Hoc loco mihi ueniunt in mentem, quæ tu me olim, minus recte cũ haberem, prudentissime, & amantissime monuisti. illa, illa ipse tibi nunc in memoriam redige; et, quæ tuæ tunc partes erant, eas nunc fac esse meas. Tu mihi non ex Hippocrate, aut Galeno, sed ex ueterum philosophorum libris ea remedia, quibus ad salutem meam præstantius esse nihil potuit, attulisti: ego nunc idem in te facio, tuamq. tibi medicinam restituo. uis, quæ meum morbum, te medente, sanarunt, ea tuo ipse in morbo prætermittere? non uis, opinor. non enim id te dignum est: qui ea sæpe legisti, unde homines alijs cauere cum discant, sibi eos non cauere turpe est. quare adhibe eam, quam ad omnes res soles, ad te curandum diligentiam: &, quod oneris suscepisse te scribis, id si grauius uidetur, quàm ut perferre possis, depone prius, quàm opprimare. magnum est, quod moliris, & magni non solum ingenij, quo tu non eges, sed etiam otij: quo nisi abundas, quo modo te speras ea, quæ in iure ciuili dispersa sunt, quæ scis esse minime pauca, primum posse cogere, deinde coacta ita disponere, ut ex certis generibus totum ius ciui-

le

le cognoscatur? atque ego tamen sic existimo: si quis est, qui hoc præstare possit, aut eum te esse, aut omnino neminem: sed, quoniam res & fortunæ tuæ, quemadmodum tu quidem affirmas, ita ferunt, ut in forum tibi necessario sit eundum; quæ ratio, si modo & tibi, & populo placere uelis, multi temporis exercitationem desiderat; hæc autem quæ a te est iuris ciuilis instituta digestio, eiusmodi est, ut nihil operosius existimetur: uereor, ne, duarum rerum difficillimarum tractatione distractus, utranque dum uis, neutram assequare. quáobrem, quid suscipias, tui consilij est: ego monendi partes, quæ sunt prudentiæ, non assumo: neque enim plus ulla in re me existimo uidere, quàm tu uides: id, quod est beneuolentiæ meæ, faciam, ut magnopere te non solum horter, uerum etiam rogem, ualetudini tuæ minus, quàm gloriæ, ne seruias. quæ quidem nobis, qui te summe diligimus, tantæ curæ est, ut plurimas nostræ salutis partes in tua salute positas existimemus. De Alciati libro, ualde te amo: sed, eum, hoc quidem tempore, cur mittas, non est. sunt quædam, quæ magis urgent. Quæ scis a nobis anno proximo superiore instituta, iam pæne absoluimus. Domestica fere sunt ut uolumus. fratres ualent optime, ego sicut soleo, hoc est, etsi non optime, sic tamen, ut studijs nostris frui liceat. quod si perpetuo detur; equidem hac mea tenuitate contentus ero; illam firmitatem, illa athletarum latera nõ appeto: neque mi

hi unquam de natura queri ueniet in mentem, quæ me corpusculo finxerit imbecillo: gratias agam potius, quòd effecerit, ut omnibus pæne horis, aduersæ ualetudinis metu, spectanda mihi ratio sit, & continentiam, quæ uirtus est, aut certe ad uirtutem ducit, cogar amplecti. Amamur a multis: si modo ex uultu, & uerbis amor agnoscitur: colimur etiam a non nullis; qui, falsa de nobis opinione adducti, nostram consuetudinem, quasi docti hominis, uidentur expetere. quibus ego si me patefecero, facile hunc errorem eripiam. &, puto, faciam; ne totos dies salutatoribus tribuam. Vale. Venetijs.

FRANCISCO LVISINO, Patauium.

SI NESCIS, Luisine, quantum ego amori nostro tribuam; cognosce ex hoc, quòd & superioribus mensibus licere mihi per eum putaui ad tuas litteras, humanissime scriptas, nihil respondere; & nunc, eodem fretus, etiam male respondeo. Non est hoc, inquis, officium colere. Quasi iam probaueris, quia non coluerim, ideo me turpem esse. non placet ita duris legibus amicitiam adstringi, ut nunquam relaxentur. Summam diligentiam maximis in rebus si ab amico requiris, iure facis: sed si etiam in minimis, non æquus es. est enim profecto quædam suauitas in negligentia: quam qui ex

amicitia

amicitia tollit, horridior est, quàm ut urbani mores ferre possint. quare, si amabilis esse uis, (quanquã quis te uno amabilior est?) ueruntamen, si id tibi propositum est, ut omnibus in rebus æque amabilis, æque iucundus sis: permitte mihi, ut liceat aliquando tecum esse negligenti. Nam, quod ad tuas litteras attinet, ita iudico, scriptas esse non solum eleganter, in quo tamen non minima laus est, sed etiam sapienter; quod quia solet ab ætate tua longius abesse, non solum laude, sed etiam admiratione dignum est. uitium hoc in plerisque adolescentibus, atque etiam in robustioribus quibusdam fama celebratis animaduerto, ut inania colligant, & eloquentiam non, ut ueteres illi, in sententijs, & uerbis a communi consuetudine alienis, sed in quibusdam uulgaribus, ac pæne puerilibus ineptijs constituant. Quocirca non ego te, Luisine, hortabor, ut ex ista imperite scribentium turba te eximas: sed gratulabor potius, quòd ita effecisti, ut hortationi locum non reliqueris. hoc cum adolescens adhuc, et pæne imberbis, non dum ea prudentia, quæ extrinsecus assumitur, propter ætatem copiose instructus, naturali quadam ingenij facultate, & assidua Ciceronis lectione sis consecutus: cum illa accesserint Aristotelica, in quibus nunc totus es; usumq. rerum, qui in adolescentem non cadit, percallueris; qualem te uirum futurum putemus? non sum natura blandus: neque soleo cuiusquam auribus inseruire: potius offendit quosdam libertas mea. ita-

que, quod dicturus sum, gratiæ caussa dictum ne putato. si quando accidit, ut interroger de ijs, qui antiquam illam perfecte scribendi laudem posse nobis uideantur iam pæne amissam restituere: soleo te duobus præstantissimis adolescētibus, meis familiarissimis, Calino, & Amaltheo, tertium inserere. Calinum, puto, non nosti: qui clarissimum iuuenem, Aloysium Cornelium, singularis uiri, Ioannis Cornelij, filium, in Cyprum insulam secutus, tertium iam annum abest. sed mihi hoc uelim credas affirmanti: ea bona, quæ magister tuus Aristoteles laudabilia esse dicit, omnia fere in illo adolescente aut esse iam, aut breui, ut ego auguror, futura. De Amaltheo autem quid sentiam, non exspectas, opinor, ut significem, neque ut ego tibi eum quasi latentem indicem, quem in illustri quadam specula uirtus constituit. quare cōiunge te cum his; & eloquentiam tres optimi adolescentes, ætate fere pares, concordi studio, sicuti pulcherrimam uirginem, diligite. quòd si me etiam socium recipitis, & riualem in hoc amore fertis: erit præclara consensio; & latinæ linguæ formam, quam, superioribus temporibus turpi barbarie uitiatam, nunc agnoscere uix possumus, posthac, ut opinio mea fert, intactam, illibatamq. tuebitur. Vale. Venetijs.

Paulo

PAVLO CONTARENO, Venetias.

CVM *Venetijs proxime discessi, ut in hanc solitudinem ex ista frequentia me conferrem; magna sane lætitia perfruebar; & quòd ad ea, quæ homini carissima sunt in uita, uxorem, ac liberos meos redibam; & quòd mihi, otium ad studia, amœnitatem ad ualetudinem quærenti, hunc esse præter ceteros locum expetendum atque adamandum intelligebam. sed, ut in rebus humanis nihil est simplex, in summa uoluptate molestiæ tamen hoc erat, quòd ita fortuna tulisset, ut, quo tempore tibi per anniuersarias Patauini gymnasii ferias Venetijs esse, et commorari liceret, tum ego a te disiungerer, magnamq. manendi cupiditatem maxima discedendi necessitas uinceret. nec uero mihi dubium est, quin cum meo sensu tuus quoque sensus congruat, &, quæ me cura torquet, eadem te pugnat. uinci enim in officio, atque amore, quàm sit turpe, si te non mea uox aliquando docuisset, ipsi te libri, unde hauris illa præclara, quibus ad laudem informamur, penitus erudirent. quòd si, ut una simus, quod & tu, ut opinor, sperabas, & ego certe cupiebam, per interualla locorum non licet: at, quod proximum est, ut una esse uideamur, non uideo cur præstare literis & consequi non liceat. nam si propterea, simul, esse iucundum est, quia mutuo sermone fruimur:*

mur: in litteris nō ego quidem tuam uocem audio, neque tu meam; sed, quæ uoci subest res, eam nihi lo minus, quàm una cum sumus, percipimus, hoc etiam maiore cum fructu, quòd aliquanto scribimus accuratius, quàm loquimur. quare uelim ad scribendum te des: &, cum me tuæ consuetudinis usura, ob ingenij tui suauitatem, & sermonis elegantiam, mirifice capiat; hæc, quæ in te amo, quæ nūc abesse doleo, fac, si me diligis, ne omnino desiderem. debes hoc mea causſa non nolle, tua uero maxime cupere. nam, cum te aliquot abhinc annis in rectam illam antiquæ eloquentiæ uiam dederis, patris tui, uiri optimi, ac sapientissimi uocibus, consilijsq. com motus, patrui uero, clarissimi ac præstantissimi ciuis, exemplo incitatus: turpe tibi est, in mediocri laude consistere; & ad summam peruenire, sine stylo assiduaq. exercitatione non licet. quid enim il le noster, cuius tu libros nunquam de manibus deponis, quid aiebat? timere se, nisi frequenter decla maret, ne, quod adeptus erat in arte oratoria facul tatis, exaresceret. Attende, mi Paule, et tuam cauſ ſam, a qua mea disiuncta non est, si placet, mecum considera. Ille sibi, homo Romanus, latinæ oratio- nis inopiam metuebat; cum tamen omnibus in hoc genere diuitijs abūdaret: nos, quibus latina lingua peregrina est, qui in optimo scribendi aut dicendi ra tione rudes, et infantes pæne sumus, de summa elo quentia sine summo studio cogitabimus? & unam omnium difficillimam rem, eandemq. omnium glo

rio-

rioſiſſimam, ludibundi conſequemur? Vides me ip
ſum, qui quid ſim, ego quidem non ſtatuo; ſed ſunt,
quibus non eſſe nihil uidear; nullum pæne diem in-
termittere, quin aliquid latine ſcribam? cũ tamen,
ex quo lapidem hunc uoluo, annus iam uigeſimus
abierit. Eſt adoleſcens in ueſtra nobilitate, tibi non
ignotus, mihi admodum familiaris: quem excellen
ti præditum ingenio, gloriæ cupiditate flagrantem,
niſi a Romanæ eloquentiæ laude ad huius maternæ
linguæ ſtudium falſa quædam opinio traduxiſſet;
erat, cur de illo ſperarem ea, quæ ſumma ſunt. tan
tam enim operam in ſcribendo ponit, quantam tu
uidelicet in legendo. ſed neque illi in ſumma indu
ſtria iudicij ſatis eſt, qui de latinæ linguæ dignitate
non optime ſentire uideatur: neque tibi, rectiſſime
iudicanti, ad id ipſum, quod probas, obtinendum
ſuppetit induſtria. quare uellem, ut & tu illum
in diligentia, & ille te imitaretur in ſententia. quod
utrunque ſi contingeret; næ ego ueſtræ utriuſque
laudi præclare conſultum putarem. Sed ille de ſuo
conſilio uiderit. iccirco enim ſe non exiſtimat erra
re, quia, quos ſequatur, auctores habet eos uiros,
qui, quod optimum eſſe ducunt, in eo facile omni-
bus hominibus antecellunt. Te uero, qui mecum in
ijſdem ædibus per trienniũ fere uixiſti; qui, quid-
quid es, de meorum conſiliorum præceptorumq.
fonte fluxiſti; cuius a laude mea laus quodam mo-
do pendet; te, inquam, mi Paule, quantum in me
erit, errare non patiar; teque, coactus amore, &

officijs tuis, hortari nunquam desinam, ut in ueram ac sinceram eloquentiæ formam, cuius ego tibi excellentem pulchritudinem, duorum ueterum oratorum exemplo, sæpe demonstraui, tuæ mentis oculos acriter intendas; eamq. tibi a me ueris, ut arbitror, lineis designatam, tu aliquando tuis scriptis, quasi coloribus, coneris exprimere. Graue, inquies, onus imponis, & difficilem mihi laborem mandas. Fateor ita esse: addo etiam illud, non esse nobis optandum, ut aliter sit. nam, cum omnium hominum in appetenda laude par prope uoluntas, similisq. sensus sit: quod omnes appetunt, id si esset eiusmodi, ut consequi multi possent; quanti, obsecro, æstimares? opinor, minimi. copiam enim uilitas, et uilitatem sequitur contemptus. quare non tibi est dolendum, quòd de sudoribus manat gloria. lætare potius, quòd, cum eam omnes amabilem esse, ualdeq. expetendam sentiant, plerosque tamen laboris magnitudo terret, et æmulandi studium rei difficultas imminuit. Est autem tibi ad hanc laudẽ, quò te uoco, aditus eo facilior, atque apertior, quòd, quæ duo sunt ad cõparandam eloquentiam instrumenta maxime necessaria, ingenium, et memoria, utrunque sic tenes, ut in altero excellas, in altera ijs, qui excellere putantur, non admodum cõcedas. hæc tu bona si languere sinis; gratiam naturæ non optimam refers: quæ non in te benigna fuit, ut suũ beneficium negligeres, sed ut ad decus, ad dignitatẽ, ad immortalem, æternamq. laudem conferres. Ne

que

que uero is ego sum, qui te uelim eloquentiam a philosophia seiungere, totosq. dies in hoc uno expolienda orationis studio consumere. erras, si me ita sentire putas. ego philosophiam diuinum quiddam esse dico, indicem ueritatis, magistram uitæ, omnium uirtutum, omniumq. laudandarum artium parentem. sed idem ita statuo; si, qui optime sciat, non optime loquatur, plerunque fieri, ut id ipsum, quod sciat, nescire, uideatur: et ut in conuiuijs non parũ interest, qua epulæ ratione condiantur; sic in sermonibus, aut scriptis, magni refert, quibus animi cogitata uerbis enuntiẽtur. quòd si cui ita stupidus, aut ita deprauatus est sensus, ut ornatæ, & bene structæ orationis suauitatem, & tanquam harmoniam auribus non percipiat: hunc tu, si sapis, neque consules in re tua; quia, recte qui non intelligit, is ut recte iudicet, sperare non licet: neque ipsum monebis; quia, quibus desunt principia naturæ, ijs inutilem artem esse constat. tu, si me audies, musarum uocem ab rusticano sono distingues; & ut inanem multorum loquacitatem oderis, sic elinguem quorundam sapientiam non amabis. qua in sententia uideo fuisse, quos uiros? Platonem, & Xenophontem: quibus ego plus crederem solis nutu significantibus, quàm omnibus, qui nũc ubique sunt, philosophis cum iureiurando confirmantibus. non ne uides magnum utrunque & excellentem in philosophia fuisse, utrunque tamen in hac, quam homines inepti reprehendunt, exornandæ orationis facultate

cultate ita præstitisse, ut, eorum scripta cum legimus, nihil fieri posse purius, nihil elegantius, nihil illustrius iudicemus? a qua laude plurimum abfuissent, nisi temporis industriáq. multum in eloquentiæ studio collocassent. neque uero eloquentiæ studuissent, nisi ex ea decoris ornamentiq. plurimum ad philosophiam accedere, tanquam ad formosam uirginem a corporis cultu, iudicassent. Hos igitur ego te imitari malo, quorum nomina adhuc uigent, cum ipsi duobus abhinc annorum millibus obierint, quàm istos, si qui sunt, qui te infirmissimis rationibus a pulcherrimo consilio conantur abducere. Perge, ut facis, in disciplina philosophiæ; in qua Pata uij artificem habes eximium M. Antonium Genuam: eloquentiam uero, cuius, ut opinor, in uia me ducem non contemnis, ne dimitte. utrunque enim & debes, si tibi magna proposita sunt; & potes, si, quod me sæpe dixisse memini, diei horas apte, et cum ratione distribues. Vale, & patrem tuum, & patruum, quos ego plurimi sane facio, & communes amicos meo nomine saluta. Ex Plebe Sacij.

CHRISTOPHORO MADRVTIO CARDINALI, Mediolanum.

AVDIO *te de nobis & loqui, & sentire perhonorifice. præclarum hoc est, laudari a Principe uiro,*

uiro, & ab eo Principe, qui cum fortuna uirtutem ita coniunxerit, ut in utraque pariter emineat. atque ego te semper antea, cum nunquam essem allocutus, nunquam uidissem, tamen uehementer colui. mouebar tuis præstantissimis actionibus, homi numq. constanti sermone, omnia de te summa prædicantium. neque uero, si quis in te laudaret opes, aut nobilitatem, aut dignitatem, admirabar. communia multorum hæc sunt, optabilia potius, quàm laudabilia. sed illa, quæ tua proprie sunt, cum audirem; unum esse Christophorum Madrutium, qui uirtutem ipse coleret studio singulari, in alijs ornaret præmijs amplissimis, omnesq. liberales disciplinas, fato quodam, temporum dicam, an hominum iniurijs? exsulantes exciperet, amplecteretur, foueret; qui denique solidam gloriam spectaret, inania, quæ multi sequuntur, contemneret: hæc ego cum audirem, incitabar studio meæ tibi singularis erga te obseruantiæ declarandæ: sed obstrepere litteris inanibus tali uiro, præclaras Italiæ urbes, multorumq. populorum fortunas non potestate magis, quàm iustitia, tuenti, hominis esse uel inepti nimis, uel impudenter ambitiosi existimabam. nunc autem, cum ad me sermones tui, mea cum laude habiti, referantur; occasionem cupide complector, quam mihi tua liberalitas offert; tibiq̃ gratias, quas possum quidem, ago, habeo autem certe maximas, atque immortales; tum quòd ornes me testimonio iudicij tui, quod apud omnes ualere plurimum

mum intelligo; tum uero, quòd isto officio, ista tam præstanti humanitate quasi fores mihi aperueris ad amicitiam tuam. qua quidem ego me, si minus alia re licebit, perpetuo certe, ac singulari erga te studio, assiduaq. tuarum uirtutum meis omnibus in sermonibus et scriptis prædicatione, dignum præstabo. quod cum antea fecerim, iudicio meo commotus; faciam tamen in posterum alacrius, ac diligentius, tua humanitate incitatus: quam semper eandem in me futuram, non magis constantiæ ratio, quàm naturæ tuæ benignitas, mihi persuadet. Vale. Venetijs.

ROMVLO CERVINO, Patauium.

QVOD tu persæpe queri solitus es, id mihi nunc accidit, ut epistolæ prorsus caream argumento: sed ego tamen non committam, quod tu soles, ut argumenti me inopia deterreat a scribendo. quin uide, quàm diuersa ratio sit. tu, cum sententiam non habes, ualde tibi ais laboriosum esse epistolam texere: ego nunquam facilius soleo scribere, quàm cum nihil habeo, quod scribam. At, inanes huiusmodi litteræ sint, necesse est. Primum, hoc non semper. quandoque enim accidit, ut nihil dicentes, aliquid tamen dicamus. et ut in fidibus est quædam manus aberratio sine arte, in qua tamen ipsa ars sit: sic in epistolis argumentum quandoque est sine argumento.

gumento. itaque, non semper inanes huiusmodi litteræ: siquidem in ijs solet aliquid non nunquam existere, quod pondus habeat. sed fac inanes esse: quid refert? non hoc spectamus, id sequimur, ut, exercitatione duce, eò perueniamus aliquando, ubi sita laus uidetur eloquentiæ? quòd si nobis tantum in hoc proficere non licet, ut ueteribus illis, quorum est purissima oratio, similes esse possimus: at tentemus tamen, si possumus nostris, qui inquinate loquuntur, dissimiles esse. quod, ut opinor, & multum, & sæpe scribendo consequemur. Ac noli putare, semper in eo nobis esse elaborandum, ut philosophemur in epistolis. graues sententiæ probantur: fateor: sed nunquid hoc uno latina lingua continetur? me quidem Cicero paullo minus delectat, de iocis cum agit, quàm de turpi, & honesto cum disputat. utrobique enim sunt ornamenta: & utrunque sæpe necessarium est. itaque ad utrunque me do: teque, ut idem facias, etiam atque etiá hortor. cumq. res non erit, de qua scribas; tum tu, si me audis, uel leuissima quæque ex omni parte, ex omni genere arripies, & ijs pro argumento utere. hoc autem quatenus agas, aut cum quibus agas, tibi non præscribo: cuius tanta prudentia est, quantam ætas ista, qua nunc es, capere uix potest. Summa sit, ut & cum argumento, & sine argumento sæpissime scribas. Vale. Romæ.

Francisco

FRANCISCO GONZAGAE, Ferrariam.

ODI pæne meos oculos: etsi oculi sunt, id est omnium rerum carissimi: sed odi certe peius, quàm antea, hunc morbum, quo mihi nunc tuus adspectus, tuus complexus eripitur. aduolarem enim ad te, si ualerem: nihil me moraretur: nihil esset tanti. an cum tu, magni principis filius, familia natus Italicarum omnium nobilissima, nec iam a maioribus tantum, sed a te ipso clarus, Mantua me, humilis hominem loci, nondum de facie notum, litteris humanissimis tua sponte salutandum putaueris; ego, cum Patauij, hoc est prope in conspectu meo sis, non accurram ad te? facerem: sed soluta uoluntas non est: impeditur enim ualetudine. solatio tamen hoc, in magno dolore, sustentor, quòd futurum breui non despero, ut conualescam. concurrunt simul, anni tempus, assidua medicorum cura, mea summa continentia. hæc si proficient; adibo ad te, nulla interposita mora. opto enim, quæ inter nos mutuo litterarum officio conglutinata amicitia est, eam paullo arctius mutuis sermonibus, mutua consuetudine adstringi. sin hærebit morbus: obsecro te, largire hoc uel meæ in te obseruantiæ, uel humanitati tuæ, ut omnino tuis litteris ne caream: quas ego meis quàm potero creberrimis dabo operam ut eliciam. Mitto ad te librum meum de Romanis legibus,

legibus, proxime rogatu multorum editum. cupio, legas, cum hoc tamen, si uacat. nam, auocari te a studijs grauioribus mea causſa, nolo. cupio etiam, cum legeris, probari tuo iudicio noſtram induſtriam. ſed hoc me cupere, rogare ne puta. uolo tibi eſſe liberam in utranque partem iudicandi facultatem. nihil mihi tribue: rem ipſam pende ſuo merito, ac ſtatue de tuo ſenſu. nec enim is ego ſum, qui plus amicitiæ dari poſtulẽ, quàm ueritati: nec tu is es, qui, ſi poſtulem, facile concedas. Pergam ad reliqua, hæc ſi tibi, tuiq. ſimilibus non improbari cognouero. Vale. Poſſeuino ſalutem, rariſſimo iuueni; cuius heri epiſtolæ reſpondi. Venetijs.

ANTONIO POSSEVINO, Ferrariam.

GRATVS, & iucundus admodum amor is, qui te in eam mentem impulit, ut officij gratia ad me ſcriberes. quid enim aliud exiſtimem? cum argumentum res quidem ipſa tibi nullum daret. ingenium uero mirifice tuum amaui, amplexatusque, quantum licuit, animo ſum, quòd, raptim, & , ut ad hominem familiarem, familiariter cum ſcriberes, epiſtolam tamen confeceris elegantiſſimam, diſtinctam luminibus eloquentiæ, in qua non fucatus, ſed uerus, ac tanquam naturalis Romanæ linguæ color eniteat. Macte Poſſeuini, fratre iam maior, iuuene eximio: urge totus in ſtudio litterarum. uides,

des, quæ te manent præmia. gloriam habes proximam, eamq. pæne manibus attingis. paullulum si te incitaueris, apprehendes. non mehercule, quia nolis, dico: sed, ut intelligas quantum cupiam, propterea dicendum putaui. faueo enim omnibus, qui recte sentiunt, rectéq. faciunt: in te uero mea præcipua & est uoluntas, & esse debet. scis, quintũ ab hinc annum Romæ cum te frater tuus adolescentulum adduxit ad me, quibus uerbis commendauerit, amicitia iunxerit, & ueluti in clientelam tradiderit. ex eo tempore, quoties adijsti ad me, quos tecum habuerim sermones, quàm studiose, quàm amanter ad illa præclara, quæ frater tuus amabat, sim cohortatus, potes recordari. dixi sæpe, non esse tibi de fortunæ bonis cogitandum; quæ uel improbi malis artibus quærerent, uel bonis uiris recte quæsita facile casus eriperet. ostendi, uere & esse, & appellari diuitem posse, qui liberalium doctrinarum scientiam possideret. non neglexisti: contulisti cogitationes omnes tuas ad studium ueræ laudis: & in eo nunc apud Franciscum Gonzagam, nobilissimum, ac uirtutis amore incensum adolescentem, ita uersaris, ut propemodum uidearis excellere. Quare gratulor equidem fratris tui manibus; quos lætari arbitror summopere, quia talis es, & quia fore tantus uideris, quanta potest esse uirtus, maximo ingenio, acerrima uoluntate, summo studio comparata. Nec uero, quod epistola tua significat, mea tibi sunt aut ad ullam fortunæ accessionem, aut ad

dignitatem

dignitatem ſtudia exſpectanda. a te ipſo, mihi crede, omnia proficiſcentur. uirtutem ſi habes, nihil deſidera. ea pro te prenſabit: ea tibi omnes honores, omnes, quas petieris, opes impetrabit. o præclaram uitæ ducem. te felicem, Poſſeuini, qui cum hac uiuis, & uiuendum ſtatuis: me miſerum, qui, cum idem ſentiam, cogor tamen eam a me diſiunge re, uictus grauitate morbi, & ijs curis, quæ inuitum aliò traducunt. quòd ſi me Deus aliquando reſpexerit; acquieſcam in ijs ſtudijs, quæ ſola ſunt ad naturam meam, ſola tranquillitatem animis afferunt, hominemque paullatim ab homine ſeparant, &, quantum licet, cum Deo coniungunt. Vale. Venetijs.

HIERONYMO LIPPOMANO, Venetias.

BREVIS epiſtola tua, ſed habet multa ſua uia. primum ſignificas amorem in me tuum: quo quid gratius? nam, amari a nobili adoleſcente, propinquitatibus, amicitijs, opibus florentiſſimo, optabile eſt: ab eo uero adoleſcente, cuius ad animi bona comparanda mens omnis, et cogitatio dirigatur; qui ſcientiam litterarum ita expetat, ut inani tamẽ ambitione prorſus uacet, nihil ad ſe ipſum, ad ſummum Deum omnia referat; hoc uero eiuſmodi eſt, quod qui aſſequitur, triumphat. itaque ego uehementer mihi gratulor de amicitia tua: quam cupio

esse perpetuam: &, ut sit, omni equidem studio omniq. erga te obseruantia laborabo. Quod uero ais nescio quid de beneficio in te meo: mi Hieronyme, noli tantum largiri modestiæ tuæ, ut uocabulis parum proprijs, nec satis cum re congruentibus utare. quod enim tu beneficium appellas, ego uerius officium, & officium eiusmodi, quod prætermittia me sine graui culpa uix posset. rogabas, ut consulerem studijs tuis: impetrasti facile, & curaui libentissime. quod enim tribuere uni tibi uidebar, id non tam tibi tribuebam, quàm litteris, quàm uirtuti, quàm consuetudini, & naturæ meæ. amplector tamen istam humanitatem: quæ tibi non modo beneuolentiam conciliat, uerum etiam laudem parit. nam, ut extenuare, ac dissimulare, quæ acceperis, beneficia, ieiuni animi est, & peranguſti, ac sordidi: sic, ea uerbis augere, palamq. profiteri, excelsi, atque ampla spectantis hominis est, & ad liberalitatem, id est ad decus, & ad gloriam, nati. coniunge, quæso, istam mentem, atque istam sententiam cum doctrina, & cum ijs studijs, ad quæ te uocat illustre domesticum exemplum Veronensis Episcopi, patrui tui: quem uides auersum penitus a studijs rerum humanarum, eaq. contemnentem, quæ ceteri admirantur, totum esse in una uirtute defixum, & diuinam consuetudinem, quatenus homini liceat, imitari. itaque nunc eius sapientissimis consilijs, ac sanctissimis institutis, eximiaq. doctrina, magna ex parte Romana nititur Ecclesia. hunc

tu

tu ducem si sequeris, & in eius uestigio pedem ponnes: non errabis in hoc dubio uitæ cursu, non laberis in lubrica iuuentutis uia. quod te facere iam, lætor; facturum etiam multo in posterum diligentius, confido. atque ego, quando mihi licere apud te tantum uis, languere te præclaris in studijs non patiar. hortabor litteris, dum abero: præsens sermonibus excitabo. nunc me cupidum urbis, tuiq. maxime, ac paucorum tui similium, tenet tamen in his locis uxoris meæ morbus: de qua iactor uarie, tanquam fluctibus, modo spe, modo metu. in una tantum cogitatione uidetur animus consistere, & quietem aliquam capere, cum quasi secum loquitur, et commemorat ipse sibi necessitatem illam rebus omnibus impendentem, ut animata intereãt: creata dissoluantur. At est dolendum, si quem uiribus ætateq. florentem immatura mors oppressit. Ita, si mortem in malis, uitam felicitatis loco statuas. quod qui existimat, refellitur exemplis. quàm multis enim, diu uiuere, miserrimum fuit? Hæc quàm diu cogito, uideor acquiescere; satisq. leuiter incommodi mei grauitatem sustineo. sed certe nimis acerbe fortuna mecum egit, quæ me, de me ipso, ut scis, ac de mea ualetudine solicitum, alienis etiam malis implicuerit. Benacum petere statueram. non licuit: neque forsitan licebit. Asulæ quidem, oppido satis eleganti, ubi magnam pueritiæ meæ partem traduxeram, omnes mihi iucũditates; omnia gaudia tum in fratris conuictu, tum in uete

rum amicorum consuetudine finxeram. cecidit contra. frater enim ægrotauit diu, neque dum firmus est: amicis autem qui possum frui, cum uxorem, multorum dierum morbo conflictatam, nunc incertæ uitæ spe animam trahentem, in oculis habeam? De me ipso, ac de meo reditu noli exspectare dum scribam. uides me alienis miserijs esse miserum: meam non esse liberam, aut solutam uoluntatem, intelligis: nisi si meos deserere, id est ab omni prorsus humanitate uelim desciscere. quod profecto nunquam committam. quòd si nostrorum animorum sensus, & nostra consilia Deo patent, ut certe patent: amat, opinor, pietatem meam; eaque, non dubito, quin mihi uel opem ab eo celeriter impetret, uel hoc saltem, ut, quidquid euenerit, moderate feram. profecto enim ex uno illo fonte omnis nostra fortitudo manat, omnisque sapientia. alioqui facile frangimur, & facile aberramus a uero, insidiosis uoluptatum illecebris abducti, & rerum mutabilium fallacissima specie decepti. quæ tu, ac multo plura, cum audieris sæpe de patruo tuo, quicum ab ineunte pueritia in ijsdem ædibus, atque in eodem pæne cubiculo uixisti: si quid huius generis mihi nunc, multis difficultatibus ac molestijs circumuento, litteris imperties; habebo a te munus aptissimum meo tempori, dignum amicitia nostra, dignum uero maxime ea persona, quam tu sustines: qui te sacris addixisti, semper ut bene ageres, aut bene cogitares. Vale: &, ad Episcopum Veronæ

næ designatum, quem uidi nunquam, de fama tamen cognitum studiose colo, obsecro te; cum scribes, meo nomine salutem plurimam. Asulæ.

EIDEM, Venetias.

NVNQVAM putaui fore, ut iniuriam acciperem in beneficio, præsertim a te, cuius in fronte, oculis, uultu habitare uidetur humanitas. benigne mecum, et liberaliter agere, quod est propriũ familiæ tuæ, magnopere te decuit: idq. adeo postulabat amicitia nostra: callide uero agere, & ficta ueritatis imagine fucum facere, neque te dignum fuit, ad præclara laudandarum rerum studia ex nobilissima familia nato, neque uero me, tui studiosissimo, de tua bonitate, tuisq. moribus egregie non modo sentiente, uerum etiam prædicante. astutiæ præstantibus uiris nunquam placuere. apertam, simplicem, rectam in omni uita consuetudinem sequuntur. quo ego te in numero quia credidi esse, et quia, ut esses, curare non mediocriter debuisti; ideo sum in fraudem facillime inductus, & illo tuo figmento, quo nihil unquam gustaui suauius, abstinui perinuitus. meæ tamen inscitiæ eo me pudet minus, quia sequitur amorem credulitas, et ita uitium laude corrigitur. noli igitur me, quasi rudem quendam, & prorsus earum epularum, quæ nouo quodam artificio condiuntur, imperitum, contemnere. pœnarum satis in ipsa re tuli: quam reieci quasi no

xiam; cum esset eius generis, ut me docuit heri uesperi Sebastianus noster, unde simul possem & alimentum capere, ualetudini meæ uehementer aptum, & palatum oblectare, quantum antea fortasse nunquam. restitue nobis tuam fidem. liceat mihi meum errorem tuo beneficio corrigere. magna res non est: magnopere tamen sum commotus, uel insciti a mea, uel malitia tua: quæ uicit omnino, uel fefellit potius opinionem meam. id si moleste fers; non longe abest mei leniendi facultas: si modo animum tuum induxeris, ut id, quod potes, etiam uelis. quod si secus acciderit: prædico tibi, culpam exiguam grauiter lues: neque te mellitis placentulis, quibus me munerari solitus es, absoluam, sed ea pœna condemnabo, cuius etiam nomen cum audieris, extimesces. interim sustineo me, neque dum muto iudicium de te meum; quia te spero rationem utriusque nostrum habere uelle. cupio tecum corá iocari, & simul adspectu illo tuo iucundissimo frui. Vale. E cubiculo meo, ante lucem.

EIDEM, Romam.

Cvm in magnis molestijs hæc una me res delectare non mediocriter soleat, quòd amicitias a me diligenter coli, nec unquam officium contemni, ipse mihi sum conscius; legi perinuitus eam partem litterarum tuarum, in qua me, ut immemorem promissi, appellas, atque etiam, ut oblitum humanitatis,

tis, leuiter accusas. Ego tuæ familiæ nobilitatem, egregiaq. tuorum maiorum decora, pro eo ac debui, semper suspexi: te uero ipsum, præditum ijs bonis, quæ nobilitatem omnem uincunt, amaui prorsus, a quo die mihi cognitus es, amore singulari. hanc immutari in me uoluntatem, ita etiam si te mihi casus aliquis immutet, neque consuetudo mea, neque natura pateretur. quod equidem antea tibi certum esse, atque exploratum arbitrabar, nunc, quando subdubitare te uideo, significandum putaui; ne posthac unquam suspiciones istiusmodi, plane meo erga te studio, & mehercule etiam tua bonitate indignas, mearum epistolarum afferat infrequentia. quanquam, si tuum otium cum meis occupationibus conferatur, non intelligo, cur ego tuam inscribendo ualde laudare diligentiam, tu meam reprehendere negligentiam debeas. satis, nisi fallor, statum rerum tuarum habeo cognitum: tu me scilicet uideris ignorare: nam, si nosses, & exigeres tamen id, quod præstare uix possum; esses iniquior. At erat amoris nostri, lenire litteris dolorem tuum in obitu patrui, summi uiri. sit ita: ueruntamen abs te postulabat idem amor, ne, officium a me illud sine caussa prætermitti, animum induceres. Primum ego te, per aliquot annos domestica sanctissimi hominis disciplina institutum, putabam humana omnia contemnere, mortem uero, quæ sempiternæ uitæ initium est, etiam in bonis ducere. Quòd si frangimur humanis, aut commouemur saltem; cer

te enim a stipite, a saxo, a ferrea materia longe distat hominis natura: quis tamen ab afflicto solatiũ exspectat? aut quis me minus tranquilla experitur omnia? quæ si tibi nota sint: profecto me liberes ab omni culpa, & cupias reuocare querelam tuam. Neque uero, si uigeat animus, & perferat aduersa; ita ualemus ingenio, ut consolandi partes, quæ doctrinæ plurimum, & sapientiæ postulant, audeamus assumere. non hæc in nobis facultas est: quæras eam aliunde licet: si modo, ut significas, quod mihi tamen haud omnino persuades, in te ipso non est; qui & acuere mentem liberalibus studijs, & augere prudentiam usu rerum, ac præstantium uirorum sermone potuisti. quæ si absint, ut abesse a me magna ex parte fateor: tamen ille ipse, qui tibi luctus caussam attulit, idem a luctu te remouet exemplo uitæ suæ, cuius abesse nullam partem a constantia, & a uirtute reperies. Hunc igitur tibi unum ante oculos constitue: finge ad eius imaginẽ quidquid cogitas, quidquid agis: noli oculos ad uulgi deprauatam consuetudinem flectere. ita consules egregie rationibus tuis: & illud recte instituendæ uitæ consilium, quod a me requiris, nusquam esse præstantius, quam in te ipso, cognosces. Vale.

EPISTO-

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER SECVNDVS.

FRANCISCO VARGAE, CAROLI V. IMPERATORIS, ET PHILIPPI, EIVS FILII, HISPANIARVM REGIS, ORATORI, Venetias.

OFFICII *mei sæpe me admonet officiorum tuorum recordatio. officium autem, quod absens absenti præstare possum, litteræ sunt: quas misissem ad te iam antea, nisi huc aduenientem graues admodum, & peracerbæ curæ statim excepissent. quas enim res scis esse nobis in uita omnium carissimas, omniumq. primas, in ijs me grauiter exercere fortuna cœpit, uxore, liberis, fratre uno pæne tempore in morbum coniectis. ne mihi quidem belli satis est. animo enim affectus, ualere corpore qui possum? ueruntamen, quia mihi hærent in mente consilia tua, fero hæc ut humana, diuina spe, in qua tu soles omnia ponere, confirmatus. quòd nisi hunc in portum, te ducem secutus, confugissem: facile me tot malorum subita tempestas obruisset. En, quàm sit incertus nostrorum consiliorum euentus, & quàm ea, quæ nobis ipsi ad uoluntatem fingimus, contra cadant. Petiui has regiones, non sine*

ne sumptu, non sine labore, spe ductus ualetudinis recuperandæ: reliqui urbem pulcherrimam, mea negotia, tuam consuetudinem, in qua mihi ornamenti statuo plurimum. hæc bona, tantum abest, ut alijs bonis compensata sint, ut etiam multa successerint, quæ si ad sensum referantur, mala uere possum appellare. sed, cum me sensus quandoque moueat, ratione tamen utor sæpius. hæc ostendit, nihil esse malum, nisi quod nostra culpa contingat: ancipitem esse in rebus humanis rationem iudicandi: nihil enim semper idem esse: quin, quæ nobis aduersa, exitiosa, prorsus misera uideantur, ea sæpe ita conuerti, ut ex ijs ipsis multæ commoditates emanent: contra, quæ speciem habeant felicitatis, inde fluere quæ acerbissima sunt, exsilium, paupertatem, ignominiam. quæ ego cum cogito, reficior paullulum, & excito me, quatenus licet, ad eam uirtutem, quæ in aduersis rebus elucet: de qua cum multa sint a philosophis tradita, unus tamen eam suo exemplo præclare docuit nostræ salutis auctor Iesus Christus: quo magistro, quæ sit uera fortitudo, discimus, omniumq. laudandarum artium absolutam, ac uere salutarem doctrinam consequimur. Atque ego te, Francisce Varga, quòd hoc studij genus omnibus & studijs, & scientijs anteponas, longe quidem hoc nomine pluris facio, quàm quòd negotia Cæsaris Imperatoris ex omnium sæculorum memoria præstantissimi, & Philippi Regis, omnium Regum maximi, apud Venetam

tam Remp. orator administres. ista enim dignitate alij quoque nobiles uiri claruerunt: pietate uero in Deum, & sanctitate uitæ, parem fortasse aliquem, superiorem certe habes neminem. itaque, postquam a te discessi, uix credas, quàm sæpe meus ad te animus, tuorum sermonum desiderio, recurrat. equidem, uel si mihi cetera hic omnia secundissima fluerent, quæ experior, ut dixi, satis aduersa; iniucunde tamen uiuerem, quia, procul a te absum: cuius ex humanitate, sermonibus, consilijs mirificos capiebam fructus, & documenta ad uitam recte traducendam utilissima. Quare iam me minus, quàm antea, delectat, ac pæne displicere totum cœpit consilium illud meum de lacu Benaco incolendo. tua me singularis doctrina, tua probitas, tua benignitas ad urbem reuocat. Benacum, per anni tempus cum licebit, æstate scilicet ineunte, (nam hieme regionem illam procellis, & uentorum ui totam audio agitari) si ualetudo ita postulabit, inuisam. interea meam imbecillitatem ratione uictus, & abstinentia tuebor. ac fortasse fiet, quoniam a Deo cuncta pendent, ut Venetijs, intra meos parietes, in oculis, & adspectu meorum, commodissimo uitæ genere, ita conualescam, ne qua postea me cæli mutandi necessitas extrudat. quod si assequar; habebis me, si me tantum ab humanitate tua sperare uis, quod profecto uis, familiarem, ac pæne contubernalem: & hac equidem spe iam nunc mirifice sustentor. Vale. Venetijs.

Hiero-

HIERONYMO FALETO, HERCVLIS, FERRARIENSIVM DVCIS, ORATORI, Venetias.

QVOD heri iniecisti in sermone, hæret in animo, et, quo diligentius rem perpendo, eo magis omnia mea consilia, omnes cogitationes ad nouam societatem, quæcunque ea sit, conuerto. uexor enim, et deludor indigne ab homine teterrimo, omniumq. impurissimo: cui non satis est auertere communem rem; sed me prorsus ita despicit, ut nec dignum ducat, ad quem adeat accersitus. equidem nihil mihi adscisco, nihil arrogo insoléter: nihil enim habeo neque a fortuna, neque a me ipso, quo nimium extollar: ueruntamen limina mearum ædium teruntur quotidie pedibus uirorum clarissimorum, ad me confluentium. tu ipse, tu, inquam Falete, et maximi Ducis orator, & maximus ipse uir, quem grauissima distinent negotia, qui scribis historiam, legum scientiam, ueterum, & recentium, scriptis luculentissimis explicas, uenire tamen ad me, quæ tua est humanitas, sæpe solitus es, horasq. multas suauissimo sermone consumere. Malum est, inquies, ab homine nequissimo contemni. Malum: sed peius etiam, expilari. quòd nisi tua prudentia medicinam huic malo affert; periit fructus omnis tuæ liberalitatis. clauam enim citius de manu Herculis possim ex-

extorquere, quàm ab isto nummum. aut igitur ea mihi conseruetur utilitas, quam tuo beneficio, spera ueram: aut, qui nos uult perditos, perdatur ipse no biscum, & societas communi pernicie dissoluatur. uerum, cum in tuum ingenium, tuam auctoritatẽ, & singularem in me beneuolentiam intueor; tra-ducor facile ad optimam spem; tranquilla omnia, commoda, copiosa mihi ipse polliceor. tu restitues unus afflictam rem: & istum postremi ordinis ho-minem, omnibus uitijs inquinatum, indignum pror sus non modo amicitia nostra, sed congressu etiam, ac sermone, extrudemus; ut uersetur posthac, & uiuat cum sui similibus, in sordida nequitie, seiun-ctus a nobis, qui humanitatem colimus, et uirtutem omni lucro anteponimus. Interim lege, quam sæpe iam efflagitasti, partem libri nostri de quattuor re buspub. quam cupio a te probari. otium si habuero, quale aliquando consequar, si alibi non licebit, in Bellombra tuo totum uolumen absoluam. Vale. ex ædibus nostris.

Ex libro de quattuor rebuspub.

EX IIS, quæ supra sunt commemorata, duæ uidentur propositi nobis argumenti partes ab-solutæ. patere enim satis arbitramur, non modo quibus uitijs duæ maximæ, ac firmissimæ ciuitates, primum Sparta, deinde Carthago, labefactatæ cor ruerint; uerum etiam, quibus illa uitia remedijs uel

uel sanari penitus, uel ita saltem corrigi potuerint, ne reip. salutem in discrimen adducerent. nunc urbis Romæ quæstio succedit: qui erat tertius in diuisione locus. postremæ narrationi, conclusio futura nostri muneris, omniumq. nobilissima, et eadem difficillima tractatio, Venetiæ nostræ reseruantur.

Ac de Roma, quæ nullo magis uitio, nullo grauius unquam morbo, quàm imperij magnitudine, laborauit, primum illud occurit, nulla omnino in ciuitate post homines natos aut uirtutes, & honestas actiones aliquando floruisse magis, aut atque malas artes, & exitiosa publicis rebus consilia ualuisse. Primis reip. temporibus, cum nulli dum de plebe magistratus creabãtur, summa senatus potestas, summa fuit auctoritas. utraque cum per aliquot annos uiguisset, inclinare tum primum cœpit, cum tribuni pl. creati sunt. creatos autem culpa senatus, historiæ declarant. nam, si prima repetere, &, quæ cuique rei caussa sit, placet animo perquirere: tribuniciam potestatem, quæ deinde senatus opes fregit ac debilitauit maxime, ipsius uitio senatus Romæ constitutam, facile constabit. Quid igitur? an tu, dicet aliquis, senatum reprehendis, quia tribunos pl. creari passus sit, cum plebs eum magistratum non iam uocibus posceret, sed armis extorqueret? an amplissimum ordinem, quia permiserit, quod recusari sine reip. præsenti iam periculo non poterat, imprudentiæ condemnas? Ego quidem minime: habeo enim rationem necessitatis; cui pare-

re,

re, ſapientis ſemper eſt habitum. Seceſſerat armata multitudo in Sacrum montem: flagrabat ira, et odio in ordinem nobilium: auaritiam, ſuperbiam, crudelitatem ſenatus accuſabat: ſe bella gerere, urbes capere, pro patria ſanguinem effundere, mortem obire clamabat: pro his meritis inopiam, & iniurias pati: ſenatum commodis frui, ſenatum honoribus abundare: plebem ſeruire, quæ, ut ceteri liberi eſſent, quotidie ſua corpora hoſtium telis obijceret. quem non mouerent huiuſmodi querelæ? quem non terrerent, cum ij, qui hæc querebantur, alij pila, alij gladios manibus tenerent? recte fecit ſenatus: tribuniciam poteſtatem, a plebe flagitatá, conceſſit, non libenter, ſed, ut impetum ſedaret, maiorem temporis, quàm ſuæ uoluntatis, rationem duxit. hæc, ut dixi, recte, nec ſine ſummo conſilio: ſapiens enim cum neceſſitate non pugnat: at illud neque recte, neque prudenter; quòd, ut in eam neceſſitatem res deduceretur, ſiue negligentia, ſiue ſuperbia commiſit. occurri principijs oportuit, & nascentem peſtem extingui. nam cum omnes ciuitates, quæ ſuo milite bella gerunt, quotidianis prope ſeditionibus fluctuare neceſſe ſit: quo malo & ueterum memoria, & noſtra ætate florentiſſimas ciuitates occidiſſe conſtat: ſummæ difficultatis, ac diuinæ cuiuſdam ſapientiæ uidetur eſſe, ita rem moderari, ut conſiſtat; neque permittere, ut multitudini, quæ ſatis ipſa per ſe leuis eſt, ulla paullo iuſtior ad motum accedat occaſio. Erant in plebe Romana quam-

quamplurimi; quibus ære alieno obstrictis, unde soluerent, non erat. hi cum ad tribunal consulum, qui tum, non dum creatis prætoribus, de creditis pecunijs ius dicebant, a feneratoribus uocarentur; egestatem excusantes, & domesticas miserias ad eliciendam misericordiam commemorantes, tamen non audiebantur. magistratus nectendum feneratori debitorem tradebat, ut, quamcunque creditor uellet, seruitutem seruiret. iniqua, et homine prorsus indigna siue consuetudo fuit, siue lex. Tu mihi libertatem lege eripias, cum libertatis caussa leges constituantur? an ego ullam legem potiorem ea lege ducam, qua Deus, ut homo liberum animal esset, ac ceteris animantibus imperaret, æterno iure sanxit? pecuniam aufers: non relinquis, unde uiuam, unde liberos alam: fero: relinque libertatem; ut mercenario saltem opere ipse mihi, & esurienti familiæ uictum quæram. Cum his acerbe magistratus agebat; acerbius etiam feneratores; qui ciues Romanos, nexu uinctos, grauissimo seruili opere fatigabant, & nexorum in terga flagellis, ac uerberibus sæpe sæuiebant. Hic senatus miseris ciuibus consulere, caussam libertatis suscipere & potuit, & debuit, nexos e uinculis eximere, humanitatis fuit; diem soluendi laxiorem egentibus statuere, æquitatis; usuris modum facere, iustitiæ. hæc & facienda fuerunt; &, ut fierent, cum a patribus plebs, atque a consulibus frustra petijsset; ad extremum, ut homines desperatio præcipites agit, arma

ta

ta multitudo in Sacrum montem, tria millia ab urbe passuum, secessit. tum, ut plebeiorum animi, stimulis iracundiæ perciti, continerentur; senatus periculo territus, de creando plebeio magistratu, quia res aliter conuenire non poterat, assensit. itaque tribuni pl. primum quinque, deinde decem, creati sunt. ab hac radice ortum quidquid inter ciues discordiæ, quidquid seditionis, quidquid bellorum fuit. per annos quingentos, id est, usque ad exitium reip. tribuni pl. contra nobilium potentiam seditiosis concionibus uociferari, plebem ad noui commodi spem, ad noua incitare consilia nunquam desiterunt. specie libertatem tuebantur; re uera senatum oppugnabant. primo magistratus, deinde & sacerdotia plebi communicata. ad extremum is, qui solet, exitus consecutus est. nam plebs, ubi, quod paucorum erat, ad se transtulit, rursus id ipsum, quod multitudinis est, in unum confert. facit hoc inscitia, facit inopia, facit ea, quæ in magno numero semper existit, uoluntatum & opinionum dissimilitudo. ita popularis administratio, quæ maxime libertatis imaginem præfefert, occulte tamen, si spectemus exitum, tyrannis est: quoniam ex ea fere semper exoritur tyrannus: sicuti deinde ex tyranno status optimatum generatur. Huius mutationis exemplum satis illustre Roma est. primo, regum summa potestas fuit: deinde senatus, hoc est, optimatum, maior, quàm populi: tum populi maior, quàm senatus: postremo rursus unius maxima,

& singularis. populus enim C. Cæsarem extraordi
narijs imperijs auxit, eoq. extulit, unde, cum se
monarchiæ proximum esse homo acutus intelligeret, priuatam condicionem despexit; altiusq. maluit, ut humani mos ingenij fert, adscendere, quàm ad inferiora, quæ reliquerat, descendere. Neque uero me fugit id, quod a doctissimis uiris memoriæ proditum est; firmissimas illius reip. uires esse, & quæ non facile ab externis uiribus debilitentur, cuius non simplex, neque unius generis administratio est, sed ita mixta, ita temperata, ut in triplici forma unum consilium, unam quasi mentem significet. neque ego tum in ciuitate præclare agi negauerim, cum & unus, & pauci, & multi maximas res gerunt, nec tamen aut unus, aut pauci, aut multi præcipue dominantur. uerum, ut harum trium partium in suo quæque munere modum seruet, & ea, quam habet, potestate nunquam abutatur, ego quidem hoc fieri posse non arbitror. sunt enim hi tres ordines admodum dissimiles: et inter dissimilia perpetuus æquabilitati locus esse non potest. nam quémadmodum in musicis, quo plures chordæ percutiuntur, eo suauior concentus efficitur; quia uarius ille multarum fidium numerus, in quo summa discordia est, arte conciliatus, & ad concordiam perductus, incredibili quadam iucunditate aures, animumq. permulcet; sed hæc tamen iucunditas ideo breuis est, quia de multis fidibus aliqua statum remittitur, & discrepat: sic multorum ordinum administratio

uidetur

uidetur illa quidem esse omnium optima; quia quo longius ab unius imperio discediturr, eo propius ad libertatem acceditur; sed quia multis idem sentire difficile est, facile dissoluitur. quid autem ex dissolutione existat, multarum ciuitatum miserrimus exitus declarat, quare, cum sit necesse, ut de tribus potestatibus, quæ pares sint, aliqua aliquando se efferat, & reliquis duabus insultet: ante prouidendum est, ut ea unde magis hoc imminet periculi, quæq. ad temeritatem procliuior est; inferiorem locum obtineat, & reliquas duas neque dignitate, neque uiribus adæquet. quæ uero de tribus ea sit, quæ facilius insaniat, &, cum insanierit, cohiberi non possit, hic sine dubio populus est. qui ut inferiorem in ciuitate condicionem æquo animo ferat, ita fiet, si cum eo semper iuste, nunquam superbe, interdum etiam liberaliter senatus aget. tum populus nihil appetet, nihil molietur: nouos magistratus, nouas leges, noua imperia nõ desiderabit: libera seruitute libenter seruiet: putabit enim se nõ hominibus seruire, sed legibus. hæc si Romæ senatus initio cauisset; quiq. furentis multitudinis impetus, quæq. uis esset, mature cogitasset: non, ut cum seruis agi solet, ita cum ciuibus agi passus esset: nec ti liberos homines uetuisset: usuras, hoc est inopiæ causam minuisset: ipsam autem inopiam publica benignitate subleuasset. quæ quia non fecit, iccirco illa, quæ dixi, consecuta sunt, ex desperatione secessio, ex secessione tribunatus, ex tribunatu ordinum contentio,

ex contentione libertatis interitus. Primis temporibus omnia potuit senatus; medijs multa senatus, multa populus; extremis omnia populus. itaque et primis temporibus, & medijs florentissima resp. fuit, extremis facile concidit. nullum enim ius, nullam potestatem a senatu tribunorum temeritas non abstulit. Aerarij dominus per multa sæcula senatus fuerat. antiqua tamen iura tribunus pl. P. Clodius neglexit, lege lata, qua Pisoni, et Gabinio cos. simul cum prouincijs pecuniam, quantam uoluit, de publico dedit. Senatus lege Sempronia consulares prouincias proconsulibus decernebat. decretas tamen idem Clodius abstulit, Vatinij scilicet tribuni pl. improbitatem imitatus; qui anno proximo C. Cæsari Galliam Cisalpinam cum Illyrico, inuito senatu, sua lege dederat. Legati etiam ex auctoritate senatus deligebantur. Vatinius immutauit, & ipse sibi sua lege legationem detulit. Ipsa comitia quodam modo senatus in potestate fuerant: quia magistratum non gerebat is, qui ceperat, nisi patres auctores essent. hoc quoque amissum, nec fieri iam solere, Cicero significat in oratione pro Plancio. Triumphum a senatu petere imperatores e prouincia redeuntes diu consueuerant. inuentus est, qui, cum senatus triumphum negasset, ad populum confugerit, &, populo iubente, triumpharit. Qui poterat ea resp. consistere, & ad interitum non ruere, in qua, quod senatus improbabat, populus iubebat; quod decernebat senatus, infirmabat populus? ius

enim

enim intercedendi tribuni pl. habebant: quo iure, ne senatus consulta fierent, impediebant. at, impedire iussa populi si senatus uellet; non erat, ut tuto posset. ilico enim, incitantibus tribunis, erumpebat seditio, ilico uis, ilico cædes. cuius periculi metu sæpe senatus iniquissima tulit. nam, ut omittam alia, quæ sunt huius generis sexcenta, regna ipsa sine senatus consulto barbaris hominibus ex tribunorum pl. libidine esse donata, scriptum est. quæ licentia cum retineri uon posset, eo progressa demum est, ut omnia perdiderit. nec dissimilis erit euentus, quacunque in ciuitate pares cum senatu uires populus habebit: non quòd, ubi æqualitas est, ibi recte non sit: sed quòd, ubi ad æqualitatem populus peruenit, diuturnam esse non patitur. Quare, cum ex duorum ordinum æqualitate statim oriatur inæqualitas; æqualitati perniciosæ tutam inæqualitatem antepono; et eum ordinem præesse rebus malo, qui potestate minus abutitur, quàm eum, cuius potestatem summa statim licentia, summa temeritas consequitur.

MARIO NIZOLIO, Parmam.

EPISTOLA tua, mi Nizoli, ut amici hominis, ac uehementer amandi, summa me uoluptate affecit, ac meam uehementer incendit cupiditatem Parmam adeundi: non quòd urbs, aut ur-

bis ornamenta, me moueant: (alij hoc mirantur, apud me uulgaria sunt) sed aueo incredibiliter ueterem meũ, meum dico? immo uero litterarum ac studiosorum omnium, ipsumq. litteris excellentem, Alexandrum Farnesium Cardinalem salutare: quem cognoui Romæ & colui puerum adolescens, eximia iam tum indole præditum, & earum laudum principijs, quas deinde auctus ætate simul & iudicio perfecit, magna omniũ exspectatione florentem. quo quidem tẽpore uehementer urbs ipsa excitauit me atque acuit in studio liberalium disciplinarum, adspectu ipso antiquitatis, & multiplici ac uaria hominum eruditorum scientia: sed, ut ingenue uereq. fatear, proprie me expoliuit aula Farnesii moribus, ac litteris; cum uiuerem coniunctissime ac familiarissime cum duobus præstantissimis uiris, Marcello Ceruino, & Bernardino Maffeo: quorum alterum Pontificem maximum, alterum Cardinalem, utrunque immortalitate dignissimũ, aduersa bonis artibus iniqua mors eripuit. Quare, quòd me Parmam uocas, & multis uerbis inuitas amantissime, non me litteræ tuæ sopitum excitarunt, sed currentem potius, ut aiunt, incitarunt. quod utinam cum uoluntate cetera congruerent: iam iamq. uobiscum essem. sed uides anni tempus: uides itinerum difficultatem: scis, quàm imbecillo sim corpore, quàm tenui, & ad incommoda, iniuriasq. cæli perferẽdas parum apto. timeo etiam a militibus; a quibus otium non est: excurrere enim

dicuntur,

dicuntur, & prædas facere. non igitur ueniam, cum a nobis unius diei uix absim interuallo? ueniam, opinor; quæq. aduersantur, & impediunt, cõtemnam omnia. uolo omnino meis oculis, Farnesio uidendo, satisfacere: uolo hanc a me ipso gratiam inire, & salutationis officio, expetito sane, ac debito, perfungi. Te uero, optime, ac doctissime Mari, cuius consuetudine & sermone careo multis abhinc annis, quem mihi tamen ex animo nunquam eripuit neque tempus, neque longinquitas, quo studio complectar? quantam hauriam, cum præsens præsentem alloquar, uoluptatem? dilexi equidem, a quo primum die te cognoui, tuos mores, tuam naturæ comitatem, ac suauitatem: doctrinam uero, ingenium, industriam suspexi semper, extuliq. laudibus ad cælum: nec iniuria. nam si, Romanæ linguæ studium colere, & illustrare, laus est: quis hoc te uno aut curauit studiosius ætate nostra, aut cumulatius præstitit? ego ipse, quem tu esse aliquid uis in hac latine scribendi facultate; in quo uereor ne te fallat amor: nam iudicium in dubium uocare non debeo: sed, si quid sum, quadam ex parte de tuo fonte fluxi. thesauros enim Ciceronis omnes, in illo præclaro tuarum obseruationũ libro congestos, reperi; & usus sum facile: quos colligere dispersos, immensi laboris fuisset, ac temporis. Laudas igitur beneficium tuum, cum me laudas, & quodam modo præmia capis meritorum tuorum. De loco in oratione pro Sextio, disputas erudite: nec a iudicio

tuo mea discrepat opinio. quiddam tamen supereſt, quod me leuiter pungat. qua de re cum erimus inter nos collocuti; uel ego tuam ſententiam, ut ueram, uel tu meam ſequeris gratiæ ſaltem cauſſa. Vale, et Farneſio Cardinali, ſimulq. Antonio Mirandulæ, Epiſcopo uni omnium doctiſſimo, atque humaniſſimo, meis uerbis ſalutem plurimam dicito. Aſulæ.

SILVIO ANTONIANO, Ferrariam.

ACVTE *admodum, mi Silui, nec minus amanter ſcribis. ego autem in amore facile poſſum tibi reſpondere, planeq. reſpondeo: ingenij ſigna, prædico tibi, ne prorſus ulla meis in litteris exſpectato. non ſoleo fere ſtudioſius epiſtolas elaborare: primum, quia, ſi quid ſcribitur ad familiares, plane familiariter agendum puto: odi illa nimis ambitioſa, conſtructa uerbis, et ſentētijs exquiſitis: deinde, quia ne ſi uelim quidem in epiſtolis agere accuratius, relinquitur ut poſſim. urgeor quotidianis amicorum ſalutationibus: negotijs, et rei domeſticæ cura pæne opprimor: oculorum uero ualetudine ſic interdum uexor, ut nullam partem capiam quietis. quare male merearis de amico tuo, Silui, ſi uelis ei, tam ualde occupato, tam grauiter affecto, diligentiæ onus imponere. imitetur epiſtola ſermonem, excurrat libere, nullis adſtricta legibus, &*

ſuauem

suauem quandam, perfecta non indignam amicitia, negligentiam præseferat. alioqui officium scribendi, sæpe inter absentes necessarium, gratum quidem semper, iniucundum & graue nimis accurata reddet industria. Quòd me ornas laudibus; non efficis ut ipse mihi placeam, aut assumam plus, quàm soleo: tueri placet modestiam meam: id assequeris, ut me tibi deuincias magis, cuius ex amore fluere ista uideo, nimis in me honorifica, præclara, singularia: quæ optaui equidem semper, assecutum me nunquam putaui. sed uidelicet, affingere ueritati, uobis poetis religio non est: idq. facitis libenter; ne, consuetudine intermissa, quodam modo uestra iura minuantur. me tamen, si poetice scribis, artificium tuum, sin, ut scribis, ita de me sentis, error etiam delectat. hæc enim me tibi commendat opinio, & amorem augeat necesse est: foris etiam, ut spero, fructum pariet. nam meis laudibus, tuo commoti testimonio, quem excellere ingenio, florere magnorum Principum gratia constat, non pauci fortasse assentientur. quòd utinam, id quod in meis consilijs erat summum, Ferrariæ mihi uiuere, Principiq. egregio, & optimo Cardinali, Hippolyto Estensi, in illa nobilissima præclaris referta uiris aula, operam nauare per ualetudinem licuisset. næ ego te, singulari uirtute adolescentem, ita meis studijs, & officijs essem complexus, ut nemini prorsus tuorum familiarium, ne Riccio quidem ipsi, apud quem filii locum obti-

nes,

nes, in te amando concederem. Quid, inquies, si te, depulso morbo, confirmares? Tunc quidem nihil esset mihi mea fide potius: starem promissis: officio non deessem: omnis mea uoluntas, omnia studia, omnis industria unum spectaret Hippolytum Estensem, ab unius nutu, imperioq. penderet. uerum ut hæc aliquando esse percuperem, ita, ne futura nunquam sint, ualde metuo: nunc quidem certe nullo pacto esse possunt: iaceo enim, sicut hieme soleo, & langueo miserrime: nec mihi cæli mutatio profuit: nec nouis remedijs locus est; quæ iam omnia frustra consumpsi: uno tamen bono mea mala compensantur, quòd etsi uires corporis magna ex parte, ingenium tamen, qualecunque est, uis morbi minime debilitauit, aut fregit. itaque singulis noctibus aliquid scribo, aut legenti puero aures præbeo. sic assequar fortasse, ut, qui me non uident, carentem publico, & communi luce, uiuere tamen intelligant, atque ita uiuere, ne quando cum alijs plane totus extinguar. Tu fruere, optime Silui, ista ualetudine, & isto otio: cum illa tibi naturæ munere satis firma contingerit, hoc habeas tui Principis liberalitate uberrimum. Vale. Venetijs.

BARTHOLOMAEO RICCIO, Ferrariam.

VERA narras, optime Ricci, atque ita narras,

ras, ut in magna tuarum litterarum prudentia facile tamen amor interluceat. Mihi, ut scribis, condiciones hoc biennio delatæ sunt multæ, quinque fere, aut sex, omnes cum emolumento, nulla sine dignitate. fecit tamen siue ualetudo mea, siue uoluntas, seu fati potius, quæ in rebus humanis dominatur, occulta quædam uis, ut omnes reiecerim. hanc postremam, ut dederem me summo Cardinali, Hippolyto Estensi, unam auide sum complexus, unam omnibus anteposui: nec est in meis consiliis quidquam antiquius, quàm ut in illius aula, eximij Principis, ac uiri præstantissimi, consenescam. quare, quod hortaris, ut ad uos quamprimum me conferam; non efficis, ut cupiam; qui cupiditate iam ardeam; dolorem potius auges; cum intelligam, quod maxime uolo, id me consequi, hoc quidem tempore, minime posse. nam, ut omittam, quòd hæc me frigoris acerrima uis, et intemperies cæli semel aut iterum cubiculo egressum pessime accepit, & in eadem claustra, in eadem, ubi multis iam mensibus iacui, tenebras retrusit: præterea pietas me retinet. Fratres habet uxor mea duos: quos ego ambos unice diligo: contraq. ipsi mihi singularem non modo beneuolentiã, uerum etiam obseruantiam præstant. probi sunt adolescentes, ingenio, modestia, uirtute etiam ornati, una re minus laudandi, quòd inter ipsos parum conuenit. orta est inter eos post obitum patris de hereditate dissensio: inde lis, inde odium. quòd

nisi

niſi ego me interponerem; niſi utrũque prenſarem, rogaremq. per parentis manes, per ſolitudinem matris, per exiſtimationem familiæ: conflictarentur aſſidue turpibus iudicijs, graui iactura famæ, magno rei familiaris detrimento. hoc ego dum uerſor in negotio; dum in eo ſtudium, operamq. pono, ut uxoris meæ fratribus conſulam: putem mihi eſſe uerendum, ne quis me, ſana præditus mente, reprehendat? non puto. non igitur hoc, te iudice, pertimeſcam. hem Ricci, qui ſacris in litteris non ambitione, ut multi, ſed ita uerſatus es, ut ſcientiam, è libris petitam, uita exprimeres; quæ ſunt illa præclara, quæ nos ille bonarum actionum magiſter optimus edocuit? non hæc ſunt, egentibus ſubuenire, errantes in uiam, diſſidentes ad concordiam reuocare? ama igitur me de hoc officio. non poſtulo, ut laudes. iam enim didici, uel ætate doctus, uel morbo admonitus, recte factorum fructum a Deo potius, quàm ab hominum iudicijs, exſpectare, omnemq. laudem non in honore uerborum, ſed in ipſa re, atque in una uirtute conſtituere. Vides iam duas eſſe commorationis meæ cauſſas, utranque ſatis grauem. accedit tertia, ne ipſa quidem leuis, ut imprimam librum meum de legibus Romanis; quem poſcentibus multis debere iam diutius uix poſſum. eoq. magis in hanc uoluntatem incubui, quòd inſcriptum opus Hippolyto Cardinali, cui me addixi totum, emittetur. ac, ſi quid in poſterum ingenio, ſi quid litteris conſequar, ad unius

arbitrium

arbitrium refero: unius laudem mea studia spectabunt: uni posthac mea seruiet industria. Tu, mi Ricci, fac tibi ita persuadeas, amabiliorem mihi Ferrariam fore tua caussa. tuis enim sermonibus, tua humanitate, tuo lepore frui, interruptamq. multorum annorum consuetudinem licebit aliquando resarcire. quod ut sit maxime diuturnum, opto uehementer, &, ut tu amantissime auguraris, etiam spero. Vale. Venetijs.

ANTONIO AVGVSTINO, Romam.

ACCEPI tuum Varronem, missum ab Octauio nostro, delatum a Læuino. quid quæris? te dignus est. quòd si operam eandem posueris in Festo; plurimum tibi Romanæ litteræ debebunt. aggredere. quid enim tibi non succedet? qui, (ut omittá illa, quæ pleno iam theathro spectata sunt, ingenium, iudicium, doctrinam) quantus quantus es, totus labor, totus industria es. ac mehercule proprias tibi ego agam, atque habebo gratias. nam, quem in eo libro emendando laborem suscipere cogitaueram, quem fortasse, & alijs pressus oneribus, & natura, ac ualetudine imbecillus, non ferrem, eo me leuabis. Vale. Venetijs. Egregio iurisconsulto, Pyrrho Taro, ueteri mihi necessitudine coniuncto, tui perstudioso, salutem plurimam.

Eidem

EIDEM, Romam.

EGO uero & scripsi iam, nisi me fallit memoria, satis aperte: & nunc, quando tibi ita placet, iterabo eadem libentissime. Lapides, aut nummos, si quos habes, in quibus mentio fiat legum Romanarum; eos si nobis impertieris, habebo gratias, tuumq. etiam beneficium ipsa fortasse, me narrante, posteritas audiet. tabulas uideor mihi legisse Romæ nescio quas: sed neque tum descripsi; qui magni non facerem ea, quæ nunc quidem tanti puto, nihil ut potius mihi sit: neque uero, quo in loco, aut apud quem eas legerim, satis nunc in memoriam reuocare possum. quare ad te confugio, uniuersæ arcam antiquitatis, arcam tamen eiusmodi, quæ pateat amicis tuis, hoc est bonis uiris: quo me in numero quia esse uis, triumpho. Alexander autem tuus facile nostrũ artificio uincet. tu enim excellis: at nos quid sumus? aliquid fortasse, si cum alijs; nihil certe, si tecum Augustine comparemur. Plura nec possum, quòd eram occupatus: quanquam hoc quidem quotidianum est: nec debeo hac in re, quam tibi non solum amicitia nostra, uerum etiam litteræ ipsæ, quibus tibi scio nihil esse carius, etiam me tacente, magnopere commendant. Vale, & Siluestrum Aldobrandinum, uirum excellentem, meum perueterem amicum, nisi graue est, saluta meis uerbis plurimum. Venetijs.

Eidem

EIDEM, Romam.

NISI quis casus meis consilijs occurrat, editionem cogitabam eius libri, quem de legibus Romanis quinquennio ante a me conscriptum, debere diutius multis flagitantibus non possum. ad hunc librum quantum ex antiquis lapidibus accedere possit ornamenti, præclare intelligo. porro, tu is es, qui hoc in usu, atque hoc in genere scientiæ, tum quia Romæ uiuis, tum quòd in studijs totus hæres, pæne solus excellas. quanquam hoc in tuis laudibus minimum est: alia sunt in te, quæ ego non desino prædicare, aut sane paullo præstantiora: quæ non est hic commemorandi locus, ac ne significandi quidem; ne tu me nimium esse blandum, &, quasi tuæ dissidentem humanitati, ad hoc artificium confugisse existimes. peto igitur a te, atque etiam rogo, (quanquam hoc uerbum amicitia nostra, tuaq. maxime bonitas respuere uidetur) si quid habes, quod ad leges Romanas pertineat, e libris excerptum, & ueterum lapidum, aut etiam nummorum obseruatione collectum, id mihi ut impertias. bene mereberis de litteris, uel potius bene de te meritis gratiam referes: quandoquidem earum ope, ac merito tantus es: bene etiam de me ipso; cuius laudi pro nostra necessitudine, meoq. erga te studio singulari, debes uelle consulere. quanquam hoc ego certe nõ admodum specto: ambitionem enim pæne habeo

in

in extremis: prima mihi est, omniumq. rerum antiquissima publica studiosorum hominum utilitas: quò mei labores intenduntur, mea, quæcunque est, dirigitur industria. excute, si me amas, atque euolue funditus illa tua scrinia, in quibus conditi rerum antiquarum thesauri asseruantur. nemo enim, si possessio litterarum diuitiæ sunt; quod homines eleganti iudicio, sanaq. præditi mente opinantur; nemo, inquam, optime Augustine, te ditior est. nec de tuis copijs multum imminues, si, quod futurum speramus, inopiæ nostræ subueneris. qui si etiam nobiscum plurima communicares; multo id tamen, quod dares, minus esset, quàm quantum tibi, libris assidue tractandis, quotidie quæritur. uerum modeste tecum agimus: petimus a te minima de maximis: itaque facile impetrabimus. Vale. Venetijs.

EIDEM, LEGATO PONTIFICIO, Viennam.

Qvia mihi honore tuo nihil est antiquius, propterea non mediocrem cepi lætitiam: tibiq. sum absenti gratulatus, quo primum tempore de legatione tibi delata ad Romanorum Regem, tum ex amicorum litteris, tum ex multorum sermonibus cognoui. illud, ut uere dicam, molestiæ non nihil adsperſit, quòd ueritus sum, ne nostræ litteræ, quibus,

bus, cum in urbe uiuis, tua studia splendorem, & utilitatem addunt, te discedente, & in Austriam usque, ad longe diuersum uitæ genus translato, iacturæ plurimum facerent. quod, si, secus esse, significaueris: (iam enim uersaris in ipsa re; quæq. tua futura sit in uniuerso fere munere occupatio, usus te monere, & erudire facile potest) cumulabis mea gaudia, & habebo gratiam ijs, quibus honestare tuam uirtutem his honoris insignibus, nullo nostro, hoc est artium, doctrinarumq. liberalium, detrimento, curæ fuit. Ac primum illud, pro meo incredibili erga antiquitatem studio, etiam atque etiam a te petam, uel potius, quando pollicitus iam es, a te exigam, ut Festum Pompeium tua emendatione perpolias, atque illustres; aut, si habes ita emendatum, ut tibi, acerrimi, ac seueriſſimi iudicij uiro, satisfaciat, edendum omnino cures, neque deberi nobis eam utilitatem diutius patiare, quam, cum in illo uere aureo libro dispersam uideamus, colligere tamen uix possumus, uel plane nullo modo possumus, locorum, ut scis, pæne innumerabilium difficili scientia impediti. bene collocabitur industria tua: et hunc sibi comitem adiungi, ne solus eat per ora uirum, Varro tuus æquo animo patietur. rogandus non es in tua laude, communi præsertim studiosorũ cõmodo coniuncta: ut, si de illa non laboras, hoc saltem commouere te debeat. quòd utinam aut mihi cum hac mente pars aliqua doctrinæ tuæ, aut tibi mea mens, et plane incredibilis

dibilis ad communicandam uirtutem animi propen
sio, cum ista tam exquisita, tamq. multiplici om-
nium pæne litterarum scientia contigisset. næ ego,
quod ad me attinet, multa non sinerem ignorari,
quæ scire præclarum est, quæq. in tenebris, nisi tu
eruas, perpetuo iacebunt. nec tamen persuadere
mihi possum, te uelle nobis tam iniquum esse, ut
tantam doctrinam, si quid tibi accidat humanitus,
(homines enim sumus: nec ego mihi, nec tu tibi de
uitæ diuturnitate præstare quidquam possumus)
extingui tecum uelis. Quid ea, quæ chartis iam, &
uoluminibus explicasti? cur diutius premis, optime
Augustine? cur ex ingenij tui fontibus expleri no-
stram sitim non uis? sed, opinor, aliquando facies:
& faueo libenter meæ spei, paullo minus, quàm
tuæ gloriæ; cui scio me optime consulere, cum hæc
ad te scribo. De me si quæris: uexamur oculo-
rum anniuersario morbo: nec tamen labori par-
cimus: scribimus aliquid quotidie, aut legenti pue-
ro operam damus: aliquo fortasse ualetudinis dam
no: sed nihil est tanti, ut a litterarum suauissima
consuetudine seiungar. Onuphrius Panuinius, il-
le antiquitatis heluo, spectatæ iuuenis industriæ,
et ingenio, ut probitate, præstans, hic est, eritque,
ut uideo, in aliquot menses. imprimit suos Fastos
cum commentarijs; & interim adornat alia. sæpe
litigat obscuris de rebus cum Sigonio nostro: sed u-
triusque bonitas, mutuus amor, excellens ad co-
gnoscendum ueritatem iudicium, facit, ut inter eos
facile

facile conueniat. Sigonium de facie non nosti: eius tamen scripta, non dubito, quin legeris. ea doctrinam, & ingenium declarant: humanitatis, & studij erga te, tuique similes testis ego sum: quem debes ipsum suo merito, præterea tuæ præconem eruditionis, diligere. Vale. Venetijs.

EIDEM, Romam.

VBI te ad urbem redijsse cognoui, uehementer sane, pro meo erga bonas litteras perpetuo ac singulari studio, sum lætatus. te enim absente, silere mihi prorsus Romanæ musæ uidebantur. Scripseram ad te superioribus diebus; easque litteras ad aulam noui Imperatoris miseram; quas acceperis, nec ne, cupio scire. appellabam te, quod iam promiseras, de Festo cum tuis correctionibus diuulgando. de quo nunc eo magis urgeo, quia, nisi fallor, spatij plus habebis. aggressus ne sis, & quousque opus perduxeris, ac de perpolitione quid speres, si ad me scripseris, rem gratissimam facies. simul illud: si quid, quod ad ius Latij pertineat, aut obseruasti, scriptum a ueteribus, aut ingenio tuo, quo uales plurimum, consecutus es. nam Latinos reliquis omnibus socijs antecellere, satis constat; quo autem iure, quibus honoribus, & commodis, adhuc quæro. &, ut non nulli ex Liuio, alij ex iure ciuili, quæ rem aperire uideantur, in medium afferant: nihil tamen intelligo esse ita firmum, ut in

eo possit cogitatio consistere. quod tu fortasse præstabis. Vale. Venetijs.

BENEDICTO RHAMBERTO, rusticanti.

SVADEBAM, *ut exires; quòd ægrotans, quantum esset in cæli mutatione, cognouissem: nùc idem angor, te profecto: neque me congressus, neque sermo cuiusquam iuuat: solus, ut in litore, oberro. quin etiam, etsi scio quàm sis prudens, & in omni re moderatus: tamen, ut est amor solicitus, offensiones in te omnes timeo. commune omnium est, ut rure, ueluti quandam uiuendi licentiam nacti, liberius agamus. amabo te, mi Rhamberte, noli istam consuetudinem imitari, serua tuam uetere m in urbe continentiam. et quoniam mihi, ut sæpe tecum locutus sum, aduersus non dissimilem destillationem præsens auxilium fuit exercitatio: te quoque ipsum, nisi fallor, hoc uno maxime senties alleuari; si modo hoc tenebis, ut meridianum in solem ne te committas, multo uero minus in uentum, qui sit inclementior. nam etiam sunt auræ quædam leues, quarum spiritus non modo non hominum generi noxius, sed etiam uitalis: & ego, has sæpe ultro secutus, sensi languentes in me uires earum quasi flabris excitari. Sed o Rhamberte, audi me hoc uerissime monentem. nihil agis, nisi iucunde ui uas. si uis te tibi restituere; des te ad hilaritatem oportet,*

oportet, & ex animo tuo dispellas, si qua tristium cogitationum residet nubecula. Hanc esse præstantissimam medicinam, uel potius unam esse medicinam, me quidem, superioribus temporibus eodem morbo laborantem, docuit euentus. quare te rogo, ut pro eo, quanti ipse tibi es, quantiq. etiam nos apud te sumus, quorum salus in tua salute posita est; des operam, ut ueterem morbum noua ratione cures, & aliquando istam turbam medicorum malam in crucem iubeas abire; qui te pharmacis non solum diuersis, sed etiam contrarijs integrum iam annum lacerant, dum latentem in obscuro ueritatē tuo periculo quærunt. Vale. Venetijs.

MARIO CORRADO, Brundisium.

DEBEO tibi, mi Corrade, tot iam nominibus, prorsus ut non uideam, qui soluendo esse possim. scripsisti ad me sæpe: tantum ne? sunt alia: humanissime, elegantissime: laudes in me contulisti eas, quas si agnoscam, ipse me nimium uidear amare. tibi tamen habeo gratias de ista tam liberali, tamq. erga me prolixa uoluntate; eamque, si gratus, id est si uir bonus esse uolo, ut certe uolo, puto mihi esse inter summa beneficia collocandam. itaque, cum te nunquam uiderim, fero tamen in oculis: &, quanquam habeas, qui te talem diligant; quos necesse est esse quamplurimos; ego tamen pri

mas in amore partes appeto, secundis non libenter acquiesco. non soleo blandus esse, nec auribus dare, quod negari possit ueritati. quare uelim mihi credas affirmanti; neminem me tibi Latina in oratione anteponere, conferre paucos. hoc ego ita iudico: nec tu meum iudicium in dubium reuocare debes; cum mihi iam in epistolis tuis tantum in hoc genere tribueris. unum doleo, tuam istam latere uirtutem in extremo Italiæ angulo, neque in hac luce uersari, fructumq. capere laudem eam, quæ tibi debetur, iudicio, ac testimonio præstantium uirorum. quòd si te cohortando possem adducere, ut de migratione cogitares: aggrederer, & in hanc rationem totus incumberē: uerum neque mihi de statu rerum tuarum constat; et si cohortatione moueri potes, ipsa te res, nequaquam tibi, ut, opinor, obscura uel me tacente debet incitare. Quod scire uis de meis antiquitatibus, hæc sunt. Liber nunc imprimitur de legibus: quem, cum erit absolutus, curabo ad te perferendum. sequetur, de ciuitate, aut, de comitijs; tum reliqui libri; ut extrema cuique manus imponetur. sunt enim omnes decem; nec mihi ordinem in edendo præscripsi. Edidi iam commentarium in orationem pro Sextio, & proximis diebus in epistolas ad Brutum, & ad Quinctū fratrem: quem tibi nunc utrunque mitto, munusculum uidelicet, ut ait ille noster, leuidense: sed rem uoluntate metieris. maiora uellem, & fortasse possem: uerum infirmitas corporis facit, ut labore

re debiliter; lippitudo autem, ne legere diutius liceat, aut scribere. magnam etiam mihi temporis partem eripiunt salutationes amicorum, magnam domestica negotia: sexcenta præterea, quæ me a studijs auellunt. sed feramus: humana sunt, nec præcipue nostra, sed communia cum multis. Tu me, uelim, ames, &, si par pari referre uis, amore non uulgari. Vale. Venetijs.

FABIO STELLAE, Brixiam.

Cvm tu ad me, Fabi, quem de facie non dum nosti, adductus humanitate epistolam miseris tam elegantem, distinctã notis non amoris minus, quàm ingenij: ferreus sim, ni te, patremq. tuum sic amem, ut amare solemus ea, quæ nobis in uita prima sunt. sed quid, si me ipsum etiam uestra caussa plus amem? quid enim? cum ego me a parente tuo, magni nominis uiro, summis uirtutibus ornato, diligi uideam, a te uero etiam laudari, excellentis ingenij adolescente, optime ad uirtutem animato; non ipse mihi pluris sim? non gaudeam haberi a uobis, qualis esse semper uolui, &, ut essem, laborauí; sed uoluntati exitum respondisse nunquam duxi? Equidem cum natura sum, tum ualetudine, et morbo subtristis; nec ad hilaritatem facile traducor: tuæ tamen litteræ, patrisq. tui, uix credas, quid animo meo iucunditatis instillarint, qua uoluptate,

qua lætitia perfuderint. itaque officij uestri memoria sustentor; eaq. sic fruor, ut beneficijs omnibus anteponam. quòd utinam adire ad uos, ac studio uestro satisfacere liceret. nihil esset optatius: et esset iter Pastorio comite iucundius. uerum nescio quo fato contigit, ut, quo primum huc die perueni, cum tota pæne familia cœperim ægrotare, uxor quidem grauissime; nec dum ualet; ego satis leuiter, sic tamen, ut iaceam. corpori enim imbecillo quæuis incommoditas uix ferenda. quamobrem, affectus morbo, a uiribus infirmus, equo me non audeo rem committere, uel placidissime incedenti. lecticam, inquis, mittemus. hac equidem ueherer commodius: sed, mi Fabi, hoc genere deliciarum mei ordinis homines uti non solent: ad fortunatos pertinet. itaque differam per aliquot dies, quoad uires colligam, id est, quoad equo, aut etiam cisio liceat uti. equos quidem hic, quales infirmitas nostri corporis requirit, id est qui alterno gressu crura molliter explicent, quos gradarios antiquitas appellabat, facile possum inuenire: sed insolentiam huius cæli non nihil metuo: cisius autem, uereor, ne succussu lædat. omnia tamen, ut uideo, moderabitur humanitas uestra. Vale, et patri tuo, præstanti uiro, multam salutem meis uerbis. Asulæ.

EIDEM, Brixiam.

Agnosco tuis in litteris & patris tui, summi uiri, singularem humanitatem, & Pastorij nostri,

nostri, hominis integerrimi, nec eloquentia minus, quàm doctrina, præstantis, egregiam disciplinam. et cum ego te propter illos diligam: (est enim, ut scis, uterque mei, & ego item utriusque amantissimus) tum uero ad meam in illos beneuolentiam, quæ summa est, non nihil tamen tua caussa uidetur accedere. Patet, atque elucet in epistola tua pudor ille, ingenuo dignus adolescente, qui maxime commendat ætatem: patet etiam, quo fit pudor amabilior, plusq. sibi gratiæ conciliat, ingenium. quæ perspexeram equidem in te, ac laudaueram, quo tempore diuersatus Brixiæ sum in ædibus uestris, exceptusque, & cultus a parentibus tuis omni genere officij: sed nihil præstantius, nihil admirabilius, quàm laudis in adolescente perpetuitas. primum enim lubrica ipsa ætas est; nec reperitur facile, qui consistat: deinde, tenduntur sæpe bonis, quibus capiantur, insidiæ: & multa sunt ad deprauandum parata, improborum consilia, æqualium exempla, uoluptatum illecebræ. hæ sunt illæ Syrtes, quibus incerto cursu nauigantes absorbentur: hæc illa saxa, quò salutis cum aperto discrimine impingitur. nec uero, poetas, cum & hæc, & huius generis alia cecinerunt, simpliciter locutos, uelim existimes. utuntur similitudine rerum, quæ subiectæ sensibus sunt, ut animos erudiant, moribusque nostris, ac famæ consulant. itaque sapientem appellarunt eum, qui maris pericula, uoragines, & scopulos, & dubijs agitata uentis loca uitauisset, atque illa per-

perdendorum hominum auida monſtra, uirginum facie ſimulata, prædulciq. cantu blandientia, contempſiſſet. quæ ſunt omnes, mihi crede, imagines humanæ uitæ: qua nullum eſt mare difficilius, & in qua, niſi rationis quaſi gubernaculo regamur, quàm facile fluctuemus, quàmq. multa, & quam grauia rei familiaris, exiſtimationis, ac uitæ naufragia contingant, ſi te propter ætatem non dum uſus docuit, diſce a libris, uel diſce a parente tuo, ſpe ætatæ ſapientiæ uiro; qui ſe ex hac tempeſtate tan quam in portum recepit ſacrarum litterarum; quodq. habet a foro, quod a publicis muneribus otij totum id in theologia libentiſſime conſumit. quem tu imitaris, ut audio, ſi minus in ſtudio doctrinæ, at in uoluntate, in moribus, uitæq. inſtituto. contemnere te aiunt, quæ ceteris ab adoleſcentibus cum uoluptate fiunt: abhorrere a luſu, uenatione, curſu, alea: leuia ducere hæc, inania, indecora, turpia: deditum eſſe litteris, uel quibus ad humanitatem informamur, uel quibus ad excellentem liberalium diſciplinarum cognitionem aditus aperitur: maxime uero ſolitum ea meditari, & curare diligenter, quibus æternæ uitæ ſalus comparatur. diuina ſunt hæc munera, mi Fabi, non a nobis profecta, aut elaborata, nec omnibus impertita. tibi contigit, ut ita ſentires, & ita uelles: habe gratiam Deo, qui te tantis in tenebris, atque erroribus præcipuo quodam lumine illuſtrauerit. alijs non idem contigit: mirari noli, neque cauſſam quære. abdita ſunt, nec

hu-

humanis comprehensibilia mentibus arcana cæli. Stet illud modo, nihil usquam fieri, nihil euenire aut insciente, aut nolente Deo: quæq. ille uult, & quæ permittit, ea nequaquam reuocare ad nostrum iudicium debemus, neque, recte ne fiant, an secus, interpretari. Et omnino uelim te, cum de diuinis rebus cogitas, minuere opinionem scientiæ, demittere animum, ac mentem, unamq. putare certissimam doctrinam, pietatem in Deum, aut beneuolentiam, & studium erga illos, qui nobis a Deo commendantur. Quæ non dubito quin sæpe ita cogites, ut credas: nec te ita puto credere, ut re ipsa non præstes: cum te omnes ita uiuere confirment, ut a tuis moribus prorsus absit arrogantia. ueruntamen, si tibi laudo id, quod amas, & quod amandum existimas, non a te gratiam ineo? non hæc tibi licet, parum necessaria, iucunda tamen commemoratio est? Sequitur illud. ipse mihi satisfacio. nam, quæ laudatio uidetur, eadem, si attendis, cohortandi etiam uim habet. quo genere, pro mea in te beneuolentia, magnopere delector. Atque etiam in huiusmodi sermones ego soleo libenter ingredi; quia, si nihil aliud, ipse mihi fructum fero, dum ea tracto, quibus amore summi boni, studioq. incendor. Te autem, cum hæc legis, lætari oportet uel tua caussa, qui tuum intelligas iudicium nostra sententia comprobari; uel mea, quem sentire tecum uideas, & ijsdem gradibus parare adscensum ad ea, quæ quanta sint, ex eo conijcitur, quòd ipsa tantum spes tranquillitatem

quillitatem parit animis nostris, eosq. non a malis modo, sed a malorum quoque motu uindicat. Mactè igitur ista uoluntate, & isto sensu. mature uidisti, quis esset rectus ad gloriam cursus. sequere iudicium tuum: nec tamen contemne nos, si quando hortamur: & ipse nos uicissim, ubi languemus, hortare. sic erit mutua gratia: sic amabimus etiam magis inter nos, mutuo beneficio prouocati. Vale.

IOANNI BAPTISTAE PASTORIO, Brixiam.

Ego uero te, mi Pastori, tua caussa dilexi semper. habes enim, quæ tibi amorem concilient, doctrinam, & humanitatem. munera, quæ mittis, me tibi obstringunt magis, beneuolentiam in te meam augere non possunt. quæ enim a uirtute profecta sit, non his tanquam adminiculis nititur, sed consistit ipsa per se, eoq. iam processit, ut ad summum peruenisse uideatur. præsta te mihi, obsecro, qualem hactenus cognoui, amantem mei, & in amicitia constantem. munus hoc erit omnium munerum præstantissimum. quod ego, qui sim mei erga te animi ipse mihi conscius, quasi debitum exspecto. Vale. Asulæ.

Vincentio

VINCENTIO STELLAE, Brixiam.

SVPERIORIBVS *diebus, quo magis incitabar cupiditate ueniendi ad te, uisendæq. urbis, ut audio, pulcherrimæ, qui essem littteris & tuis, & filij tui, id est utrisque tuis, amantissime inuitatus; eo me reuocabat magis pudor meus; neque tam, quid tua permitteret humanitas, quàm, quatenus mihi per modestiam meam progredi liceret, cogitabam. ac sæpe mecum sic. An tu ad hominem, quem nunquam allocutus? quem ne uidisti quidem? adde: quem uirum, quàm nobilem, quàm grauem, quàm districtum magnis rebus? ego autem quis? infirmus natura semper, nunc etiam ualetudine impeditus, exquisita quadam ratione & cura tuendus. Contendebam equidem cum animo meo: nec uici facile, sed uici tamen aliquando, & decreui omnino ad uos primo quoque tempore me conferre. uereor enim, dum ualetudinis cómodum exspecto, & id ago, ut, quas morbus ademit, uires colligam, in hiemem ne incidam, id est in imbres, & frigora: quorum altero uiæ corrumpuntur; alterum scis esse* λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον. *nam illud in quo tibi fortasse, uel domesticis tuis incommoda re mea mollities, & paullo fastidiosior in uictu consuetudo potest, id non specto. aut enim exiguum quiddam erit, & feretur facile; aut, si magnum,*

illustrabit

illustrabit benignitatem tuam. Statutum igitur de re: nec est, cur sententiam mutem: uidendum de ratione itineris: quam tu ad meam uoluntatem, meumq. consilium, quæ tua est humanitas, tōtam reijcis. ego autem nihil puto commodius, nihil aptius ad uirium infirmitatem sustentandam, quàm lecticula gestari. Sed habet species illa, quod ad Fabium tuum scripseram, quiddam nimis honorificum: nec ego is sum, qui, quod superat fortunam meam, eo libenter utar. uerum ignoscetur ualetudini: quam satis infirmam, atque imbecillam, concussus et uexatio facile frangeret. cisio quidem, quo mearum bene perita curationum ancilla cum filiola & puero uehatur, opus est. hæc si habebo, uel potius cum habebo; (uis enim me a tua liberalitate omnia exspectare) dabo me statim in uiam, & ea quidem spe, ut aliquem e cæli mutatione fructum capiam, maximum quidem ex tua humanitate, quam cantari ab omnibus audio. Vale. Asulæ.

EIDEM, Brixiam.

Qvod ueritus sum, fieri uideo, ut imbribus madescat humus, & puluis in lutum coacta uias impediat, ac turpi fœdet adspectu. frigoris etiam acres morsus hoc triduo sentire cœpimus. quæ cum sint iter habentibus incommoda; tum uero, maiora ut timeantur, hiemis propinquitas facit: ut mihi uel mature, nulla interposita mora, ueniendum ad uos,

uos, uel totum consilium necessario abijciendum intelligam. febricula omnino tentamur quotidiana: sed, opinor, decedet, cum primum ex hoc me domestico mœrore ereptum statuam in tuis ædibus, id est in aliqua, ut spero, iucunditate, atque lætitia. iniurias autem cæli, lectica circummuniti, possumus contemnere. quamobrem, quod tuo commodo fiat, dabis negotium tuis, ut Saturni die, aut, qui sequetur, proximo, uehicula perducant. Lecticario mandetur, atque etiam aurigæ cisium moderanti, ne quid approperent, nisi me iubente; & omnino rationem itineris ad meam uoluntatem accommodent. hoc tu, scio, Stella, uel me non scribente, mandasses. nihil enim te præterit, ob eximiam prudentiam: nihil porro nō uis amicorum tuorum caussa, ob humanitatem prudentiæ parem. Vale. Asulæ.

FRANCISCO OTHOMANO, Argentoratum.

Ego uero, comprimi a te mea caussa librum tuum, minime uolo. quin, si ad me refers, ut edas quamprimum suadeo: rogo etiam pro eo, quantus est amor in me tuus: quem non esse mediocrem, tuæ litteræ significant. an ego ita sim bonis artibus infensus, ut industriæ Francisci Othomani impedimenta opponam, & excellentis ingenij fructus, cum bene maturi sint, condi potius, ac domesticos intra

intra parietes asseruari, quàm in publicum efferri, & communicari cum omnibus uelim? Illa de tuis hortis, & nostris fontibus, eleganter a te, nec sine sale, prolata sunt. uerum, agam tecum perliberaliter, atque hanc partem libenter dissimulabo, tibiq. totam largiar. in reliquis etiam habebo rationem amicitiæ nostræ, nuper institutæ, maiorem tamen fortasse ueritatis. Tua scripta, quæ Iordanus attulit, proxime edita, doctrinam habent, & accuratam antiquitatis obseruationem. itaque uigebunt omnibus, & laudabuntur. quòd si quid est, quod desiderari possit: primum id leue est; deinde, ut scis, non imminuit, sed auget nævus in formoso corpore pulchritudinem. Vale. Venetijs.

EIDEM, Argentoratum.

Noli, mi Othomane, officium litterarum a me requirere. nunquam scripsisti, quin rescripserim. quòd si contra, quàm res est, uidetur; alieno uitio fit; a me quidem prorsus abest culpa. De horologio quòd iterum iam scribis, uincit pudorem meum humanitas tua. iam enim statueram oneris tibi nihil imponere, publica exponendi iuris cura occupato, quotidie aliquid scribenti, unde ad nos utilitas, ad te ipsum gloria permanet. negotium dederam Petro Pernæ: et ille curaturum promiserat: nec tamen biennio fidem soluit. quare accipio libenter, quod das, humanissime Othomane. tu mihi,

hi, quod tuo commodo fiat, horologium Augustæ elaboratum, ego tibi, quantam scripseris, pecuniam statim curabo. quale uelim, iam antea significaui, factum eleganter, artificio non uulgari. Perna dixerat, quæ ducuntur egregia, minoris triginta scutatis emi non solere. Hoc quidem esset nimium: nec rei familiaris ratio ferret: cui consulere, quia copiosa non est, uideor debere. porro genus hoc ornamentorum ita soleo cupere, ut non insaniam: cupio autem ualetudinis, non libidinis caussa. cum enim me satis tristem natura finxerit, accersenda extrinsecus iucunditas est, quam a me ipso petere non possum; eoq. magis, quòd plurimus in cubiculo sum, affectus iam quadriennio per totam hiemem oculorum morbo, molesto tamen potius, quàm acerbo. nolim igitur impensam esse supra decem scutatos, aut omnino quindecim, eamq. ita fieri, si horologium probetur oculis eruditis. itaque uide, cui negotium mandes. nam neque omnes intelligunt: et alijs alia probantur. ego formam, & artificium, non materiam, cupio emere. De tuis Instit. egi diligenter, hortatus sum, lucri maximi spe proposita. ubi ad pretium uentum est, audire se negarunt. itaque tibi auctor sum, cum Episcopio transigas; quem facilem iam habuisti, & in tuo merito satis, ut audio, liberalem. Sturmium saluta meis uerbis, eũq. communi litterarum nomine excita ad scribẽdum. utinam, quantum uidet, tantum uelit. optime consuleretur studijs nostris, optime etiam ipsius gloriæ:

viæ: quam si uult esse amplissimam, habet unde consequatur. Vale. Venetijs.

IOANNI STVRMIO, Argentoratum.

VOLFGANGVM *Verter, cum aliquot abhinc annis Patauij adolescens daret operam Bonamico, dilexi multis nominibus plurimum. nam, ut omittam, quòd & in adspectu species quædam index nobilitatis, & in sermone, atque in moribus probitas elucebat; incensus litterarum studio colebat me, atque obseruabat diligentissime, sic, ut in magna frequentia amicorum nemo tamen mihi esset illo carior, nemo iucundior. tueor illum amorem, &, quoad uiuam, tuebor, eiq. absenti memoriam, beneuolentiamque, quam debeo, fratribus præsentibus officia, quæ potero, accurate præstabo. hoc cum mea sponte facturus essem, quantum, optime Sturmi, mihi accessisse uolũtatis existimas, quòd eos tu, uir inter maximos summus, & in exercenda uirtute semper occupatus, commendandos mihi tuis litteris putasti? nam si quis est, qui de tuo ingenio, de doctrina, in primis q. de eloquentia bene & sentiat, & loquatur; is ego sum; planéque meos eò sensus libenter conferam, ut, qui tibi cari sunt, eosdem ego quoque diligam. Quare, si uis, da mihi ornandos, atque amandos, qui ad nos ueniunt, amicos tuos. officijs eos, si potero; sin minus,*

nus, studio certe, & humanitate complectar. ac ne dubita futurum, ut, quo tu sis apud me ponderе, cum intellexerint, gratias tibi, quòd eos tua cõmendatione sis prosecutus, diligenter agant. Audio te quiddam pangere in Rhetoricos Aristotelis libros: quod quale exspecto, auguror futurum, præclarum scilicet, ac te dignum. urge igitur; ut & communi utilitati, & tuæ gloriæ consulas. Vale.

EIDEM, Argentoratum.

Nos hic, optime Sturmi, (ordiar a re tristi; quando lætæ non suppetunt) annum habemus pestilentem; & pulcherrimam ciuitatem quotidianus deformat adspectus mortuorum. furere iam cœpit morbus, & insultat in omnes palam, sine discrimine, qui antea repebat sensim, & latenter, nec fere quenquam, nisi obscuri loci, infimæq. sortis, attingebat. quare diuina sunt imploranda remedia: humana quàm iaceant, sæpe docuit euentus. Vobis recte istic esse audio, perpetuoq. sit opto, tum ab huiusmodi morbo, qui non modo priuatas domos exhaurit, uerum etiam urbes deuastat, tum a cunctis discordijs, ac bellis, & intestinis, & externis. Te uero florere omni laude, ualere auctoritate, ualere gratia, esse unum, ad quem omnes confluant consilij auxilijq. caussa; nisi plurimum læter, male sentiam de uirtute, unde tibi ista fluxerunt; male etiam de me ipso, qui tuam uitæ rationem proba

ui quidem semper, secutus autem sum, quat[illegible]cuit: licuit enim certe multo minus, quàm uolebã. unum si addis, ut ingenium tuum, quo nullum mihi præstantius, languere non sinas, & otij tui rationem constare uelis, hoc est, ut aggrediaris ad scribendum illa præclara, quæ te audio tuis familiaribus esse pollicitum, aut, si iam habes instituta, perpolias, nobiscumq. & cum posteritate communices: næ tu, Sturmi, omnium fortunam uincis, & solidam plane possides felicitatem. Equidem, quod ad me attinet, idem conor pro mea uirili parte: & hæreo, quoad possum, in scribendo: sed mea ratio quàm non sit eadem, quæ tua, cognosce. Valetudine sum ea, quæ facile in morbos incurrat, imbecilla prorsus, & incommoda. itaque sæpe in cursu institutorum meorum, cum progredi maxime uellem, consistere sum coactus. Accedunt, quæ temporis haud exiguam partem auferunt, salutationes multæ multorum: in quibus uidetur esse honor; et est omnino quædam species: sed ualeat ambitio: odi omnia, quæ detrimentum studijs important. Quid domestica? non enim tantum a me pendent ij, qui meos intra parietes uiuunt, uxor, liberi, familia: sed fratres quoque suas in me uno rationes habent sitas: uterque meis consilijs, alter etiam meis opibus, quantulæcunque sunt, nititur, ac sustentatur. Vides rerum mearum imaginem, ut in tabula depictam. nec tamen obrui me sino fluctibus molestiarum; sed enitor sæpe, & consequor interdum,

terdum, ut ex omnibus curis, atque occupationibus emergam, meq. saltem per aliquot horas in portu recipiam litterarum. quo si frui diutius liceret, in cælo essem: quia non licet, hortor te, cui otij satis est, ingenij uero, scientiæ, iudicij multo plus, quàm mihi, ut hæc omnia studiosorum ad utilitatem conferas. quod si facies; gloriosum tibi erit ex ipsa re, quem uideo præstare posse maxima; ceteris non modo re, uerum etiam exemplo fructuosum. fortasse enim, te præeunte, alij, quoquo modo poterunt, inuitati laude subsequentur. *Ego meas antiquitates, etsi, ut ille ait, spissum opus est, aliquando tamen, ut spero, pertexam. Vale. Venetijs.*

*

GRATAE mihi tuæ litteræ, gratissimus uero qui te ad scribendum animus impulit. atque ego te antea diligebam; quòd, ingressum esse minime uulgarem in uiam litterarum, longeq. per eam processisse, intelligerem: sed auxit amorem in te meum hæc, a me nunc minus exspectata, eoq. iucundior, uoluntatis erga me tuæ minime dubia significatio. soleo enim amare in hominibus humanitatem haud paullo plus mehercule, quàm doctrinam. ac doleo factum esse antea, casu dicam, an uoluntate tua? ut oriatur inter nos quibusdam ex opinionibus dissensio, ijs tamen de rebus, quæ si diluci-de pateant, quod accidere potest utroque nostrum

disputante, studiosis fortasse non nihil in eo consulatur. id quod est in meis consilijs, & fuit semper antiquissimum. Nam, quòd mea quædam improbas: si recte sentis, habeo gratiam: errare possum; & corrigi uolo. sin, ubi de meo sensu iudicas, tua te fallit opinio: ego tamen, quæ a studio ueritatis culpa manat, libenter ad laudem conuerto. itaque, quod ad hanc partem spectat, nemo audiet me querentem. excusabo te potius, atque etiam, quoad licebit, ornabo. Quòd autem, quæ meis inscriptis non improbas, ea dissimulas, & in tuos commentarios, meo nomine prætermisso, quasi noua transfers: miratus sum, & requisiui paullisper in eo modestiam tuam. agam enim tecum libere, sicuti natura mea postulat, & inter bonos uiros æquum est. Illa de iudicijs extraordinarijs, quæ te scribis edidisse, si dederis operam ut ad me perferantur, etsi ea discrepare significas a sententia mea, gratissima tamen erunt. et gaudeo te tam esse diligentem in meis scriptis peruolutandis, & occasionem mei admonendi, & corrigendi tam libenter quærere. sic enim intelligam; ubi corrigendi finem feceris, nimirum, quæ supererunt, a te omnia probari. unum peto: sit condicio par: des mihi, ut idem liceat per te, quod licere tibi per me uolo. si quid ego de tuis itidem non probauero; noli grauius cõmoueri. iudicemus pariter, ego de te, tu de me, utram in partem libet: amemus tamen inter nos, ut boni uiri solent; &, si quid fortasse de iudicio, nihil

hil tamen de beneuolentia detrahatur. Libros, quos petis, habeo nullos, Cicerone excepto. nec eius generis, nunc quidem, tibi quidquam polliceor. quæ uero ipse composuerim, paucis mensibus habebis, si ualebo, commentarium in epistolas ad Quintum fratrem, & librum de legibus Romanis: qui est antiquitatum mearum sextus. De Sextiana oratione manuscripta, si conuleris cum impressa, quæq. locauaria sunt, miseris; amabo te: idque ut facias, rogo. Vale. Venetijs.

HIERONYMO FVRNARINO, Rauennam.

VIDES me tibi satisfacere, &, quod olim petieras, id nunc, tuæ memorem uoluntatis, re præstare? non enim, ut solebam, plebeio sermone tecum ago, sed eo, quem in quadam epistola patricium appellasti; qui quàm tibi sit in delicijs, quantumq. in eo studij posueris, & industriæ, facile ex ea ipsa epistola potui conijcere. uerum, quod ad me attinet, non ego meas litteras eius esse generis intelligo, ut ab homine patricio scriptæ uideantur esse. quid enim habent, ut ita dicam, nobilitatis, quid splendoris aut in sententijs, aut in uerbis? conor equidem; & huius me cupiditas laudis multos iam annos incitat: sed moratur rei difficultas, occupatio domestica, ualetudinis infirmitas. scribo tamen assidue, quantum licet, et quoquo modo licet.

animos uidelicet mihi facit, quod inter nos dictum sit, multorum inscitia: cum quibus interdum me confero non sine uoluptate: sicuti contra, cum in antiquitatem ipsam intueor, contemno me, planeq. ipse mihi displiceo. uera enim illa fuit, suisq. absoluta numeris eloquentia: nostra infantia est, mi Furnarine; nos balbi, nos elingues pæne sumus in Latina lingua. sed quid ago? dum tecum suauissime loquor, nulla certa re proposita; paginam, uerbis undique sua sponte confluentibus, impleui. erit igitur, quod initio scribere statueram, idem clausula mearum litterarum. Mitto ad te, munusculum tenue, amoris tamen significationem inter mei, commentarios, a me nuper editos, in epistolas ad Brutum, & Quinctum fratrem: quos, cupio, diligenter legas. id si assequor a te, & a tui similibus; honestabor, & gratia meis laboribus optima referetur. Vale. Venetijs.

LAEVINO TORRENTIO, Leodium.

MIRABAR, cum in tuis uerbis tanta sit humanitas, quæ tuo mehercule etiam elucet in uultu, cur deberi mihi tam diu paterere tuas litteras, quas, ubi Leodium peruenisses, missurum statim polliceris eras. hanc admirationem, in qua molestiæ quiddam inerat, sustulit prorsus epistola tua, scripta sane elegantissime; in qua caussam tui silentij con-

confers in peregrinationem, & negotia. quòd si tam in otio consedisti; exerce ingenium tuum præclaris in studijs, non ut amicus tuus, qui nihil unquam parit, cum tamen parturiat semper, sed ut edas aliquid, quo tuum nomen, æterna cum laude coniunctum, ab hominum obliuione, omniq. prorsus interitu uindices. Leodiensem Episcopum, de quo multi multa narrant, omnia præclara, summoq. digna principe, si quid habebo artis, aut facultatis, ornabo laudibus: sin, quod suscipiam, præstare non licebit; amabit ille tamen, ut opinor, uoluntatem. tu me interim de meliore, ut ille inquit, nota commendabis; eiusq. in me beneuolentiam, si qua est, ea, qua apud illum uales, gratia fouebis. Vale, nosque sæpe litteris, si otium est, saluta. Venetijs.

SEBASTIANO LEONI, CORDVBENSI, Romam.

Soles in nostris sermonibus, humanissime Leo, quod mihi maximum est argumentum amoris tui, monere me, atque etiam rogare, ut pro tenuitate ualetudinis meæ litteris utar moderatius, & in studio uirtutis, quod difficillimum est, temperantiam adhibeam: amabiliter tu quidem, & officioſe admodum: sed hoc mihi persuadere si uis, prius illud persuadeas oportet, non magnopere esse de gloria

ria laborandum : inanes esse nostras cogitationes, stulta consilia, quæ ad eam dirigantur. ad quam causſam non tu quidem unquam tantam afferes eloquentiam, ut in re tam præstanti mihi quidem probes modum esse seruandum. quanquam, quod ad rem attinet, tu quoque mecum sentis, uel potius ego tecum. in litteris affirmas esse uiuendum, & optandam in primis scientiæ cognitionem, sed cum eo tamẽ, ut salutis ratio habeatur. obsecro te, mi Leo, quid tu existimas de ijs, qui diuitias immoderate appetunt? num errare uidentur? certe. at ipsi aliter putant: itaque persequuntur institutum. quid de ijs, qui honores sitiunt? non dubito, quin hos quoque sentias peccare. et peccant sane: timida est enim ambitio, ideoq. misera: neque tamen pauci sunt, quos inficit hæc labes. ego et cum his intelligo me errare, & præterea cum multis: sed diuersa ratio est. illi eas res plus æquo appetunt, quas consecuti, meliores nunquam, deteriores etiam plerumque efficiuntur: ego in earum artium indagatione sum nimius, (sic enim ipse existimas) quarum cognitio euellit ex animis uitia, inserit uirtutes. itaque uides errorem aliorum cum turpitudine esse cõiunctum, meum non modo non turpem, uerum etiam laudabilem. At morbis sæpe tentamur. Primum, hoc quidem non est præter naturam: ars enim præstare nõ potest, ut recte semper ualeamus: nam, si posset, ij, qui scientiam medicinæ tenent, ipsi nunquam ægrotarent. deinde, est præclarum

in

immanis laborare: &, quacunque re uirtutem emas, paruo emas. non posse autem nos ad ea, quæ summa sunt, sine sudore peruenire, indicat illud, quòd poetæ ne Herculi quidem Ioue nato, nisi maximis exantlatis laboribus, cælum dederunt. Te ipsum rogo, qui me mones; quem ego studia doctrinæ uideo numquam intermittere: ullam ne uoluptatem ea cum uoluptate putas esse comparandam, qua legentes, aut scribentes afficimur? potest esse tanta suauitas, qua non maior ea sit, quæ perfundit animos nostros, earum rerum intelligentia fruentes, quæ sunt ad bene beateq. uiuendum necessariæ? Quòd si quis doctrinam contemnit: haud scio, quid iste curet. negligit animum; quo nihil potest esse præstantius: se ipse ignorat; quo nihil turpius: corpori seruit, ignauiæ deditus; quod est illi commune cum belluis; quibus id præcipuum, ut alantur, uentriq. indulgeant, a natura tributum. itaque sequar meum institutum, neque te, mi Leo, neque alios audiam, studiosissime monentes: quorum equidem amo uoluntatem, iudiciũ tamen cogor paullulum requirere. &, ut ipse quoque erga uos amici partes, uestro exemplo, suscipiam; sinite meam uocem in aures uestras influere, quæ uobis artium studia optimarum assidue cantat; quæ uestra uobis bona commemorat, eaq. ut agnoscatis, &, quantum licet, exerceatis, hortatur. cui si parebitis; fructum capietis eum, quem ipse mihi, cum meam reprehenditis in colenda uirtute constantiam, studetis eripere. Vale. Ex ædibus nostris.

MARCO ANTONIO, LOMBARDINO, Patauium.

SCIS, *optime Lombardine, benignitatem a philosophis, magis etiam a Christianis hominibus laudari: recte id quidem: nihil enim est, quod hominem æque cum Deo coniungat: sed illa cautione quiritur, ut adsit cum uoluntate prudentia. thesauros plerunque uideas in aliquem conferri ab ijs, qui dominantur. quære causſam: laudabilem nullam reperies. quis igitur beneficium illud prædicabit, in quo neque meritum accipientis, neque iudicium dantis agnoscitur? Equidem pro magnis opibus existimo hesternam illam animi tui significationem. quod enim ad me munus misisti, tum est ipsum per se gratum, quia pertinet ad ea commoda, sine quibus, imbecilla ualetudine qui sunt, ægre sustentantur; tum uero multo gratius, quia iudicio tui laude commendatur. nisi enim tibi meæ uitæ ratio, nisi ea, in quibus assidue uersor, studia probarentur; me tu certe, qui probitatem colis, qui doctrina ingenioq. excellis, beneficio non afficeres. quando igitur ex ista tua in me liberali uoluntate, quid de meis moribus, quid de litteris sentias, facile possum conijcere; contemno Principum diuitias; beatus esse possum in tua beneuolentia; unde honor, & decus, unde præclara uirtutis argumenta, unde*

unde etiam commoda manabunt. quare conserua mihi, si uis me felicem esse, tuum amorem: quem certe intelligas mihi deberi, si tibi, mea quæ sint erga te studia, liceat intueri. Illa uero, quæ a tua benignitate proficiscuntur, persuade tibi, hoc potissimum nomine, quia sunt amoris argumenta, mihi esse carissima: neque ego te unquam ex beneficio, sed beneficium semper ex te ipso pendam. Librum de magistratibus, quem petieras, habeo equidem absolutum, non dum tamen edendum: itaque comprimetur, usque dum accurate perpoliam. proœmium degustabis: quod ad te cum hac nocturna epistola statui mittere. Vale. Ex ædibus nostris, ante lucem.

PROOEMIVM LIBRI DE magistratibus Romanis.

QVOD in priuata domo pater familias, idē in ciuitate præstat lex. ille præcipit filijs, quid agant, & qua ratione agant: hæc iura ciuibus mandat, et ad pietatem, ad rectum spe præmiorum inuitat; a delicto, proposita pœna, deterret. quemadmodum autem rei priuatæ non hoc uno consulitur, si sit qui imperet; uerum illud præterea requiritur, ut imperanti domestici omnes pareant: sic in ciuitate, nisi legem aliquis tueatur, &, ut ei ciues, quasi parenti optimo filij, audientes sint, potestati imperioq. perficiat; non est in ipsa lege præsidij satis,

satis; optimeq. ac laudabiliter uiuendi præscripta norma negligitur. quo fit, ut tam legi necessarius uideatur esse magistratus, quàm lex ipsa ciuitati. Ac mihi, hoc de genere consideranti, longe uidetur optabilius esse, ut iniquæ legi præsit optimus magistratus, quàm ut improbus æquissimæ. nam si summam potestatem cum optima mente coniungas: uir bonus in iure dicendo, præter æquabilitatem, & iustitiam, nihil spectabit: si quid erit in lege uitiosum, pro sua sapientia corriget: si quid ambiguum, in eam partem interpretabitur, quæ ad pietatem, ad communẽ ciuium utilitatem, ad reip. salutem propensior esse uideatur. sin autem, qui non optime sunt a mente constituti, ijs potestatem addas, & uoluntatem uiribus confirmes: legis uocem magistratus non exaudiet; quid maiores noluerint, sanxerint, seruarint, non attendet; ad suum arbitrium, suamq. libidinem omnia reuocabit. quod cum faciet; reip. quæ tota a iure, & æquitate pendet, non solum facto, sed multo etiam magis exemplo nocebit. nam quia præeuntem sequi non difficile est: propterea, qui imitentur, quàm qui inueniant, plures non modo in rep. administranda, uerum etiam in omni arte reperias. male C. Cæsar; qui libertate ui & armis oppressa, ea, quæ omnium erant, possedit unus: sed longe improbior, ac nequior L. Sylla; qui, ut auderet sperare Cæsar ea, quæ consecutus est, exemplo suo perfecit. quòd si, qui legibus præfuerunt, tales fuissent, quales eos, qui leges

ges ipsas condiderant, fuisse legimus: stetisset in suo gradu resp. quæq. artes in ciuitate libertatem auxerant, eædem facile conseruassent. uerum, in hominibus, non in legibus, uitium fuit. primi omnium duo fratres e Sempronia familia, Tiberius et Caius Gracchi, malo publico eloquentes, et ingeniosi, serere inter ciues discordias cœperunt, infimæq. plebis animos nouorum commodorum in spem turbulentis concionibus excitare. qui etsi decreto senatus iusta ui oppressi, debitas eorum audaciæ pœnas exsoluerunt: tamẽ exitiosæ consuetudinis initium attulit ille dies, qui ciuili sanguine gladios primus infecit. quod enim non modo iustum, sed nec usitatum antea fuerat, id postea ne nouum uideretur, effectum est. itaque cũ aliquot post annis P. Sulpicius, primũ, ut uisus est, non pessime animatus; deinde, siue ambitione inductus, siue iracundia concitatus, ab optima caussa desciuisset; eademq. fere, quæ duo Gracchi, in tribunatu pl. aut certe non dissimilia moliretur: facile ad uim & ad cædes prolapsa res est: neque prius arma quieuerunt, quàm, ciuium magna parte trucidata, aut eiecta, unius libido antiquis legibus par, atque etiam superior esse cœpit. quod neque tunc, neque postea contigisset, si, quàm sapientes in scribendis legibus maiores fuerant, tam in creandis magistratibus cauti posteri fuissent. nam etsi non recte geritur publica res, nisi præstantibus uiris, acriq. ac magno animo præditis committatur: tamen periculosa in primis hæc est, & lubrica

sane

ſane deliberatio: propterea quòd non languentibus in animis, ſed in erectis mentibus, ac maximis ingenijs dominandi cupiditas exoritur. bonorum ſpe, fateor, ad labores, ad induſtriam, ad ſubeunda etiam pericula homines excitantur: ſed in libera ciuitate eſt, quatenus cuique credatur; & in danda poteſtate ſi modus retinebitur, modus item in gerenda ſeruabitur. legitimis enim poteſtatibus, & moderatis imperijs alitur libertas: neque facile quiſquam uult quod ſe poſſe deſperat: et qui tantum poteſt, quantum ſi conſequatur, ceteri nihil poſſent; hic ſi malus eſt, poteſtate fit deterior; ſin ita moribus exploratis, ut antea nihil neque fecerit indignum bono uiro, neque uoluerit, interdum tamen, ut humana mutantur, a rectis cogitationibus ad iniquas libidines traducitur; & peccat eo ipſo, quia peccare permittitur ut poſſit. quocirca patriam meam ſingulari ſapientia inſtitutam, ac diuino quodam conſilio temperatam licet exiſtimare: in qua neque magiſtratus ijdem continuantur, quod eſt ſeruandæ ac diutiſſime retinendæ reip. uinculum firmiſſimum; neque cuiquam tãtum uni committitur, ut extraordinario iure elatus libertati communiq. otio moliri periculum poſſit. qua moderatione factum eſt, ut poſt annos MCXXIIII. *(tot enim ab urbe condita numerantur) non modo reſp. ſit, uerum etiam ita ſit, ut omnibus rebuſpublicis, quæ nunc ſunt, magnitudine opum: ijs autem, quæ fuerunt, imperij diuturnitate antecellat. quæ quibus*

inſtitutis

institutis ac magistratibus usa, ab humili tenuiq. principio ad tantam dignitatem, atque amplitudinem peruenerit; neque est hic narrandi locus, & hoc argumentum uiri sapientissimi ita non modo copiose, uerum etiam perite ornateq. tractarunt, ut, si quid uelis adiungere, idem sit, ac si in Apellis aliqua perfectissima imagine, puta in Venere illa Coa elabores. Nobis Romana ciuitas proposita est. quæ quàm multas habuerit partes ad imitandum præclaras, ex eo patet, quòd ita bello ac pace uiguit, ut illius uim et potẽtiam omnes reges populiq. extimescerent, æquitatem & abstinentiam subiectæ urbes nationesq. diligerent. formam senatus, quod in ea publicum consilium fuit, ordinem comitiorum, iura legum tribus libris exposuimus. nunc de magistratibus, eorumq. potestate disputabimus; tum, quia locus ipse admonet; (hoc enim legibus adiunctum, & tanquam adnexum uidetur) tum etiam, quia Ciceronem, cui uideo in ijs libris, quos de legibus conscripsit, hunc ipsum ordinem placuisse, libenter imitamur.

CAESARI FERRANTIO, Patauium.

Ego uero istum erga me animum, istam, quæ significatur in epistola tua, beneuolentiam amplector libentissime, & amo prorsus amore singulari. nam, ut omittam, quòd ita postulat humanitas:

tui te præterea mores, tua modestia, & maior iam ætate uirtus egregie commendat. quæ cum ipsa me mouent: tum uero in affinem tuum, Episcopum Suessanum, eiusmodi meum studium est, multis abhinc annis ex incredibili eius humanitate, doctrinaq. susceptum, ut eos etiam, qui modo aliqua illum necessitudine attingunt, quosq. ille caros habet, complectatur. quo tu in numero ut esses, affinitate primum, id est naturæ quodam quasi munere, tibi contigerat: postea uero cum natura uoluntatem, & cum uoluntate studia coniunxisti, excolendis artibus ijs, unde fluxit honor, ac dignitas affinis tui, & unde eadem ad te manabunt, si te illi, immo uero si te ipse tibi quamsimillimum præbueris. quis enim tantos processus tam adolescens in philosophia fecit, quantos illa tua in aula perillustre Cardinalis Estensis celeberrima disputatio, multis præsentibus, ostendit? Qua tamen de laude ita te sentire uolo, ut maximam esse putes, si cum ætate tua conferatur; sin res ipsa spectetur, longe statuas maiorem esse posse; quodq. uiæ confeceris, id quidem esse multum, nec tamen tantum, quàtum adhuc spatij supersit. sed, mihi crede, omnis in eo tuorum studiorum sita perfectio est, si, quemadmodũ nunc id cogitas, & id, opinor, agis unum, ut intelligas, humanæ res quantum alijs aliæ præstent, ita, quantum infra diuinas humanæ prorsus cunctæ sint, aliquando simul cogitabis. næ tu, Cæsar, si te ad hanc, quam ignorari a plerisque uideo, præclaram

claram disciplinam contuleris, magistros habebis haud paullo meliores, quàm quibus nunc uteris, aut etiam per omnem uitam uti potes. extat sanctissimorum uirorum multis libris expressa doctrina, qua instruimur, & erudimur ad æternæ uitæ salutem. habes præterea domesticum exemplum affinis tui, summi uiri: cuius in uitam si inspexeris; excitaberis ad omnem laudem; coles autem præcipue ueritatem; quam ille tuetur acerrime, habuitq. semper antiquissimam. neque uero impedio, quo minus, ut cœpisti, Marco Antonio Genuæ, & si cui præterea uelis, operam des: eloquentiam quoque si adiunxeris, ut res graues & obscuras ornate ac splendide tractare possis, minime improbabo: sed illa præstantiora sunt, quò te hortor ut aliquam omnino transferas industriæ tuæ partem. De libris ad te missis, habeo gratiam humanissimo, & in primis erudito iuueni, Sebastiano Leoni, utriusque nostrum æque familiari; qui mihi hanc instituēdæ tecum amicitiæ occasionem obtulit: quam auide arripui. iam enim incenderat me studio tui, cum de ingenio, de studijs, denique de tua ad optimas res propensa uoluntate multa prædicasset. quòd si quid acciderit, in quo tibi opera mea usui possit esse: id si ipse intelligere potuero, mea sponte suscipiam: sin secus, a te admonitus, efficiam, ut esse tuam apud me plurimi uoluntatem intelligas. Vale. Venetijs.

VIDO LOLGIO, Placentiam.

PAVLLO ante dederam ad te litteras; quas coniectura dierum putabam tibi iam esse redditas: hæ nunc alteræ consequentur. Scripsi, te absente me cessare in litteris, & omnino tuam operam, tuamq. illam in meis rebus officiosissimam sedulitatem uehementer requirere; sed meum consilium esse, te istinc ne prius commoueres, quàm ego alicubi consedissem. id ego uolebam scilicet inuitus, qui te socium et administrum meorum studiorum summe desidero: sed uolebam tamen tui commodi caussa: primum, quòd hanc equitandi iactationem, quæ me quidem delectat, tibi, otij cupido, suspicabar non placere: deinde, quòd, si accidisset ut istas regiones peteremus, quod post balnea facturi uidebamur; intelligebam fore, ut adire commodius ad me posses interuallo minore. nunc audi, cur sententiam mutauerim. Cardinali nostro, cui nimium sæpe calculus molestus est, multis iam remedijs frustra tentatis accedere nunc ad aquas Lucenses ualetudinis caussa deliberatum est; nosque, ut scis, idem cogitamus. ijs aquis qui uti uolunt, id maxime spectant, ut sicco tempore utantur. hæc est quasi methodus quædam, quam seruantibus salubres dicuntur esse: permistæ cum imbribus putrescunt, graui periculo bibentium. nos porro, o Lolge, qui didicimus a philosophis,

losophis, bonam ualetudinem expetere sapientis est se; ualde in hac quidem parte sapimus, &, ut optime ualeamus, accurate, quæcunque uires tuentur, aut augent, persequimur; quæ posse uidentur infirmare, ac minuere, declinamus. itaque ad balneorum medicinam prius non accedemus, quàm id & tuto, & salutariter fieri posse intelligamus. nunc quidem alienum tempus est. uides, quæ pluuiæ, quàm pæne hiemales dies. hæc dum ita se habent, nos oportunitatem exspectantes, in his oppidis, & uillulis iucunde satis oberrabimus. quod quoniam quàm diuturnum sit futurum, diuinare difficile est; & ego, dum te careo, multis commoditatibus uma careo; tuque, ut ternis iam litteris significare uideris, non abes a me sine molestia: mea caussa rogo, tua hortor, ut, quanquam non dum consedimus, mature tamen, nisi quid grauius impedit, reuertas. & ut scias, quo me loco conuenire possis: Pisis ad idus Iunias, & ultra, ut opinor, aliquanto. sed ad idus Iunias certe commorabimur. Vale. Pisis.

HANNIBALI CARO, Rauennam.

FOROLIVIENSIBVS male sit, qui te longius a me abstrahunt. sed istorum motus præfecti prudentia sedabit; tuque, ut scribis, Rauennam breui recurres. ibi uelim ne quid caussæ sit, quo minus ad me quamprimum. ego uolebam ad

te; sed impediunt multa, maxime Ciceronis editio; cuius tempus aduentat, uel potius iam adest. itaque occupationem onere ualde premor. sed mihi nulla res esse potest tanti, ut ab hoc scribendi officio diuellar. Nunc est, quod a te uelim. Qui tibi has litteras attulit, est & mihi, & fratribus meis ualde familiaris. eius opera multis in rebus usi sumus egregie fideli. cum Rauénam uenturus esset, quiddam ut exigeret, quod ibi habet in nominibus; petijt a me, ut se tibi commendarem. dixi, cum causam optimam haberet, commendatione eum non egere; tamen me esse facturum. Si quid me amas, Care, uel potius, quantum me amas, tantum hunc hominem adiuua. his temporibus, cum fides ubique sit angustior; uereor, qui debent, ne non facile dissoluant. si res in iudicium uenerit; noli pati, uirum bonum, amicum meum, exhauriri longi temporis impensa. beneficium non conferes in ingratum. memorem enim cognoui. sed tu eum ne respicias: me uide, qui a te peto. mihi enim gratius facere nihil potes. nam etsi, quod ad nos attinet, ipsi quidem inter nos magis, quàm amamus, amare nó possumus: tamen ualde laboro, in quo me ambitio quædam mouet, ut homines nostram coniunctionem, tuamq. in me beneuolentiam perspiciant: quarum alteram uitæ æqualem fore, alteram eiusmodi iam esse confido, ut nihil addi posse uideatur. Vale. Venetijs.

Eidem,

EIDEM, Rauennam.

VIRVM *te duco, qui compedes illos frangere, & aliquando te in libertatem uindicare potueris. id quod ego, qui neruos ingenij tui bene cognitos haberem, prorsus ita fore sperabam. ut autem etiam cum Guidiccione, id est cum homine doctissimo, & ad tuam naturam aptissimo, tibi uiuere liceret; hoc uero ne optare quidem unquam sum ausus. quod quando accidit; beneuolentiæ in te meæ est, gratulari, quòd euenerit; prudentiæ autem tuæ non committere, ut frustra euenisse uideatur. Herum habes, Care: herum autē, dico? cuius ea suauitas est, is in te amor, ut potius æqualis, potius germani fratris loco tibi sit: sed, quoquo nomine appelletur, eum certe habes, qualem uis. Quare, quod mihi, aliorum arbitratu cum uiuebas, promittere solitus eras; id ego nunc, quando tui iuris es, non a te petam, sed exigam, ut operas Musis, iam diu a te, non sane tua culpa, tamen prætermissas, eo, qui cum es, permittente, atque etiam cohortante, reddas. sed ita procul dubio te esse facturum, uel potius iam facere existimo. itaque hoc ne monendus quidem es; illud autem etiam rogandus, ut ad nos quamprimum uenias; ut possim urbanitatis tuæ sales ex interuallo regustare. pedibus, puto fore commodius: nam mari præ frigore obtorpueris. o dulcem congressum; in quem ego, uix credas, quàm*

multa reseruem, quæ litteris commissa, eandem suauitatem non habent. Vale.

EIDEM, Rauennam.

FESTIVVM *Molsæ nostri poema libenter legi, explanationem uero tuam libentissime: & sum admiratus acumen ingenij tui summo iudicio coniunctum: quorum alterutrum non ita multis contingit, utrunque uero pauciſſimis. Quod scire uis, quid alij sentiant: idem, quod ego, nihil esse in illo genere perfectius. quo magis te hortor, ut hanc facultatem ad grauiora studia transferas, & aliquando te ab istis occupationibus uindicatum, in litteras totum abdas. quod si mature feceris; cerno iam animo, quantæ tibi hoc consiliũ laudi, quantæ nobis, qui te amamus, lætitiæ sit futurum. memini, quid tu mihi te facturum esse dixeris: neque te arbitror oblitum, quid ego tibi in eam sententiam responderim. Mi Care, induc animum, nullos præstantiores esse fructus, quàm qui e uirtute colliguntur. et cum hoc feceris, quod & facis, & fecisti semper; tum illud tecum existimato, ac pro certo habeto, incredibilem esse exspectationem, quam de te apud homines concitasti: quam si sustinere, ac tueri uis; contende, dum integrum est, omni studio, ut ex hoc uitæ genere, in quod olim te non tuũ iudicium, sed uis quædam temporum, tanquam in aliquod pistrinum, detrusit, quamprimum te eripias.*

pias. quod quia tibi deliberatum esse, mihi sæpe ostendisti; non ero longior in te cohortando: tantum hæc attigi amore impulsus; ut intelligeres, in summis meis occupationibus me tamen de tua laude cogitare. De Ardinghello nescio quid atrocius est allatum: quod ego sane quam pro eo ac debui moleste tuli. hominem enim eruditum, & cum tibi amicissimum, tum a nobis, ut uisus est, non alienum cognoui. uelim, tu id ad me planius, quid fuerit, & unde fuerit, perscribas. Vale.

EIDEM, Rauennam.

LITTERIS tuis, quas tu idibus Quintil. dederas, ego nonis accepi, rescripseram quo modo mihi tunc occupatissimo licuit: postea, cum eas per otium in manus sumpsissem, accuratiusq. perlegerem; sensi me quasdam partes, quibus nunc ex interuallo respondeo, imprudentem omisisse. quod etiam si ita non fuisset; ego tamen aliquam scribendi sententiam alicunde arripuissem; non solum, ut quasi tecum loquerer; quo nihil facio libentius; sed etiam, ut tuas elicerem; quarum sermo & purus in primis est, atque ornatus, & humanitatis, ac beneuolentiæ notis maxime insignis. uel quas mense proximo dedisti, quàm amabiles, quanti consilij, quàm multi officij? quod munus, quæ partes in iis a te sunt hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi prætermissæ? quàm accurate, quàm distincte,

ſtinctè, quàm perite tuam de meis typis ſententiã explicaſti? quibus quidem typis, ſpero fore, ut emendatiſſimis utar, quando ad te, & ad Thomam noſtrum miſſi ſunt: quorum alterum in labore patientiſſimum, alterum in iudicio elegantiſſimum cognoui. Quod autem ita ſcribis, homines hoc animo eſſe, ut nihil a me niſi perfectum, abſolutumq. exſpectent: facis tu quidem officioſe, & peramanter, qui ad me excitandum aliorum quoque opiniones, & iudicia colligas: ſed hoc ipſum genus, quod perpoliri a me uis, ut perficiatur, in te eſt. Quare quoniam ita caſus tulit, ut unus fere hoc tempore tantum mea cauſſa poſſes, quantum ego tua ſemper uolui: etſi mei commodi, atque etiam honoris ratio poſtulare uidetur, ut in te rogando pluribus uerbis utar; tamen id non faciam, ne maiorem deſiderij mei, quàm humanitatis tuæ, rationem uidear habuiſſe. De artifice autem confirmando, quoniã in hoc uides eſſe omnia, et me longinquum nihil poſſe intelligis, omnem curam tu ſuſcipias oportet: qui ut idem nobis ſit, qui antea fuit, facile cum prudentia, tum commoditas illa tua præſtabit. quanquam non dubito, quin ipſe per ſe, uel ſine ullo artificio tuo, ad id, quod reliquum eſt, perſequendum ita, ut uolumus, animatus ſit. profecto enim conſtantiæ rationem ſibi habendam ducet. ſed tamen, quoniã gloriæ magis ſtudio, quàm emolumenti cupiditate, incenſus, ad opus eſt aggreſſus; ſubijcies tu quoque identidem in ſermone quaſi igniculos, ut uehemen-

tius

tius inflammetur. Ficus tuas quòd ais te in apertum referre uelle, ut aliquando uenales circumferantur, quæ quotidie ab omnibus, te insciente, degustantur: ego uero, ut id facias, magnopere suadeo. Quod autem meorum typorum exspectationem nimis longam esse dicis; mihi quoque ita uidetur; idq. cum mea caussa, tum tua non mediocriter doleo. Figurarum opus, quod te hortante sum exorsus, texitur illud quidem diligenter, sed uereor ne plus oneris susceperimus, quàm quantum nostra imbecillitas sustinere possit. quod si ita erit; accurres, ut, parte aliqua nobis detracta, & in te translata, releuemur. Sed, amabo, quid sibi uult, quod in tuarum litterarum clausula posuisti? te, si quæ essent inter nos ad significandum notæ, quiddam occultius fuisse scripturum. equidem, etsi, quale sit, uideor mihi iam intelligere; tu tamen ut apertius declares, ualde uelim. De mandatis meis, ea, quod tuo commodo fieri possit, si exhauries; per mihi gratum, perq. iucundum fuerit; sed illud primo quoque tempore, de quo se Martellus tuus curaturum recepit: qui si stetit promissis, reliqua ego a te exigo: sin autem, quod pollicitus fuerat, non dum exsoluit; eum tu litteris appella. nam de ceteris non ita ualde urgeo: ages cum licebit, uel dicam etiam cum libebit. in hoc autem nisi mihi quamprimum satisfacis; prædico tibi, flagitatorem habebis acrem, & permolestum. Vale, & amicis communibus salutem a me plurimam. Venetijs.

Octauiano

OCTAVIANO MAGIO, Romam.

PROFECTO *nihil tam accidit contra uoluntatem, quod aliqua demum iucunditas non temperet. sic sunt humana. angebar animi, (quid enim dissimulem?) tuis factum occupationibus, ne te complecterer discedentem: nunc idem gaudeo, euenisse quod nolebam: quando tu, arrepta inde tui purgandi occasione, litteras ad me misisti, officio primum refertas, & humanitate singulari, deinde latine loquentes egregie, sic, ut eius urbis, in quam te cum Aloysio Mocenico, præstanti uiro, Venetæ Reip. legato, contulisti, ueterem eloquentiam redolere uideantur. Quare cum animo sum lætatus erga me tuo; fuitq. uoluntatis ad me amandum propensæ gratissima significatio: tum uero ex ista, quam adolescens admodum consecutus es, latinæ linguæ facultate, istoque, quo te uideo florere, ingenio, tantum accessit ad lætitiam, quantum ne conabor quidem uerbis explicare, sensu ipso uix, atque mente comprehendo. Atque equidem tibi eo etiam gratulabor magis, si tua bona noueris, id est, si &, quæ habes iam, studio tueberis, &, quæ ostenduntur, ac deferuntur a fortuna, magni faciesq; quantumq. in te erit, nunquam dimittes. non enim, mihi credas, tanti esse tibi Roma debet, quia Roma est, quæ præstantes olim uiros tulit, imperij termi-*

terminos cum Oceano coniunxit; quanti ob unius hominis consuetudinem, cuius est humanitas doctrinæ par, doctrina uero, quæ potest esse maxima. is est Octauius meus; qui urbem, a qua ceteri honestantur, sua ipse uirtute nobilitat. Hunc tu uirũ nactus, cole, si sapis; & pete tuam gloriam ex illius consilijs; utere, quantum licet: &, ut liceat plurimum, exopta. ipse te, si uacabit, nunquam a suo congressu, nunquam a sermone excludet. commendaticijs ad eum litteris minime opus est; nec fert hominis humanitas: & tu illi, quod epistola tua significat, satis iam notus, fortasse etiam familiaris. Quod reliquum est, non te fugit illud: Magistratus uirum indicat. itidem hæc legatio, qui sis, qui futurus aliquando, patefaciet. quamobrem incumbe ad laudem: amplectere uirtutem: illa reijce, quæ bonis artibus, ac moribus aduersantur: quæ te sæpe in ista ætate, tuorum commodorum, tuæq. tanquam hostes gloriæ, circumuenient, nec facile, nisi prudentiam summam adhibueris, depellentur. Vale, & salutem dic meo nomine exquisitæ eloquentiæ uiro, Iulio Pogiano, cuius tibi amicitiam, & consuetudinem ualde gratulor. Venetijs.

EPI-

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER TERTIVS.

HIPPOLYTO ESTENSI CARDINALI, Ferrariam.

VALDE me leuauit, in hac mea satis grauiter affecta ualetudine, oratoris uestri, Hieronymi Faleti, uiri præstantis, oratio: qui cum sermonem mihi, Ferrariæ tecum habitum, exposuisset, multaque, ut solet, de ingenio tuo singulari, de summa grauitate, ac sapientia, non nulla etiam de tua nequaquam a me, ut audieram, aliena uoluntate narrasset; cepi lætitiam, quantam aliquis ex insperata, exoptataq. re capere maximam possit; measq. statim esse partes duxi, ut ad te scriberem, ageremq. gratias quòd in eo loco, unde me depellere fortuna conaretur, tua me retineret humanitas. quo sane mihi nihil optatius, nihil hoc tempore, cum infirmus langueo, ad animum meum sustentandum oportunius potuit accidere. atque equidem ita statuo, actum esse mecum misere prorsus, atque infeliciter, quòd meam ad te ueniendi cupiditatem incredibilem pestilentia primum, deinde morbus impedierit; & in eo magnum studia mea, measq. res

adiisse

adiisse damnum; quibus a te, pro tuo instituto, uetériq. consuetudine, consultum iri optime, pro certo existimabam. quod quando ita accidit; & quando me a tuo conuictu non mea uoluntas, non iudicium, aut ulla mentis inconstantia, sed corporis imbecillitas, atque hæc anniuersarij, ac pæne iam perpetui morbi uis importuna seiungit: peto a te, Princeps humanissime, id saltem, quod in tua, non in fortunæ manu situm est, tribuas, & largiare, ut beneuolentia mihi tua, & quæ fuit antea, & quæ, si ad te iuissem, futura erat, eadem conseruetur. hoc si assequor; beatus hac una re sum; cetera paruipendo. ea porro mihi ut conseruetur, ita postulo, si me, qualis in aula tua fuissem, talem esse absentem intellexeris, id est obseruantem tui, tuaq. in laude omni studio & cogitatione defixum. Quod si quibusdam litteris animus a me tuus est offensus; quòd in iis dicar minus fortasse, quàm decuit, de te, aut de tuis modeste locutus; quod certe secus est: sed si me tunc a mea consuetudine impetus quidam abduxisset iracundiæ: nosti pro tua sapientia ingenium humanum: magna uis doloris est: impellimur sæpe longius, quàm ratio concedat; &, facta quæ sunt, paullo post infecta frustra cupimus. te tamé ita decet ignoscere dolori meo, si ex iusta, ut ego arbitror, caussa susceptus est: sin aliter tibi uidetur, ignoscere tamen debes, ut eluceat magis in culpa humanitas: quæ si omni digna Principe uirtus est, te uidetur Principe dignissima; quem ad omnem lau-

laudem natura genuit, disciplina erudiuit, multorum annorum consuetudo assuefecit. Vale. Venetijs.

FRANCISCO MOLINO, Patauium.

Quod meas epistolas descripseris, ualde te amo: & custodiri a te malo, quàm ad me mitti. Quòd autem, non esse tibi scriptionem illam infructuosam, significas: prorsus non abnuo: ueruntamen, quòd tibi hoc in genere multo & plura, & meliora domi quotidie nascantur, hoc equidem nomine haud paullo magis tibi gratulor. quam tu, si sapis, agnosce, & opta diuturnam occasionem. uiuis cum excellente uiro, adolescens, præstanti ingenio, optima ualetudine: uiuis Patauij, id est in urbe scientiarum laude celeberrima: quò, tanquam ad mercatum, uirtutis cupiditate ita omnes confluunt, ut inanes redire turpissimum ducant. Plura non debeo. noui enim, ad quem: & hæc ipsa minime necessaria uidebam: sed obsequendum amori fuit in te meo; qui me tacitus, ut tecum de tua laude loquerer, hortabatur. Patri uero tuo, & optime de me merito, & ijs uirtutibus, quæ nobilem uirum decent, in primis ornato, quid est, quod a me deberi non intelligam? Extabit igitur in te, si quare potero, studium meum: illum autem colam sensibus intimis in omni uita studiosissime. Vale;

&,

&, ut Mureti contubernio, ac disciplina dignum te præstes, quanti tuam laudem facis, quæ mihi maximæ curæ est, tantum enitere. Venetijs.

MARCO ANTONIO MVRETO, Patauium.

Beasti me tuo iudicio: si modo plus est a te ueritati, quàm amicitiæ, tributum. quod ego, quia faueo meæ laudi, facile mihi patiar persuaderi. sed, amabo te, uis ne mihi legem illam diutius deberi? nescis, quàm sim studiosus huius generis monumentorum? describe aliquando: aut, si, stantem in media uia describere, minus honestum uidetur, nec pudor tuus fortasse fert; da negotium homini diligenti: quando Achilles noster uel negat, uel certe prorsus agit eo modo, ut negare uideatur. salutabis tamen eum meis uerbis: cui certe fortunam opto, qualem si magister eius haberet, omnia bona merenti pessime contingerent. Si quid peperit ingenium tuum, dignum pæne dixi utroque nostrũ, sed si quid te ipso dignum; mitte: ut constes humanitati tuæ, atque etiam constantiæ: es enim pollicitus. Quid Carneseccus meus, flos omnium leporum omniumq. uirtutum? ut ualet? iube, eum saluere quàm potes humanissime. Charta me deserit, ut uides, tecum suauissime loquentem. Vale.

EIDEM, Patauium.

VNAM *tragœdiam duobus ipſis diebus, cum aſſidue ſcripſerim, abſoluere non potui. meorum oculorum, ut uideo, res non eſt, ac ne digitorum quidem. quid? ego habeo tuos articulos? hui, quantum intereſt. reliqua igitur ad te reijcio. uinces me facile celeritate; æquabis in diligentia, ſi uolueris. finge, operam te dare, cum deſcribes, homini litterarum & prorſus ignaro, & prorſus cupido. finge, amico ſingulari: quem explere officijs, ſi liceat, optabile ſit. quanquam hoc non finges. nam, cum a domeſticis diſceſſi, nihil habeo te carius. oraculum hoc puta. nihil unquam tam uere cecinit Apollo. ueruntamen, hæc ſi tibi propoſueris; de quo rogandus non es; monere tantum uolui; nihil quidquam omittes in deſcribendo. habes, quam ego in me deſidero, mentis conſtantiam, pectoris firmitatem. hæc mihi morbi diuturnitas eripuit: quæ uideo eſſe in te, utinamq. diu uideam, ἐν τῇ ἀκμῇ. habes oculos in legendo, manum in ſcribendo exercitatam: uacui uero temporis quantum uis: & uis in rebus meis plurimum; qui te ſæpe dixeris, profeſſusq. ſis ad meum arbitrium tua ſtudia conferre. nam, quod ad gymnaſii curam attinet; nec dies inſtat publici muneris, &, ſi inſtaret, opera hæc bidui tota eſt, bidui, inquam, tibi, nihilo longior: mea uero & diuturni temporis, & laboris eſſet non ferendi.*

ad

ad hæc si accesserit uoluntas, quæ mihi non uenit in dubium, & inductio illa animi, quæ magnas res facile conficit: negotium habeo absolutum. serua, mi Murete, quod in te est, amicum tuum integellum: parce ualetudini: nostram imbecillitatem, tuorum officiorum ope, sustenta. scis, ἐμὲ ἐλέποντος, quo amore, quo cõsilio, quo etiam præsidio fortunæ tuæ nitantur. ὅτις ἐμεῦ ζῶντος: nosti reliqua. Hæc alienamanu scripsi, cum paullulum languerem. tota enim fere nocte, nescio quo casu, somnum oculis non uidi meis, aut uidi tristium imaginũ turba permistum. Tuum Euripidem remitto, unaq. meum; quem cupio similem esse tui. Ex ædibus nostris.

EIDEM, Patauium.

MONSTRI simile, Muretus non respondet: immemor ne nostri? nefas credere: et hanc suspicionem longe animus respuit. at occupatus? hoc fortasse: uerum, ulla ne cursum amoris interrumpit occupatio? omitto iocum. Mi Murete, garrit sæpe amor: at tu siles; cum tamen, ut opinor, ita me ames, ut fortasse nemo magis; quod certe facis mutuo. quòd si, quia legẽ illam describere per tua negotia non licet, ideo non scribis: rogo te, abijce istam curam. abrogentur potius omnes leges, quàm tuarum litterarum fructu diutius caream. nec tamen, detrahi multum de otio tuo mea causa, uolo. scio, tempus quàm utiliter ponas. illa satis erunt:

Mi Manuti, ualemus: et, ualere te, ualde cupimus. τὰ ἤθικὰ sunt in manibus. cum Carnesecco tuo, Pero, Endimio sæpe sum: plane uiuo. hac sententia, sed alijs uerbis, id est elegantissimis, quibus ipse abundas, si scripseris; satis plane cupiditati meæ, (quid enim dicam uoluntati?) satis etiam officio tuo feceris. Video te exspectare aliquid de meo discessu. dies appropinquat, uel potius iam adest. iam ut ille ait, sarcinulæ collectæ sunt omnes; nec fere, quod agam, supereſt. itaque nonis Sept. cogitamus. Cum illo, qui mihi nunquam placuit, impuro adolescente, si quid aduersus me, susçipe, ut ego in tuis iniurijs soleo, et sustine prœlia. neruos enim habes. ille, nostram uicem, ulciscetur sua malefacta. nam inuidia rumpitur: et habet, quod intimis eum sensibus dies noctesq. excruciet. nos laudabilia cogitemus, & ad præclara illa studia incumbamus: de isto ne meminerimus quidem: qui bonos omnes, hoc est sui dissimiles, odit iniquissime. Vale, & amicis nostris (sunt enim fere communes) plurimam salutem. Venetijs.

SCRIPTIS *litteris, & iam obsignatis, hesternæ tuæ sunt allatæ, græce loquentes non minus argute, quàm eleganter. qui possum paria paribus? si pergis, clamabo me circumueniri. mehercule non tam aquis ulli fontes, quàm ingenium tuum scatet græcis & sententijs, & dictis. macte: extra iocum, amo te, quotidie magis; quia tu scilicet ad perfectam uirtutẽ quotidie accedis propius.*

Sed

Sed pauca de re. Vides ne, quàm facile tum ferantur, tum abrogentur leges? Vbi sunt, qui tribuniciam potestatem accusant? illa quidem, cum bona mente coniuncta, salutaris. Sed hæc ne nimium curemus. utere fortuna tua. ego alias regiones spectο, inuitus nostri dissidij caussa: sed coniungemur animis, corporibus disiuncti. id est maximum, in maximo dolore, solatium. De Philopono, quia comes futurus est itineris mei, uelim ineas rationem, si eum hic reliquisti, ut ad me quamprimum. colligo omnia; ne quid me moretur in discessu. non enim id agitur unum ut uoluntati meæ, sed illud simul, ut fidei satisfiat.

EIDEM, Patauium.

Tv uide, cui committas. ego enim binas tantum accepi. prioribus respondi nudius tertius, meamq. tibi de Bononiensi re non modo sententiam, uerum etiam uoluntatem ostendi. his alteris, quæ mihi redditæ sunt heri uesperi, si rem spectο, rescribere nihil est necesse: sunt enim eiusdem argumenti: sin tuam uoluntatem; quæ quanta sit, ex tuis litteris apparet; sunt eadem iteranda. sic igitur faciam. Affirmo tibi, Sigonium nostrum, si Bononiam ierit, præsensq. contenderit, certum futurum. habet auctoritatem, ex huius loci dignitate partam, suis scriptis mire amplificatã, præsertim his postremis, minime uulgari doctrina, iudicio, ingenio, diligen-

tia refertis. studia Bononiensium ciuium facile colliget. ciuitas enim est ad humanitatem nulla propensior. Accedit, quòd aut petet solus, aut cum ijs, quos neque nominis fama, neque uero, ut a non nullis accepi, litterarum scientia magnopere commendet. Bargæus enim, οὐχὸ τυχὼν ἀνὴρ, condicionem illam certe non spectat. qui enim Pisis dominetur, & sua uirtute, quam nouimus excellentem, & principis gratia, cuius in ditione natus est; quo consilio ad res nouas animum adijciat? Ergo, si Bononiæ Sigonius; uides, quid sequatur. dijs hominibusq. approbantibus in eius locum adscendes. quo mihi nihil esset optatius. nam speciem habet Bononiensis condicio maiorem, ut in gymnasio Italiæ celeberrimo: emolumenti certe haud paullo plus hic uideo futurum. atque etiam de dignitate uidero. tractantur omnino litteræ splendidius in publicis gymnasiis; & docetur de loco superiore uirtus maiore cum gloria: sed clarissimum Venetiarum nomen quasi luminibus obstruit Italicarum omniũ ciuitatum: et hic ortum decus facile manat, ac diffunditur per omnes gentes, propter huius urbis communionem & quasi societatem cum orbe terrarum uniuerso. Hic uenit in mentem: Cur tu igitur migras? alia ratio est. ego urbem linquo, non cum urbe emolumentum. quin hoc augeo uehementer; illam prorsus amittere non uideor, quia Romam specto. Habes meam sententiam; quod quidem ad te attinet. De Sigonio autem, quia nihil est tam am-

plum,

plum, quod eius uirtus non æquet, meam, ut opinor, diuinationem exitus non fallet. nisi si quid attulerit casus; qualia fert hominum uita. De Carnesecci nostri ualetudine, cum rescribes, adde uerbum, si me amas. Vale. Venetijs, nonis Sept. quo me die discedere cogitantem noua res detinuit.

EIDEM, Patauium.

QVID homini non timendum? cum te, tam ualidum, istis lateribus, ista ætate, nihil tale metuentem animus reliquerit. ualde me percussisti tã graui nuntio, eoq. magis, quòd ignorare te caussam scribis. nam tuendi tui quam rationem inibis, si te morbus inuasit imprudentem? tuam continentiam narras. equidem ita credo. unde igitur fluxit uitium? parce tibi in studijs, mi Murete, pro eo quanti ipse tibi es; aut, si te ipse non diligis, quem omnes pæne diligunt, pro eo quanti ipse apud te sum: quem tu nisi magni facis, egregium simulandi tenes artificium. an tu nos una tecum uis perdere? nescis modum esse retinendum in omni re? nescis, uirtutem nimis appetere, uirtutem non esse? age igitur iam te respice, si minus antea: tibi consule; & eam quære gloriam, quæ te uiuentem oblectet, non quæ discedentem e uita prosequatur. ita diu iucunde ui uam, ut acerbe nunc uiuo, quia solicitus de te sum, neque dum ab illo periculo suspicor esse tutum. medicos habes doctrina singulari, quorum consilio uti

possis: cælo uteris clementissimo: in rebus tuis nihil, opinor, est incommode. genus enim uitæ non honestum minus, quàm utile, delegisti. etsi te scio de re & lucro minimum laborasse, illa uero habuisse prima, quæ nec mihi postrema unquam fuerunt, decus, & amicitias nobilium uirorum. Hæc cum ita sint; modo paullo minus mentem, & paullo magis corpus exerceas, rectissime tibi erit: nosque, tui peramantes, afficies maxima lætitia. quod augu ror futurum: et, ut meam spem, quantum in te est, exitu confirmes, te ipsum tua, nec minus mea, causa rogo. K *alendis Apr. omnino te, sin id minus, Catullum tuum exspecto. diem unum prorogari, e re mea non est. Vale.*

EIDEM, Patauium.

PLANE *non assequeris, ut uideo, quorsum illa de me Momo scripta sint a me. non enim id spectaui, tuam ut remorarer industriam, sed ut acuerem potius, atque incitarem. tu autem ita commotus es, ita mecum uehementer, ac pæne iracunde agis in epistola tua, ut uix tibi temperes, ac ne satis quidem, cum uelles, temperare potueris, quin aculeos etiam in me non nullos emitteres. deinde quasi blandiris in extremo, uerbis utens amantissimis, atque honorificentissimis: cum ea mihi tribuis, quæ si respuerem, ipse me non amarem. tanti enim mihi sum, quanti ab ijs, quibus ego plurimum tribuo,*

fieri

fieri me sentio. Ac putabam, mi Murete, meos tibi sensus bene cognitos omnes esse: quòd si paullulum a mente quandoque aberraret oratio, non esse facturum, ut eò mea uerba detorqueres, quò neque meum iudicium, neque nostra iam pæne fraterna necessitudo ferret. quod quando secus uideo contingere; aberit posthac a meis litteris omnis ironia, aberit iocatio, quidquid denique eius esse generis intelligam, ut in utranque partem flecti possit. de illo ne meminero quidem, si potero: hominem enim contemno: silentium quidem, quod potero, ipse mihi imponam. De Plauto, uideor tibi scilicet, quod aiunt, in alienam messem. sic enim illud interpretor, A me, ut scis, efflagitabatur. Tu uero, me perlubente, rem suscipies: si modo, quod contra mihi uidebare, animum induxisti, ut efflagitantibus breui satisfacias. uerum, si præclaros de finibus commentarios, ad exitum iam perductos, paucorum dierum studio perpolire non uis, & magno litterarum damno pateris iacere: qui sperem te aut uelle hoc tempore noui aliquid ordiri, aut, si ordiaris, posse pertexere? magni negotij est, quantum otij res exigat tuis occupationibus eripere: non minoris, a te ipso, ut uelis, impetrare. facio tamen æquissimo animo, ut in te reijciam, ac transferam hoc, quidquid oneris, aut laudis est. consulatur modo publicæ utilitati. id, non modo a te, quem fero in oculis, sed si uel ab ijs, quos & de facie, & de nomine prorsus ignoro, præstabitur, æque lætabor.

Quare

Quare non solum per me licet, uerum etiam, si pa-
teris, precibus tecum ago, ut ad emendandas, illu-
strandasq. Plautinas comœdias tuam excellentem
industriam conferas. uereor tamen, ne, quod sum-
me cupio, id frustra rogem, atque exspectem.
Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

REM *tenes: optime tres poetæ coniungentur, ille,* M. ANTONII MVRETI COMMENTARIO ILLVSTRATVS; *reliqui duo, si rem suscipis; quod ita liberaliter, ac benigne polliceris, ut a me non minorem uerbis, quàm re gratiam ineas;* AB EODEM EMENDATI. *quòd si, ut significas, ad emendationes aliqua præterea fiet accessio: næ ego tunc, uere mutuam inter nos esse beneuolentiam, intelligam, ac uelle te mecum officijs certare: in quo antea (dicendum est enim) potuit esse illustrior amor tuus. Confugies uidelicet ad occupationes: ego ad illud: Nulla potest esse occupatio tanta, quæ amoris, & officij cursum debeat interrumpere. me ipso quenquam ne tu magis impeditum a negotijs, districtum a curis unquam nosti? quis tamen amicorum (amicorum autem? immo uero etiam alienorum) negotia curat libentius? tua mehercule caussa noctis etiam partem cogitando sæpe consumpsi: cum tamen corpusculi tenuitas maxime quietem postularet. Sarcies igitur, si quid omissum:*

missum: uel, si nihil, auge superiora: quod certe potes, &, si meum in te animum spectas, etiam debes. Vale.

EIDEM, Patauium.

REMITTO scholia, ut habeas corrigendi facultatem. quanquam est, cur addas potius, quàm mutes. quid enim? totus ne quartus liber ita mendosus aut obscurus est, nihil ut assequare, nihil scriptione dignum excogites? mihi non probabis, nec omnino cuiquam, tuum in Catullum præstantem commentariũ qui tractauerit. confice igitur, quantum quidem per te licet. licet autem tibi, quod, ut ego sentio, quam pauciſſimis. nos opus nostrum intermisimus tua causſa, tuum ipse opus nostra causſa ut urgeas, atque absoluas. nec dubito, quin, si adniti uolueris, & quasi cum ipsa re contendere, quod ego interdum soleo; magna ex parte præstes id, quod præter opinionem meam, ut aliquid ἐκ τῶν ἀδωμάτων, abiecisti. De rebus tuis, quæ mihi mehercule magnæ curæ sunt, consilium dies afferret: animus certe meus fluctuat: ita multa in utranque partem occurrunt. placet constantia, ita, sed si cum utilitate coniungatur. utilitatem porro non lucro magis, quàm dignitate, metiamur. quod tu quoque uideris significare in illo loco, Vellem hic paullo ἐντιμώτερον uiuere liceret. Veruntamen, mi Murete, si quid agimus minus interdum splendide, con

tra

tra quàm nos præclara liberalium disciplinarum studia docent, excusamur temporum iniquitate, et multorum exemplo; qui, cum affluant ijs rebus, quæ sæpe a nobis, fortunæ potius culpa, quàm nostra, desiderantur, quotidie tamen aliquid ultra appetunt: quam meus magister Egnatius, si audires uerba, stultitiam, si uitæ rationem spectares, plane singularem sapientiam iudicabat. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

QVINCTILIS *kalendæ, quem tibi ego diem desinieram, præteriere iam, ut uides. itaque si quam ex meis litteris de perpoliendo Catullo tuo curam susceperas, ea te libero. temporis enim coactus angustijs, mandaui meis, ut alia quædam prælo subijcerent. mensem, quod ad me attinet, uel integrum, eoq. amplius, licet interponas. interim ad Terentium omnem tuam industriam, suadeo, conferas. noui omnino te laudis in studio nunquam languentem: sed in hoc libro, qui maxime omnium uersatur inter manus, ipse te debes incitare, & eo magis, quòd erit, qui editum statim arripiat, syllabatimq. omnia dimetiatur. admodum enim seuere, ac studiose iudicat aliena; sua uero premit, exire non patitur, diu licet euigilata, acerbus etiam in se ipsum, minimeq. indulgens. Ego accingor ad Plautum. nec desperarem aliquid a me, si minus*

ingenio,

ingenio, saltem diligentia, posse præstari: sed interpellant salutatores a mane ad uesperam, honesti illi quidem, cupidi uirtutis, officio, & amore erga me, ut uidentur, incensi; tamen interpellant. scis illa Ciceronis nostri, ad Sebosi, Arriq. aduentum ingemiscentis. hui, unum ne ego Sebosum, unum habeo Arrium? uidelicet: sexcentos: quibus, uelim nolim, diei horæ dandæ sunt omnes. ex quo quantum molestiæ, quantum hauriam acerbitatis, ipse, qui meam consuetudinem, ac meos plane sensus tenes, facile potes conijcere. nam rem familiarem, etsi minime abundo, iacere tamen æquo animo patior: studia uero mea negligere nullo modo posum. De tuo aduentu spem non nullam iniecerat: eam rursus extenuant postremæ tuæ litteræ. ego illud scilicet primum, ut habeas rationem ualetudinis; secundo loco, quod tuo commodo fieri possit, ut te nobis restituas, exopto. Quid Molinus noster, quid agit? quid autem ego hoc quæro? nimirum ille totos dies tecum, id est in uirtute totus est; nec tuam complexus doctrinam dimittit, iudicio adductus suo, meo consilio confirmatus. Vale. Hæc ante lucé, cubans in lectulo, amanuensi meo, & iam meorum studiorum socio, dictaui, nobili adolescenti Cyprio, Herculi Podocatharo, qui eras Patauium cogitat, teq. meo nomine salutabit. illa superiora familiari meo, Sebastiano Leoni, qui se forte obtulerat, dictaueram inambulans, quòd eram paullo crudior: nec fere mea manu libenter uti soleo.

EIDEM, Patauium.

QVI *mihi tuas attulit litteras, ei ego meam omnem operam, si qua in re uellet uti, atque omnino quidquid ualeo, tua causſa detuli. usus es. meam amicitiam plurimi facere, & a me, præter eam, nihil expetere. quod illi facillimum fuit impetrare. nam cum omnibus natura pateo: tum uero, qui a te diliguntur, amore meo nunquam excludentur. Catulli quod apud te reliquum est, biduo si miseris, satis oportune facies. deinde mihi ornatus comites eius, utrunque dignum, ubi nerulos ingenij tui contendas. etiam illud. mihi tribuis petenti: quod ante omnia, & unum fortasse, spectare te puto. cras, ad summum perendie tria Catulli folia mittam. Filiolum meum Hieronymum, non dum quinquennem, Aldo parem ingenio, ualetudine firmiorem, mandare Epidaurum ad hominem eruditum, meiq. peramantem, Paullum Bosium, cogitabam. ibi moribus, & primis litteris imbuetur. nam ego me ad hæc humilia demittere nullo modo possim. Quid præterea? nihil scilicet: immo aliquid. Scribe, amabo te, mi Murete, ut instituisti, quamsæpissime. mehercule, e summis, atque assiduis non modo negotijs, uerum etiam animi curis, tantum in tuarum epistolarum elegantia, & suauitate conquiesco. atque etiam, dum ipse ad te scribo, quia te mihi præsentē statuo, mutuumq.*

inter

inter nos sermonẽ fingo, incredibili uoluptate perfundor. Vale. Venetijs. Herculeis meus, quia festus hodiernus dies est, abest. ideo hæc mea manu, decies interpellatus, exaraui.

EIDEM, Patauium.

AIS ne? Iannottus ita suasit? uix adducor, ut credam. tibi tamen cur non credam? ego mehercule, quod Iannottus probare uidetur, id non solum probo, uerum etiam mirifice cupio. quid enim mihi suauius tua consuetudine? qua nihil iucundius. tuo uero sermone quid utilius? qui solet esse tum eruditus, ingenijq. notis adspersus, tum etiam beneuolentia refertus in me singulari. At, Ferrarien sem condicionem ut acciperes, auctor fui. Id quidem (tu scis: facile enim potuisti conijcere) ualde contra meam uoluntatem: cui nihil potest esse molestius, quàm a te diuelli. Sed quid? an ego paterer tuam fidem in dubium uocari? qua maxime probitatis nititur opinio. dixeras de Turulone, præstanti uiro, non solum animi, uerum etiam fortunæ bonis ornato: cuius mihi fuit, item ut esse debet, auctoritas grauissima: nec ausus sum repugnare: dedi manus. ἰτέον, concluſi. quòd si Iannottus, quem noui rerum agendarum usu peritissimum, an tiqui hominem officij, pollicetur sese impetraturũ: suscipio, quod abieceram, consilium; nec iam amplius ἰτέον, sed hic, hic nimirum φιλοσοφιτέον, idq. nobiscum,

nobiscum, summa cum animi uoluptate clamo. primum igitur illud, Sigonius ut habeat, quod uult: quò eum plerique minime cupidum impellunt: deinde, ut nos te fruamur. quod si assequor: ego quoque ijsdem multam salutem: pro sexcentis ipse unus eris. diuitiarum satis habebimus, si contemnemus. Ergo, quod iam institueram, obseruabo omnia, omni enitar studio, omnibus inseruiam. uolo te bene sperare, me agente, bonis fauentibus, inuidis & obtrectatoribus imbecillis. Molino, parum abest, quin uehementer inuideam. quid ni? artem memoriæ tenenti. ueruntamen impedit amor, a quo abesse solet inuidia: etiam ea spes, quòd ille, quo eum bono alienus homo impertiuit, ciui suo homini amantissimo, fortasse etiam bene merito, certe nunquam denegabit. esset enim sui dissimillimus, id est humanitatis expers. sin recusat: allegabo ad illum, quem? quem putas? te scilicet, cui debet omnia: si modo in uirtute omnia posita sunt: quam ille discit te magistro. καὶ σώτε δύ' ἐρχομένω, quid non impetremus? Vale.

EIDEM, Patauium.

PROFECTO nihil est uberius amore in me tuo: nec amori cedit ingenium: itaque mea causa & uis omnia, & idem facile præstas. quod cum ita sit; nimis tamen facerem impudenter, atque adeo neque ipse te amarem, nec amore tuo dignus

essem,

essem, si plus tibi oneris imponerem, quàm occupationes patiantur tuæ. Scholijs, quæ polliceris, contentus ero; quandoquidem uideo te commentariolo non uacare. tu modo, qui Catullum expolieris, da operam ut in Tibullo, & Propertio, qui locum illi proximum in elegantia uerborum, atque in sententiarum concinnitate obtinent, quamsimillimum tui te præbeas. ita tres pulcherrimi poetæ, & sine dubio inter Latinos in illo festiuo genere Principes, ueterem suum splendorem, ereptum uetustate, atque hominum insciția, tuo maxime studio recuperabunt. ego autem ipse mihi gratulabor, & quodá modo gratias habebo, quia te ad hanc industriam excitauerim. nec desinam eadem ratione de litteris, quando per humanitatem tuam licet, bene mereri, cum eo tamen, ut tibi, homini occupatissimo, studiosorum utilitatem, id est tuam laudem, uerecunde commendem. Molino meo salutem, & simul age gratias de meis scriptis. Vale.

EIDEM, Patauium.

Binis iam litteris de Martello: nec tamen a te uerbum. ualde te distentum esse oportet, qui tam longis diebus, tam pone tuas ædes habitantem alloqui non possis. at qua de re? primum mea, deinde ea, in qua non ultra sex aut septem uerba sermonem continuare sit necesse. quare si te nimis ursi, uelim ignoscas; tum, si per tuas occupationes licet,

cet, frustra ne urserim, efficias. quid? Molino nostro negotium dederis: non recusabit, nostra utriusque caussa. in quo danda opera est, ut omnino responsum ab illo aliquod exprimatur. nam ex hominis diuturno silentio adductus sum in suspicionem, ne parum sincere mecum agat, & exactum neget, quod iam in usum suum erogauerit. quod equidem cupio esse falsum, & me de amico peruetere scelestè suspicari. Nunc audi, quod tua magis interest, quanquam nihil ad te pertinet, quod me quoque ipsum non attingat. nec te puto aliter esse animatum erga me. ueruntamen audi, quod certe non exspectas. Quænam ei deberi a te putes euangelia, qui librum inuenerit antiquum, & illam aperuerit latebram, ubi, Caluier, illud sit aliquando deprehensum? equidem incessi omnibus lætitijs, ut ait ille. sedabuntur enim illæ turbæ, & comprimetur quicquid erat sermonis aduersus te dissipatum. quod ego & tua, & eorum, quos dilexi semper, caussa uehementer cupio. uerum primum quidque explicemus. nũc Tibullus instat, denuo prælo subiectus. is, &, qui sequitur, Propertius, absoluendi tibi sunt. deinde ad Terentium accingere. interim da operam, ut Bembi libro uti possis: cuius ope quin maculas eluas bene multas, & suos uersibus numeros, aliena culpa perturbatos, restituas, etsi non dubito, tamen hortor ut adhibeas diligentiam. cupio enim de te omnes bene sentire: cupio comprimi os paullo liberius loquentium; qui non modo te, uerũ me

me quoque uidentur ignorare, non sine causſa ea, quæ ſoleo, de tuo ingenio, ac iudicio prædicantem. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

PAVLLVLVM *nunc quidem ego exorior: poſtea quàm mihi amanuenſis meus, quem abduxerant aliena conſilia, optans optanti reſtitutus eſt: cuius opera, & officio meis oculis, uel plane totius corporis ualetudini conſulitur egregie. iam me labefactabat, iá nutare cogebat labor: ſtomachumq. deijcere quotidiani uel operis, uel officij ſcriptio neceſſaria cœperat. et is, quem Bononia exſpectabá, differebat aduentum, uſque eò, ut, uenturus eſſet, nec ne, ualde iam ſuſpicarer, atque ſubdiffiderem. qui ſi uenerit; erit omnino aliquid, ſed, ut arbitror, nihil ad Herculem: quem ſcis meam non modo orthographiam, totamque interpungendi, & diſtinguendi rationem tenere, uerum ita manum quoque, cum uelit, imitari, ut te ipſum, peritiſſimum litterarum mearum cognitorem, aliquando fefellerit. Scribe, inquis, ubi tantum neceſſe eſt: ita ſcribes raro. Non ita eſt. poſſem ſtudia mea, quæq. habeo inſtituta, quæ multa ſunt, abijcere: litteris uero ſalutantium amicorum, aut aliquid a me poſtulantium, quaternis in die minimum, ſæpe octonis, & denis, non reſpondere qui poſſum? ut omnino aut amittenda ualetudo, aut humanitas deſeren*

da uideatur. Quare locum habes gratulandi. debes enim meis perinde commodis gaudere, ac tuis, magis etiam fortasse; quòd ego minus, quàm tu, possum incommoda sustinere. De Tibullo, cessator esse noli, etiam si tibi ego cessandi facultatem prolixe detulerim. est enim, ut scripsi antea, unius prali opera, ne tibi crebra appellatione molesti essemus, intermissa. Verum istos ego quotidie poetas, quos in manibus habes, amo uehementius. caussam quæris? quia tuas, amantissime ac disertissime loquentes, eliciunt epistolas: quarum non modo suauitate, uerum etiam fructu aliquo, occasione sublata, carerem. quod cum ita sit; cupio tamẽ, atque etiam, si pateris, rogo, rationem habeas rerum mearum: quibus quo longior, eo grauius procrastinatio damnum inferret. Vale. Ante solis ortum, albescente die. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

TV uide, cui commiseris. nam ad me nulla dũ perlata sunt Catulli folia. quæ si periere; damni factum est eo plus, quòd nec ad illa, quæ sunt apud te, licet transilire. quandoquidem ordo foliorum non seruatur; nec pagina paginæ, nec uersus uersui respondet. itaque magnam utriusque nostrum caussa sustineo molestiam: uereorque, ne, quod aliena culpa contractum est, nimis ego id grauiter luam. tota enim typographiæ ratio, ut officinæ præfectus

fectus affirmat, mutetur necesse est, nisi hæc, quæ ne funditus interierint, magnopere timeo, hodie fo lia recuperantur. quod utinam ex hac difficultate, in quam aliena uel socordia, uel perfidia coniectus sum, tuæ me litteræ eripiant: quas ad meas hesternas cras exspecto, & ad has omnino perendie. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

SEDATA iam tempestas omnis est, & naui gamus in portu. reddita mihi sunt hac ipsa hora, quæ tu tribus ante diebus miseras, quinque Catulli folia, delata prius ad eum, qui libros in Asulana tractat officina; hodie tantum, ut ipse asseuerat, an, ut, ex litteris tuis oportuit, nudius tertius, diuinare non possum. hoc certe uideo, per communes tabellarios non esse missa: quorum fides in reddendo desiderari non solet. sed profecto fortuita multa; quibus perturbari, & fluctuare uitam hominum, necesse est: quæ cauere consilio, aut ratione si liceat; bene cum multis ageretur. penderet enim a prudentia felicitas. nunc æque omnibus occurrunt incommoda: usquequaque casus, & fortuna dominatur. De filiolo meo, amabo te, quemadmodum animo, sic lingua faueas, primum amoris nostri, deinde ominis etiam caussa. auferet ille quidem omnem iucunditatem; & plane diuellar a me ipso; sed hoc tamen antepono, nisi fallor, salu-

tare consilium; &, ut ei consulatur, animum tuum co. Quòd iterum iam ad me Molini manu, gratulor, pæne etiam subinuideo. meus enim a me, nec, ut puto, rediturus, Tiro discessit: quo consilio, de ipso cognosces. cum ad me retulisset; neque suasi, neque dissuasi; ne dissentirem in hoc ab ipsius patruo, in illo autem a me ipso. suasi etiam potius. contra uoluntatem, inquies, & iudicium? sic sum. auertere a me uolui, quæ poterat exoriri, suspicionem utilitatis, & commodi mei: quam ego unam spectare non soleo. Clausula sit, quod initium epistolæ fuit. Restitutus mihi uideor, inuentis Catulli foliis. tu quoque redi ad tuam tranquillitatem, nec institutum omitte. Vale.

EIDEM, Patauium.

QVID? *tu me putas hoc in genere acutissimum? fuit, cum ipse quoque mihi planè ita persuaderem: nunc nihil minus. nã hoc toto biennio prorsus nihil uidi: &, ut omittam cetera, meum illud tantarum uigiliarum munus, non tibi uenit in mentem, quàm misere perierit? itaque, qui mihi ipse tam male consuluerim, mehercule inuitus adducor ut alteri consilium dem. uides iacere bonas artes; illa sordere, quæ præclara ducebantur. cuius maxime uitij culpam sustinet eorum insciti, qui putant scilicet in opibus esse omnia, & fortunæ pedisequã esse uirtutem: stulte: nam illi & uiuentes audiunt pessi-*

pessime, uerissimisq. maledictis proscinduntur; et, ubi e uita discesserint, æterno silentio damnati, apud omnem posteritatem ignorabuntur. nos autem nunc quidem fruimur suauissima omnium, & iucundissima uoluptate, quæ manat ex honestis cogitationibus, ac studijs: nec erit, opinor, ulla, quæ nostræ uitæ cursum definiat, dies. non in omni ætate decus, ac dignitatem pariet ea, quæ nunc, auri, argentique uis. suus cuique aliquando, pro animi ingenijq. præstantia, persoluetur honos. interim uiuamus nobis, ac litteris, seiuncti ab ijs, quos nutu appello, id est ab ipsa plane barbarie; ne quam ex eorum conuictu labem contrahamus. Munusculum tuum non uideo cui deferas. inania tibi nostra, mihi nec peregrina solida uidentur: siquidem ipse, quod iam significaui, diu peregrinatus, oleum, & operam. Nobilitatem, & uirtutem si quæris, est Bononiæ Camillus Palæottus, Mediolani Bartholomæus Capra, duo quauis laude, ut ego sentio, excellentes uiri. Capram nunquam uidi, sed, hominum sermone, tanti facio, quanti si ille sciat, studio me, non dubito, quin mediocri cõplectatur, & in amicitiam plane intimam recipiat. Palæotto, quæ est hominis humanitas, usus sum, quàm diu Bononiæ fui, familiarissime. omnes in eo disciplinæ sunt nobili uiro dignæ: morum autem elegantia, comitate, officio summus est. hi sunt nobis ornandi, & diligendi: Crassos quosdam, ac Midas nunquam omnino nostra meliores laudatione faciemus.

mus. quin ita desipiunt, ita ipsi se ignorant, & ignorari ab omnibus putant, ut in sinu sibi gratulentur, quasi sint, quos esse fingimus; cum nos ea ipsa, quæ desideramus in illis, ad cohortandum, non ad laudandum, colligamus. Habes meam sententiam, quos uites, quos deligas. nominare præterea multos possem: sed incerta ratio est: & illi duo excellunt. Occurrit illud. ad ignotos, non facillima ὑπόθεσις. alijs, fateor: te quidem ab hac difficultate uindicat ubertas ingenij tui. Alterum est: ambitionis, aut etiam leuitatis cauenda suspicio. Locus omnino aliquis calumniæ dabitur: sed omnia ne curanda? nimis misera condicio. ualeant iniqui: recte sentientes probabunt: nec nos ij sumus, quos a multitudinis deprauato iudicio pendere debeamus. Vale.

EIDEM, Patauium.

MIHI *uero, ita uiuam, etiam atque etiam probatur. et cum in quouis genere magnus omnino sis, in hoc maxime uideris excellere. plane (ut omittam reliqua) ingenij tui quasi quandam δεξιότητα sum admiratus. ita concinne, ita apte, facili quodam sententiarum nexu, rem ducis, donec ad ipsum peruenias: in quo te, ubi scis hærere multos, citra omnem adulandi suspicionem, summa explicas cum dignitate. Gratulor tibi de ista facultate, & eo magis, quòd, si locis impertitur gloria, nouum*

uum decus accedet ad Italiam noſtram: in qua ſedem, auctore, atque auſpice me uno, ita locaſti, ut cogitare nihil prorſus de migratione uidearis. nec uero ſecus debes. ualde enim ad litterarum elegantiam, planeq. ad omnem humanitatem tibi profuit hoc cælum, in quo iam per quadriennium ſpiritum hauris. itaque noſter eris perpetuo, mi Murete, ſi gratus eſſe uis: quod profecto uis: ſoles enim hanc uirtutem præter ceteros efferre. Tibulli principium mitte: ut cum epiſtola coniungatur. Scholia, non dubito te operam daturum, ut tua uideantur, id eſt lita luminibus ingenij, &, quantum res patitur, erudita.. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

GRAECOS *typos, meumq. de Syriano edendo conſilium probari tibi non mediocriter, ſignificas. ſic putaram: & in utroque nunc mea tum opinio, tum uoluntas, te approbante, qui mihi multorum inſtar es, magis, magisq. confirmatur. De Catulli clauſula, parum commode: ſed nihil, Murete petente, recuſandum. Video te Propertium negligere: cum ego me illis uerbis, quæ ſunt in prima Catulli pagina, quaſi prædibus obſtrinxerim,* AB EODEM CORRECTI, SCHOLIISQVE ILLVSRATI. *itaque nec integrum iam eſt: &, ſi ſit, cur poetam elegantem, maximeq. omnium latinorum fabellarum uarietate, hoc eſt uere poetica*

eru-

eruditione florentem, abijcias? Etiam illud: oblitus ne es, ei te commentarium publice esse pollicitum? scholia saltem, si commentario non uacas: et utrunque Torquato: aut, si uni utrunque non uis, Propertium cui uidebitur: inops enim ab amicis non es: sed malim utrunque Bembo, qui nobilitatem a patre, uirtutem habet a se ipso. Dices, tibi otium deesse. si hoc impedit; faciam, ut abundes. inibo enim rationem eiusmodi, ut operæ meæ, quarum tibi molesta nunc celeritas est, gradu testudineo pergere uideantur. Germano tuo cupio mehercule satisfacere: sed aduersantur multa, maxime peregrinitas, non satis apta nostris moribus, & ignoratio linguæ Italicæ. meum tamen illi studium nullo loco deerit, si monuerit: sin ipse aliquid uidero, in quo liceat eius rationibus consulere, aggrediar, & quantum in me erit, perficiam. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

QVOD heri sum oblitus, quia scripsi raptim, Podocatharo meo dices, et eius me litteras accepisse, et misisse Romam per publicos tabellarios, quas in eodem fasciculo ad me dedit. Velim ad me quàprimum, quæ in Catullum errata notasti; ut una, aut altera pagina, quæ uacat, impleatur. Aliena manu, & breuissime; quia ualebam paullo deterius, quàm soleo, fractus, planeq. debilitatus negotijs, & curis. cura te diligenter, & Molino nostro salutem. Vale. Venetijs.

Eidem,

EIDEM, Patauium.

VEHEMENTER *mihi arrisere tua scholia, sic inquam, ut fere se commentario æquare uideantur. perges igitur, dijs bene iuuantibus. Cupio tuum Plinium: quem dare poteris amanuensi meo: cui reditum patruus, nuper e Cypro aduectus, multis a me uerbis impetrauit. redibit, opinor, ad nos intra quatriduum. Exspecto reliqua; quod tuo tamen commodo fieri possit. nam, ut tuis consuleretur studijs, & commodis; cessare de duobus prælis unum maluimus, quàm te nimis urgeri. attamen rogo, des operam, ne longius ducatur. Vale.*

EIDEM, Patauium.

OMI *Murete, quot me premunt onera, quibus angor curis. accedit imbecillitas ualetudinis: quam, do equidem operam, ut omnino tuear, ac sustentem: sed uacillare interdum necesse est: ita multa incurrunt in nos; quæ nec uitare licet, nec sumus ad sustinendum pares. tu me, tuus amor, tua uirtus multum leuat. si duo præterea; mecum optime ageretur. sed ubi sunt? ἀτὰρ σύμοι ἐασὶ πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ, Ηδὲ κασίγνητος. quod spero perpetuum, nec ut ait noster, constantiæ caussa, sed uoluntatis, ac iudicij. In erratis cur numeras mæror,*

&

& flamma? quorum alterum uetustas uniuersa, alterum consuetudo probat. etiam, sæcula, tum scribebant. nam Varro in etymologijs Varro non uidetur: itaque & a Quinctiliano merito ridetur. Exspecto Tibulli folia, quæ supersunt, & scholia. Vale.

EIDEM, Patauium.

MOLINO *dixeram, quæ tibi si narrauit, iteranda non sunt; sin omisit, committenda litteris non uidentur. nec tamen te diutius cælabo: interim hoc unum; quo fortasse contentus eris: ad alios potius, quàm ad te, pertinere, nec ullam omnino tuæ dignitatis, et existimationis partem attingere. Hic sermo increbuit, ex quadam tua, ut audio, ad Lambinum epistola, captum tibi iam esse de Ferrariensi condicione consilium. quod si ita est; magnopere gaudeo, ac tibi Deum ea, quæ cogitas, uehementer cupio fortunare. sin autem hæc irrania sunt, ac temere iactata: æque lætor; teq. hortor pro mea in te beneuolentia singulari, ut habeas rationẽ in primis non modo tranquillitatis, uerum etiam constantiæ tuæ, uelisq. Patauinam commorationem esse quamlongissimam. ego tamen, quidquid egeris, meam non modo uoluntatem, uerum etiam sententiam cum tua coniungam: sed uereor, quòd minime uelim, nẽ quis, in te non rectè animatus, sermonis materiam nactus, leuitatem obijciat. iam enim*

quiddam

quiddam inaudiui. In Tibulli quartum, aueo scire, cur nihil uolueris. nam, posse te, certum est. nos opus intermisimus, donec a te plurima colligantur. scis consuetudinem præli. urgebit te quo tempore minus exspectabis, & opprimet nec opinantem. quare cum otio nostro tuum negotium metiri non debes, sed, cum iacere nos uidemur, ipse nihilo minus ad industriam excitari. Amicus ille tuus, cuius ingenium, ut in adolescente, laudabamus, detulit quædam ad Othomanum, quæ, si ille uera putasset, incenderetur aduersus me, et institutam amicitiam, quam spero fore diuturnam, abrumperet. te unum testor, quid ego de illius doctrina, atque ingenio & sentiam, & sæpe prædicarim. ille tamen simiolus longe aliter; uel quòd est, ut multi, infensus Italico nomini; uel quòd natura improbus, qui fingat ea de me, quæ repugnant penitus iudicio meo, atque etiam naturæ; cumq. ornatus a me sit, detrahere tamẽ de mea laude conetur. nec tamen est nihil, quod ad te ipsum perineat. quæ, quia sunt iniusta, contemnes, ut ego, quæ sunt falsa. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

Cvm antea, multis mihi declaratam argumentis, tuam prudentiam ualde probaui: tum uero, lectis tuis litteris, laudaui te, ut hominem consilio præditum excellenti, atque etiam, ut uirum bonum, qui nihil antefert honesto, suaq. maxime fidei,

dei, uel cum rei familiaris ingenti iactura, sibi esse habendam rationem existimat. Opima tibi deferebatur, admodumq. honorifica condicio, auide a multis, & ambitiose petita. nihil occurebat contra, quin accipienda uideretur. tu tamen reijcis: & facis, meo iudicio, sapienter: primum, quia tueris officium, qui Cardinali Estensi iam promiseris: deinde, quia ne sic quidem tuam utilitatem deseris. quis enim illo ad liberalitatē propensior? quis paratior ad fortunæ bonis? habes igitur in eodem cum uoluntate rem. nec tu is es, in quem aliquid indigne conferatur. atque etiam, quo maior, ac præstantior adesse, ac se tibi offerre uidetur occasio, cum summo Principi, singulari uiro, tuam operam dices; eo tuam acues, atque excitabis industriam diligentius; ut ipse te uincas, & beneuolentiam Cardinalis ex omnij tibi ratione concilies. in qua una si tuæ uitæ quasi tabernaculum constitues, & ita perpetuo senties; o te felicem Murete, nec iam amplius a fortuna pendentem, quæ tui similes sæpe iactat arbitrio suo. Nunc ego quidem a te fructus tuorum studiorum uberrimos, de quibus me sæpe prædicante audiere multi, non solum exspectabo, uerum etiam exigam. quanquam tu mea certe monita non exspectabis. noui enim tuos sensus hac in re cum meis optime congruentes, ut eam denique esse uitam ducas, quæ uiuitur in studijs, cetera inania, speciosa multa, plerunque tamen falsa. Interim fruere tecum ipse, &, quod aiunt, in sinu gaude tantæ felicitati

citatis exspectatione: quam æqualem uideo fore ui tæ tuæ, ipso uiuente, qui te exspectat: quem debes, uel si tibi Cræsi opes ostendantur, unum sequi, & unum ornare tuis studijs, uel potius ex ipso tui ornandi, atque illustrandi capere argumentum. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

LABORABAM uehementer de amico nostro: nunc animum meum constituit, aliquo interdum, ut uere dicam, metu fluctuantem, epistola tua. atque ad metum accedebat indignatio. quid? uirtuti ne deerit ornamentum? aut etiam locus, ubi consistat? tanta ne est temporum iniquitas, et hominum in suis bonis ignoratio? hæc ego quandoque mecum: nunc uacuus cura iam sum, & ex eo, quod significas, ut in exoptata fortuna triumpho. uelim igitur ei meo nomine gratuleris. Tuos uersus, tua fretus humanitate, iam promiseram. eos exspectabo, minima, si fieri potest, interposita mora, nec tu uelim me diuturna exspectatione ducas. Illa ad illos, qui te nunquam amarunt, quos male scis audire suo merito, cur non transferas ad alios? equidem suadeo. quòd si tenerem ὑπόθεσιν; facile dicerem, ad quem. me a lusibus, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἐρωτικῶν plane reuocat non solum natura mea, sed ætas etiam, senectuti propior, quàm adolescentiæ. itaque, si quid ad me scribes, remoue, amabo te,

te, omnia, quæ tamen dilexisse Plato uidetur, ἀφρο
δίσια. Intelligis, opinor, quid significem: &, quod
significo, petere me, uel cupere etiam, si me putas
ingenium tuum nosse, existimabis. De beneuolen-
tia tua, etsi nunquam dubitaui, ex te tamen ipso ea,
quæ opto, libentissime audio. quanquam ad studii
in te meum nihil studij tui addit commemoratio.
non enim te amare cœpi, ut ipse me amares, sed
quòd amabilem ipsum esse duxi multis nominibus;
quæ tibi ipsi ne exponam, non modo meus, uerum
etiam tuus pudor impedit. Iactura te mouet rei fa-
miliaris in discessu repentino. noli laborare: lucrum
erit in damno; si spectas eum, qui te excipiet, præ-
stantem uirum, erga tui similes optime animatum,
cuius egregiam uoluntatem non dissimilis fortuna
comitatur. sarciet igitur ille, si quid ob subitam mi-
grationem damni facies: &, ut spero, tuum te con-
silium quotidie magis oblectabit. Polam uideo te
abiecisse, & lætor mehercule tua caussa. ueruntamen, si quando opus erit, secessum illum non con-
temnes: ut habeas tu quoque, exemplo Africani,
& Lælij, tuum Lucrinum, cuius in litore, negle-
ctis Regum thesauris, omni prorsus ambitione so-
lutus, aut conchas legere, aut fluctus numerare pos-
sis; eoq́. lætius, si me tibi tantæ comitem uolupta-
tis Deus obtulerit. Verum hæc, ut quidem nostræ
nũc utriusque res habent, inania: quæ tamẽ, si per-
fecte saperemus, omnium fortasse prima. Sed ui-
des me tecum garrire? captum uoluptate sermonis,

dum

dum te quasi præsentem alloquor, & utor manu eius adolescentis, quem iure Latij donatum, Cretensibus ademptum, affirmo tibi dignum aliquando fore nostro contubernio. quod quidem studiose agit, tuo maxime exemplo incitatus. etsi non te nostra domus, sed tua te industria, tuum nobilitauit ingenium. Libri aliquando exierunt, quos ad te mitto, iuuenis optimi, & insigniter eruditi, Onuphrij Panuinij. non dubito, cum legeris, quin meum de illius præstanti uirtute testimonium confirmes. habet alia in manibus, unde fructum studiosi capere uel maximum possint. quæ ut edat maturius, otium illi exoptare, qui rerum nobilium scié tiam appetunt, omnes debent. Vale. Venetijs.

EIDEM, Ferrariam.

Vix credas, quàm non facile mea manu litteras conficiam, & quàm facile, cum utor amanuensi, fluat oratio. itaque scripsi ad Seuerum laborioso, quod inambulans, ut antea solebam, minimo negotio dictassem. discessus ille meus, magnorum index malorum, ut ab amicis tunc, falsa coniectura ductis, putabatur, familiares meos, quorum uti opera consueueram, Podocatharum, Fasinardum, postremo etiam Nicolaum Cretensem mihi ademit. filium habeo, sed puerum adhuc, & imbecillo corpore, & occupatum satis domestica cura. itaque posthac, nisi quid occurrat grauius, perquam

raro, & quam breuissime scribam. uenio ad litteras tuas. Reuersus e Foro Iulij, quò exieram non tam negotij, quàm ualetudinis caussa, reperi librum tuum uariarum lectionum, quem apud Sixtum Medicem, communem amicum, excellentem uirum, reliqueras. noli exspectare iudicium meum. malo enim te ab alijs, quid de tuis studijs, quid de ingenio existimem, quàm a me ipso, cognoscere. unum tamen illud non minus uere, quàm libenter dicam, nihil me adhuc in hoc genere legisse ornatius, nihil eruditius. Quòd autem quibusdam in locis & a me dissentis, & egregijs idem laudibus me ad cælum tollis: non magis amorem in me tuum, quàm doctrinam, amo: ago etiam gratias, quòd publicam utilitatem rebus omnibus anteponas. quam ego antea consuetudinem, acceptam a patre, seruaui mea sponte, & seruabo posthac, tuo imitatus exemplo, diligentius. De nummis, cum lubebit, atque adeo ut lubebit. urgeri enim eum, qui cum tibi usus intercedat, ne si quidem ipse uelis, facile permitterem. Dionysius paullo serius, quàm putaueram, absoluetur. moram iniecit commissa inter operas rixa, absente me. neque tamen hac satis leui, sed alijs adductus caussis, quæ ponderis longe plus habebant, pæne totum consilium abieceram. nunc, te hortante, ac monente etiam ut celeriter, quid agam? quid autem, nisi quod ipse cupis? quod certe mea caussa cupis. urgebo igitur pro uirili, nec impensæ parcetur, aut labori. De Gallo-

rum

rum Rege, dolui sane grauiter dolorem uestrum: sed, humana quæ sunt, humaniter ferenda. nec uobis doctrinæ remedia, nec ea, quæ sumuntur a rerum usu, deesse possunt: & tu mihi miranda narrasti de Cardinalis pietate in Deum: quo ille se uosq. omnes præsidio aduersus iniquitatem fortunæ præclare tuebitur. Vale. Venetijs.

IOANNI BAPTISTAE RHAMNVSIO, XVIRVM CONSILII A SECRETIS, Venetias.

CVM a nobilibus uiris, in hæc loca uel animi, uel negotij caussa confluentibus, dignitatem illam, quæ maxima est in nostra ciuitate, ut arcanis præesses præstantissimi Xuirum Consilij, summo omnium consensu tibi esse delatá accepissem; magnopere sum lætatus, tum pro ea, quæ olim inter te, ac parentem meum mutua semper fuit beneuolentia, tum pro mea in te uetere obseruantia, orta primú a meo de tuis uirtutibus iudicio, deinde a te multis, ac uarijs, ut tempora tulerunt, erga me, meosque officijs uehementer aucta. atque ego meam tibi pæne incredibilem lætitiam, ex honore tuo susceptá, statim litteris declarassem, nisi, autumno iam exeunte, breui futurum speraßem, ut, in urbem reuersus, præsens præsenti gratularer, neque solum ex oratione, sed ex uultu, & oculis, qui sunt indi-

ces animi paullo certiores, de meo in te ſtudio, inti-
moq. ſenſu iudicares. hac ego me non multorum
dierum exſpectatione cum ſuſtinerem, ecce tibi a-
micorum litteræ, ecce nuntij, proximis comitijs tu-
liſſe te fructum anteactæ uitæ omnis, tot peregrina-
tionum, quas in Galliam, ad Heluetios, Romam,
etiam ad hoſtes armis infeſtos reip. cauſſa ſuſcepi-
ſti, tot conſiliorum, quæ a te fluxerunt ad augen-
dam, quantum in te fuit, patriæ dignitatem. cum
enim longo poſt interuallo in eum locum rediiſſes,
unde magiſtratum deſignatorum nomina recitan-
tur; conſurrexit ſenatus uniuerſus, ex tuo conſpe-
ctu mirifica uoluptate perfuſus. quæ tum animo-
rum omnium perſpicua ſignificatio ita te commo-
uit, ut ilico magna uis lacrymarum exciderit, intu-
enti beneuolentia tuorum ciuium, quos in omni a-
tate dilexeras, quibus iam inde a prima adoleſcen-
tia, parentis tui, ſummi uiri, exemplo omnibus of-
ficijs inſeruieras, nulla tibi, præterquam amoris,
præmiorum ſpe propoſita. Fuit igitur eo die mu-
tuum, & æquale gaudium, ſenatus primum, ubi
tuam ſibi uocem, claram pariter, & ſuauem, in
pronuntiandis magiſtratibus uidit eſſe reſtitutam,
quam poſt obitum magni Cancellarij Franciſci mi-
mium ſæpe deſideraverat; deinde tuum, cum illa
tibi cum incredibili gaudio, ac pæne cum clamori-
bus uniuerſa conſurrectio, quid de te tui ciues exi-
ſtimarent, quo te ſtudio, qua caritate complecte-
rentur, oſtendit. enimuero lætari te puto, quod qui-
dem

dem iure facis, & nos te imitamur, summo dignitatis gradu, quò te tua uirtus extulit, ut arcana illa tractares, quæ ad reip. salutem, & huius magnitudinem imperij pertinent. uerum hoc sæpe uidimus alijs quoque contingere, optime scilicet de patria meritis: nec enim honor ille in quenquam, qui sese magnis in rebus non sæpe probauerit, confertur: studia uero tanta, testimonium tam illustre, consensum eiusmodi quando ulla omnino in re, uel in quēquam omnino hominem uidimus, aut audiuimus? itaque cum ad meam priorem lætitiam nihil addi posse existimassem, nunc tamen accessionem haud mediocrem noui gaudij factam esse confiteor: ut eā testari litteris, ac tibi, quoquo modo licet, indicare sim coactus. uideo enim te uno die, atque una plane hora mercedem cepisse non modo meritorū tuorum, quorum habes testem uniuersam pæne ciuitatem, uerum etiam perpetuæ tuæ modestiæ, cum, amore, ac iudicio patriæ contentus, nulla unquam commoda, nullūm honorem tibi esse petendum statueris; ut admiratio simul & dolor propinquos, ac familiares tuos fere omnes afficeret, quòd ista dignitate, quæ tibi nunc incredibili omniū studio delata est, ornari antea noluisses. quorum te denique, ac simul omnium ciuium uoluntas, atque cohortatio uicit, et ad honorem exoptatus, atque accersitus accessisti, nulla usus prensatione, nullis precibus, tua uirtute commendatus, quæ tibi omnia omnium suffragia facile impetrauit. quando igitur,

honore accipiendo, patriæ satisfecisti; dabis eidem optanti, atque petenti, ut ad tuendam ac sustentandam senectutem tuam quidquid curæ, quidquid potes industriæ conferas: ut & tu mirifico illius in te studio, & illa tuo excellenti consilio, tua rerum omnium publicarum scientia frui quamdiutissime possit. idem te priuatim rogant necessarij tui, proprie uero filius adolescens, in quo uidetur tua uirtus efflorescere tuaq. iam probitas, tuæ ad optimas res propensio uoluntatis agnoscitur. ego autem, cum nemini in te amando, colendoq. concedam, iisdem utor precibus, ne tuam ætatem, confectam iã annis, & laboribus pro rep. susceptis, rebus agendis nimium uexes. uereor enim, (ut omittam publici muneris curam) ne plus officij amicorum causa, quàm sustinere fortasse possis, tua tibi imponat humanitas. quòd si desidiam odisti; &, quæ alijs quies uidetur, laborumque ac molestiarum quasi portus expetitur, eam tu ignauiam appellas: nec homini quidquam uitandum magis existimas: habes in quo te exerceas: duo te manent, aliquot iam annis instituta, de itinerum & nauigationum diuturno ac perdifficili cursu præclara uolumina: quæ si ad primum, quod omnes accurate, nec sine tua summa laude, legunt, aliquando adiunxeris; egregiam, & maioribus nostris, multisq. ante sæculis reconditam doctrinam, præclaris imaginibus expressam, orbi terrarum patefacies, tuoq. nomini gloriam paries haud paullo maiorem, quàm quæ

tibi

tibi a cunctis honoribus & magistratibus, uel magnificentissime gestis, manare unquam possit. eoq. magis in hoc studium debes incumbere, quòd omnem amœnitatem, quæ solet ad scribendum inuitare, tua tibi Rhamnusia uilla abunde suppeditat. itaque frueris eodem tempore Marsangi Musis, deliciis, ac amoribus tuis: & nobis, posterisque, maxime uero Paulo consules filio tuo; cuius omnes egregiam indolem amamus, & exorientem uirtutem admiramur: quem a te, nisi graue sit, etiam atque etiam meo nomine cupio salutari. Vale. Ex Plebe Sacci, pridie idus Oct.

M. ANTONIO NATTAE, Mantuam.

GRAVI, ac diuturna oculorum ualetudine impeditus, feci tamen, ut litteris tuis, humanissime atque elegantissime scriptis, quamprimum responderem. Ego te, Natta, ex illo tuo præclaro libro, quem de Pulchro inscripsisti, iam pridem cœpi colere. mea tibi uoluntas non patuit: ceteris, quid de te sentirem, sæpe in sermonibus declaraui. Nec uero mirari satis possum, qui potueris tantos processus in philosophia facere, homo uersatus, assidueq. occupatus in tractando iure ciuili: in quo ipso te excellere, & audio de multis, & res indicat: quandoquidem certatim uiri Principes te accersunt, summisq. muneribus præficiunt. Equidem

ut beneuolentiam tibi meam præsens præsenti patefaciam, cupio Mantuam excurrere: sed me deterret ualetudinis infirmitas. tametsi affirmabat is, qui mihi tuam epistolam reddidit, posse me a meis laribus Mantuam usque non incommode nauigare. itaque audebo fortasse. igniculum enim desiderij uix iam fero: &, si quid est in itinere difficultatis, homini præsertim imbecillo, uincet amor in te meus. De tuo libro, quid iam exspectas ut rescribam? uides ne me in ære tuo totum esse? impera mihi quod uis, & utere me quantum uis: subibo omnia, & perferam tua caussa. Meum librũ de legibus ad te mitto. ijsdem typis, si tibi placuerit, utemur in tuo libro. sumptus omnino maior erit, quàm si littera minor esset: uerum hoc tui consilij, ac uoluntatis est. statue arbitratu tuo: perpende magnitudinem libri: deinde significa, quid uelis. mitto etiam aliud characteris genus, ut alterutrum deligas. utrunque enim in folij, quod aiunt, formam apte conuenit. tametsi dignitas maior est in maiore. De ratione sumptus, si numerum paginarum tui libri significaueris, et simul uersuum in unaquaque pagina, & litterarum in quolibet uersu; facile summa fiet, & ad te scribetur. Num quid præterea? hoc. de meo libro quid sentias, cupio significes. uix enim credas, quàm a iudicio tuo pendeam. Vale.

Eidem,

EIDEM, Mantuam.

PRAECLARE *Hector ille apud Næuium: Laudari abs te pater cupio, laudato uiro. possum ego nunc idem usurpare. Video me laudari, a quo uiro? a M. Antonio Natta, in quo sunt ingenij, sunt animi, ac uirtutis ornamenta plurima. ego porro aliquid fortasse, si cum alijs conferar, uideri possim: cum uero ad te unum cogitationem conuerto, uix credas quàm mihi ipse displiceam. Quare permitte mihi, ut eas laudes, quas in me contulisti, reijciam; aut ipse maiores in te transferam. nam mihi, utrunque nostrum æqua lance pendere, magni negotij non est. ut ut est, amo uoluntatem tuam. ea mihi est, eritq. semper, ut debet, antiquissima. De aduentu meo, muto consilium in horas singulas. tu me allicis, uel attrahis potius: reuocat, & retinet ualetudo. cum ad te spectо; nauim conscendo, uehor, appello Mantuam, tecum sum. sic est amor, & illæ, quæ fluunt ex amore, uoluntates. rursus, cum ad me conuertor, et meam imbecillitatem intueor; qua macie sim, qnàm tenui cute, quàm natura mollis, & procliuis ad morbos: relangueſco paullulum, & quasi nauim incitatam leuiter i nhibeo. nec tamen per anni tempus hactenus quidem licuit. uides adhuc, & sentis fortasse, tentari corpora frigore, leui quidem, sed tentari tamen: udes perflari cælum uentis; rationem esse temporis pror*

sus

sus incertam, & inconstantem. quæ firmiores non timent; ego ualetudinarius nisi timeam, parum uidear me nosse, parum uitæ consulere. quod nec humanitatis est, nec satis pium: cum nos iusserit ille sũmus imperator quasi suos milites in hac statione, donec ipse reuocauerit, permanere. Calores, ut spero, quæ mea solet esse anniuersaria medicina, me mihi restituent. itaque Iunio ineunte, aut eo certe mense te, ut spero, complectar. sin uidebo sine meo periculo fieri non posse ut in uiam me dem: docebo te litteris, quid consilij ceperim. Tuum librum tractabo qua licebit diligentia, animo certe erga te singulari. Vale. Venetijs.

EIDEM, Mantuam.

ADEO *ne erraui, & lapsus sum in subducenda ratione, ut de folijs quinquaginta coniecerim, quæ nunc octuaginta fore uideo? pudet indiligentiæ meæ. uerum, ut ut est, commodo meo rem suscipere non possum: nec audeo recusare; ne mea fides in dubium apud te ueniat. itaque peto a te, ut cum tua ratione meam quoque ducas, nec exigas a me plus, quàm res & fortunæ meæ patiantur. Nam, quod ais, redituram ad me pecuniam cum fenore, libro uendito: uidelicet communi quadam, non propria me regula metiris. non enim ego, ut alij, qui libros imprimunt, habeo statim certos homines, qui eos diuendant, & longinquas in urbes, regionesq.*

nesq. disseminent. uenduntur hic statim a meis omnes ita paruo pretio, ut lucri quidem minimum, sed minimo simul labore, minima molestia fiat. Meum ergo librum itidem, inquis, uendes. De doctrina libri tui, de elegantia possum ego facile iudicare: de uenditione quis præstat? an nescis, libros latinos, optimos ueteres, ita nunc iacere, ut pæne sordium in genere putentur; uix iam Ciceronem ipsum, Cæsarem, Sallustium legi, a multis etiam ne legi quidem, planeq. contemni? quare noli mirari me tam esse diligentem in ijs rebus, quas me docuit usus pæne quotidianus, & in quibus non licet esse sine aliqua mercede negligenti. De tempore, quòd urges: facultatem imprimendi non concedunt, libro non inspecto. atque utinam, inspecto, concedant. quòd si dixi eos me faciles habere: non significaui, posse me, libris non lectis, impetrare ius imprimendi, sed consequi, statim ut legantur: quod ita multis non contigit. sæpe enim uidi, non nullorum scripta, apud eos, quorum potestatis hæc tota ratio est, per multos menses custodita, neque legi, neque reddi. Mittas igitur librum oportet uniuersum. mecum autem amice ages, pro ea, quam tu doces quotidie præclaris exemplis, æquitate. ita, si erraui, non luam grauius, quàm debeo: sin error a me non est, a te uero aucti libri magnitudo tota pendet; ius tuebere pro tuo instituto, & amico simul consules. Vale.

Eidem,

EIDEM, Mantuam.

VT *concludam paucis; quando nec mihi ad scribendum, nec tibi ad legendum otij satis est; si librum miseris, imprimetur. nolo enim meam apud te fidem in dubium uocari: nihil est tanti. de tempore, incertum est. pendet, ut sæpe iam scripsi, hæc tota res ab aliena uoluntate. crediderim tamen, intra mensem confici & expediri rem posse, tum studio nostro, tum intercedentibus amicis, nobilibus uiris, & gratia florentibus. libro non inspecto, facultas imprimendi nunquam dabitur. scio nullam in eo labem esse, quæ legentium animos possit inficere. noui tuos sensus, mores, probitatem. quæ ego pluris in te facio, quàm eam doctrinam, qua parem fortasse aliquem, superiorem certe habes neminem. uerum mos est gerendus consuetudini. communis hæc est, non tua præcipua condicio. Ad me autem quod attinet, uoluntati tuæ, in qua uim esse cupiditatis intelligo, nulla interiecta mora satisfiet. Vale. Venetijs.*

EIDEM, Mantuam.

HODIE, *tribus medicis adhibitis, accurate disputatum est de meo exeundi consilio. rem probant, sed illud addunt, totam æstatem dandam esse otio, iucunditati, exercitationibus modicis; nec redeundum*

deundum in urbem ante menſem Octobrem. itaque uehementer animi pendeo: nec, quid conſilij capiam, ſatis habeo exploratum. in hac dubitatione uenit in mentem de tuo libro: quem, ſi exeo, uideo fore, ut ſerius fortaſſe, quàm tua uoluntas ferret, imprimatur. quare monendum te litteris exiſtimaui, ut aut ſtatim eum mitteres, aut imprimendi conſilium differres. Ego hic uel tua unius cauſſa commorabor, dum liber abſoluatur. quòd ſi ſtatuis de ſubita impreſſione; qua uelis forma, quo charactere, quo numero, ſignifica. Suaderem omnino, ut aliorum opera, me abſente, utereris: ſed timeo mendas, & ſordes; quibus inquinari, & corrumpi tua ſcripta per operarum incuriam, nolim. quod tu iam ſenſiſti in libro de Pulchro; qui tractari non potuit indecentius. His litteris cupio a te primo quoque tempore reſponderi: ut, quod ad me ipſum attinet, certi aliquid poſſim ſtatuere. meam enim uoluntatem ad tuam accommodabo. Vale.

EIDEM, Mantuam.

Litteris tuis perlectis, aggreſſus ſum legere tuum libellum. legeram iam antea Venetijs, allatum ad me a Carreto tuo. mirifice ſemper placuit. genus enim ſcribendi non minus elegans, quàm eruditum, complexus es. Quod ad typos attinet, uideo paullulum detritos eſſe uetuſtate. itaque ſpeciem illam, quam recentes habere ſolent, minimam

nimam præseferunt. et compactum nimis atramentum uidetur: ex quo fit obscurum quiddam, quod legentium oculos offendat. Menda quædam deprehendi nimis fœda, nec eiusmodi, ut dissimulari possint. cuius incommodi caussam puto te non latere. sæpe enim hic, dum imprimitur, uel emendationi nemo præest, uel præesse solet homo mercenarius, & parum litteris instructus, & is, cui pecunia, quàm fama, sit antiquior. nos tamen, & quia de existimatione laboramus, & quòd te nimium diligimus, Natta, ob tuam probitatem, nimiumq. colimus ob eruditionem, enitemur, & contendemus, quantum feret acies oculorum nostrorum, ut satis in hoc genere fiat tuæ uoluntati. ad quam tu me diligentiam tacite uocas in tuis litteris. laudas enim me, & Aldi filium agnoscere te dicis. quàm sunt hæc acuta, quàm me pungunt, atque excitant ad omnem laudem, non modo hanc propriam typographiæ, quæ iam in nostra familia inueterauit, et quasi debita, postulatur. Sed heus: adhuc ne tibi meus liber est in manibus? atqui abiectum iam a te, & latere in angulis, obductum puluere, existimabam. nec tu is es, cui bonas horas male liceat perdere, homo assiduis curis, maximisq. negotijs districtus. itaque peto a te, hoc mihi des, ne tuum otiũ a summis rebus ad meas ineptias conferas. satis iam obseruantiæ in te meæ, satis humanitati tuæ dedisti. hoc si plus cupiam; non agam satis modeste; nec te nosse, nec me ipse uidear. Verbum optabam

in

in epistola tua de Carreti ualetudine, optimi uiri, ut uisus sum conijcere, tui certe studiosissimi. nam affectum pessime, ac pæne desperatum dixeras, cũ essem Mantuæ. Mecum actum est in hac peregri natione prorsus infeliciter. incidit in morbos tota pæne familia: sed uxor cum periculo uitæ integrum iam mensem miserrime iacuit: nec dum uideo quid sperem: cũ iactetur acerbissima febre, nec habeat spatium ullum sese colligendi. ego, cum non optime ualuerim corpore, neque, nunc ualeam, quo fuerim animo, quo nunc sim, uel me tacente potes existimare. fortitudinem laudo: sed eam in me ipso requiro. uincor enim aduersus, nec possum plane, quod tu potes, a philosophia illa uera, quam Aristoteles ignorauit, præsidium petere. Sed longius progredior. tuas litteras exspecto. solatium fortasse aliquod in malis afferent. Vale. Asulæ.

EIDEM, Mantuam.

Meum in reditu consilium hoc fuit, ut Mantuæ conscenderem, idq. maxime tui salutandi causa; tum, ut, quod antea de tuo libro imprimendo inter nos conuenerat, id comprobaremus. id non licuit ob uiarum difficultatem, et frigora. scis enim, quàm tenui cute sim, quàm imbecillo corpore. Caneti igitur, & meo, & meorum consilio, tranquilla tempestate conscendi: Mantuamq. præterue-

ctus, uiginti, opinor miliariorum interuallo, Clo-

diam

diam triduo incolumis appuli. hic me amici, et propinqui lætitia incredibili exceperunt, qui de reditu meo, sæuiente iam hieme, pæne desperassent. negotia nunc repetimus: quæ cum neque pauca sint, neque ponderis exigui; nullum tamen habeo prius, nullum antiquius eo, quod ad te pertinet. vide igitur ipse, quid statuas. nam si perstas in sententia; mittendus liber est, ante medium Ianuarium: quo spatium habeamus eos alloquendi, ac rogandi, quorum iniussu nemo imprimit impune. urget etiam Philippi Regis orator de libro edendo, quem ei missit, homo, ut aiunt, græce latineq. bene sciens, arcanorum ipsius Regis particeps, Gonzalus Perez, cui roganti per litteras ut omnino suus liber meis typis exeat impressus, & in eo sitam ac locatam suæ laudis aliquam partem existimanti, deesse non possum, pollicitusq. sum: et persoluam fidem. sed cupio tuum librum anteire, si tu uis: sin cómodius uidetur, in aliud tempus differri; quam primum litteris significa. ego id unum spectо, tibi ut satisfaciam. si consequor, in cælo sum. Vale.

EIDEM, Mantuam.

NON DVM reditus liber est: nec mea tamen in ea re diligentia defuit. deuorandum est hoc utrique nostrum, quidquid est molestiæ. nam me quoque mora longior incipit ita grauiter afficere, uix ut feram: fero tamen, quia Nattæ negotium est,

est. alioqui hastas mehercule, ut ille inquit, abijce rem. sed obduremus paucos præterea dies. si res ducetur, librum repetam, & cum pecunia tibi remittam. Ama me; & tibi persuade, te mihi esse in animo assiduum, in oculis, in ore. Vale.

EIDEM, Mantuam.

Neque nihil respondebo, neque tamen id, quod tu exoptas uehementer, ego autem sic, ut tecum in cupiditate contendam. Librum habet in manibus homo eruditus egregie sacris litteris, et philosophiæ scientia excellens, Sixtus Medices: cuius omnia iudicio propter doctrinam, fidei uero ob integritatem recte committantur. is legit accurate: perscrutatur omnia: examinat, & pendit acerrime. nihil adhuc, ut sæpe iam mihi significauit, alienum a recta sententia deprehendit; tuamq. mire laudat perpetuam tam longo in opere eloquentiam, singulari doctrina coniunctam. is, quid tuo de libro sentiat, suo testimonio, ac iureiurando cum ostenderit, aggrediemur: quod abesse iam longe uix potest. Te interim rogo, optime Natta, ne quid alienæ culpæ in me transferas; nec me curare parum gnauiter existimes ea, quæ ad te pertinent; quibus mehercule afficior in utranque partem, non equidem æque ac tu, sed, uno te excepto, grauius certe, quam ceteri. Vale. Venetijs.

N. *Eidem,*

EIDEM, Mantuam.

ALIQVANDO *is, qui tuum librum accurate legit, absoluit epistolam eam, qua tuis litteris respondet. de re tu iudicabis: de homine, sic habeto, uirum esse bonum, præstanti humanitate, singulari doctrina, præconem uero laudum tuarum. quare est sane, cur ei gratias agas, quòd te ornet efferatq. laudibus: quod a me iam, qui te unice diligo, tuo nomine factum est. quamprimum autem cupio a te respõderi: ut, si quis remanet scrupulus, auferatur, & exeat tuus liber bono publico, tua non mediocri gloria: quod utrunque fore confido. Bonaminus neque dum uenit; nec, uenturus ne sit, aut quando sit, ex eius ad me scriptis proxime litteris licet conijcere. tu cognosces: eiq. ad me fasciculum epistolarum mearum: quas tamen, tu quoque, opinor, mecum sentis, comprimendas potius, quam publicandas. sed efflagitantibus, præsertim amicis, negari iam diutius non possunt. Vale.*

EIDEM, Mantuam.

PLVRIBVS *tecum uerbis agere non licet: ita multis distrahor curis. unum hoc: is, qui tuum librum legit, idem tuis litteris, diserti ssimis scriptis, respondebit. quod ut celerrime faciat, operam do, quantum in me est. tuam causſam certe,*

te, ut mihi uidetur, præclare tueris: &, quantum tibi ex optima mente, tantum ex ingenio, & doctrina laudis accedit. Vale. Venetijs.

EIDEM, Mantuam.

PLACERE tibi argumentum de republica, & eius libri partem, epistolis meis insertam, abste, tali uiro, tantopere laudari, uehementer gaudeo. tua uero cohortatio, ut absoluam institutum, animos illa quidem addit: sed, o mi Natta, si uideas quibus premimur & curis, & laboribus, fortasse, si modo uis me uiuere, aliter sentias. incitamur uoluntate, consilijs, & hortatibus amicorum, gloriæ quadam cupiditate: nec omnino diffidimus ingenio; uerum illa, qua tu excellis, quæ in tuis & dictis, & factis elucet, prudentia dissuadet. me natura pertenui finxit corpore: studiorum accessit non mediocris labor; ex quo imbecillitas, & morbi. quid res domestica? quæ, quo est angustior, eo tuenda diligentius est. quid typographia? quam ita mihi tractandam intelligo, non ut omnia ad utilitatem, sicut multi, sed pleraque ad meam existimationem referam, ac dignitatem. quo proposito, nihil est operæ, nihil studij recusandum: ac sæpe, ut ait poeta ille tuus, sudamus, & algemus. Amicis etiam uel salutantibus horæ dandæ sunt, uel aliquid petentibus officia tribuenda. qui si excludantur, aut reijciantur; sane con-

ſuletur otio meo, rebus meis, ualetudini meæ; ſed ubi humanitas? quæ quàm ſit hominis propria, nomen ipſum indicat. Iacent igitur inchoata, plane rudia, temere uel diſſipata, uel confuſa, mea ſcripta; quæ non nunquam, ſicuti mater languentem filium, cum dolore tacitus adſpicio; opem ferre, quam uidentur poſtulare, non queo. Quare, ſi quid apud te hominis tui amantiſſimi ſalus eſt, non debes me ad ſcriptionem uocare, tot aſſidue, tam uarijs, tanti momenti occupationibus diſtentum. adiuua me potius conſilio, ſi potes: aut minue moleſtiam conſolando: opta ſaltem, (& hoc ipſum ſignifica) ut hæc, quæ nunc ſuſtineo, perferam, & is, quem uolumus, principijs exitus reſpondeat. id quod, niſi fauente, qui fons eſt omnium bonorum, Deo, ſperare non licet. Conſultationes tuas, ſi quæ non dum editæ ſunt, mire aueo legere. nam, cum in ijs, quæ iam ſunt editæ, præſtare te omnibus, qui memoria noſtra ius ciuile litteris mandarunt, cum ſcientia rei, tum ſermonis elegantia, mihi perſuadeam: intelligo poſthac tua ſcripta longe fore meliora. non ago tecum blande: metior ueritatem ipſa re, &, ut ſentio, plane loquor. ualde, mi Natta, hoc biennio in latina lingua profeciſti: quotidieq́ue, ut ex epiſtolis tuis facile conijcio, ad ueterem illam eloquentiam propius accedis. itaque uidere mihi uideor, ac prorſus uideo, quantus in iure ciuili explicando, ſi ſtudium adhibueris, eſſe poſſis. quod

ut

ut facias, auctor tibi magnopere sum; si modo tu in tua laude quenquam, præter te ipsum, auctorem, hortatorem ue exspectas. Vale.

EIDEM, Mantuam.

LITTERAE *tuæ, quas idem binas tabellarius attulit, facile tuam edendi libri, quem efflagitari iam a multis audio, non mediocrem cupiditatē declarant. nec me tamen studio tibi concedere uelim existimes. nam & συμπάθειαν quandam commouit iam in sensibus meis uirtus tua: & res ipsa, de qua tantopere laboras, commendationem habet a se ipsa, nec tuum officium apud me, aut omnino apud quenquam bona mente præditum, desiderat. Vnde igitur, inquies, tot dierum prolatio? Equidem culpa uaco: nec in officio præstando Sixti nobis humanitas defuit: sed ab eius uoluntate pendemus, cui tota demandata facultas est. is cum Sixti primum, deinde etiam nostro se acquiescere testimonio confirmasset; Sixtum etiam, ut optime de Christiana doctrina sentientem, sacrarumq. litterarum disciplina perfectum, laudibus extulisset; illud adiunxit; sibi tamen esse concedendum, cui ratio temporum paullo seueriorem, quàm ipsius uoluntas ferret, personam imponeret, ut librum leuiter attingeret: quod esse perpaucorum dierum negotium pollicebatur. negandum non fuit. egimus etiam gratias, quòd ita blande peteret,*

teret, ut ſuam obliuiſci poteſtatem, humanitatis cauſſa, uideretur. Nunc tibi, mi Natta, deuoranda eſt hæc non multorum, ut ſpero, dierum mora. uides, hominum recentiorum libri, quicunque de ſacris rebus loquantur, quàm diligenti hodie trutina perpendantur: uides, quàm multi, nullo perſonarum diſcrimine, in iudicium uocentur, quàm pauci mox elabantur. tolle, obſecro te, feſtinationem in re tanta: & habe rationem temporis: & utriuſque noſtrum otio, (nam mea quoque res agitur) breui interpoſita mora, conſule. Nam, quod inieciſti de tua laude, opinor ut quaſi dormientem excitares; id mihi nouam diligentiam non attulit, potius admirationem quandam, cur ea, quæ ad tuum decus pertinent, curari a me frigide ſuſpiceris. Etiam appellas me ob teſtimonia epiſtolarum mearum. quaſi uero ego te diligam conſtantiæ cauſſa, non iudicij. quòd ſi te non eſſe diſſimilem tui putaueris; cuius etiam probitatem, doctrinam, eloquentiam aſſidua ſtudia uehementer augent: me quoque, qui aliquando inte fui, eundem fore, hoc eſt, amore incenſum, tuæq. cupidiſſimum gloriæ, debebis exiſtimare. Commentarios meos quòd euoluis libenter; amice facis. ſi uero etiam, ut ſcribis, aliquid ad tuam utilitatem excerpis; magni facio induſtriam meam: quam tu, uir ingenio, & eruditione ſummus, modo non improbares, ſatis habebam: fructum ut ex ea caperes, uix unquam ſperaui. itaque ſcribam poſthac

paullo

paullo fidentius, iudicio tuo confirmatus; & auctoritatem tuam, si quis contra senserit, pro sexcentis rationibus opponam. Litteris tuis, caue putes, non esse a me responsum, quia neglexerim. obstitit occupatio: quæ diem quandoque totum eripit a mane ad uesperam. quod etiam si non scriberem, tamen opinari, tuæ prudentiæ, & humanitatis esset. Vale.

EIDEM, Mantuam.

Ad ocvlorvm dolores, quos diutur na consuetudine satis iam modice fero, accessit molesta febricula, periculi tamen expers, ut medicus affirmat. itaque cogor breui respondere litteris tuis, elegantissime, & humanissime scriptis. Liber statim traditus est uiro optimo, atque eruditissimo, communi amico, Sixto Medici. is, licet occupationibus districtus, tamen & mea, & tua causa pollicitus est, operam se daturum diligenter, ut eam libri partem, quam tu addidisti, ac mutasti, quamcitissime legat. quod cum fecerit; rursus ex eius testimonio ius erit impetrandum libri diuulgandi. scis enim, quàm seuera hodie sit librorum omnium examinatio, quàm sint, ubi quid scribimus, ambigua cauenda: ne qua omnino secus interpretandi, trahendique in deteriorem partem, occasio præbeatur. Sixtus me diligit, meaq. causa ualde cupit, de te autem honorifice

rifice & sentit, & loquitur. itaque, quod ad ipsum attinet, nauigamus in portu. Academia tuum officium amplectitur, ac laudat; sua uero a te, singulari uiro, probari & magnifieri instituta, mirabiliter gaudet. Plura uolebam, ductus suauitate sermonis, cuius imaginem habet epistola: sed interdictum est, non modo nequid scribam mea manu, uerum etiam ne multa, nisi necessario, dictem. Vale.

EIDEM, Mantuam.

HABEO, quod petieram. sedasti animum meum consolatione, consilio iuuisti. nihil sapientius, nihil humanius epistola tua. et cum multa sunt a te grauissime, atque ingeniosissime commemorata: tum uero mirifice sum exemplo tuo commotus, quem statuo imitari, quantum in me est, licet meæ probe quidem conscius infirmitatis: cui si Deus aderit, quod equidem spero; uincemus humana omnia, & triumphabimus in aduersis. Afferet ad te tabellarius cum his litteris indicem, quem petis, missum ab Academia, tui studiosissima. tradidi enim legendam epistolam tuam: nec improbauit quisquam. quid? nemo non extulit amplissimis laudibus. ego autem & qua sim ex eorum iudicio affectus lætitia, et quid ipse de tuis existimem scriptis; quia te puto illud, uel me tacente, pro amore nostro suspicari, hoc autem ex meis superioribus

perioribus litteris cognouisse; non exponam hic pluribus uerbis. tantum agam gratias de ista tam in me propensa uoluntate, excellentiq. industria: quarum alteram longitudo litterarum tuarum, alteram elegantia declarat. Vale.

EIDEM, Mantuam.

BIDVVM hic futurus sum: nec enim diutius licet per ualetudinem: nec uenissem leuibus de caussis. Liber tuus propediem prælo committetur, & diligenter emendabitur. angor equidem, quòd abesse cogar: quod accidit profecto non minus contra uoluntatem, quàm præter opinionem: sed hæc in manu nostra non sunt. ducimur enim, uel trahimur potius fatorum ui. itaque humana omnia ferenda. quanquam non hæc tibi, quem religio probum, doctrina prudentem facit, sed mihi ipsi, ab ijs præsidijs, quæ te muniunt, parum instructo, tanquam intus cano. De rebus meis, de ualetudine, de studijs, exigit omnino amicitia nostra, ut aliquid significem: sed neque nunc satis otij suppetit: neque, ut uere dicam, libenter scribo, quæ tu non libenter legas. meliora tamen omnia paucis diebus fore uidebantur: itaque uberiores a me litteras exspectato. Hæc dictaui propere, multis distractus negotijs, animo curis impedito. Vale.

EIDEM, Mantuam.

LEGI, *quas remisisti, epistolas meas, & correxi leuiter, ut homini licet occupato. de editione, quod hortaris, ut omnes potius, quàm, ut ego statueram, unam, aut alteram: ita faciam, non spe laudis, (scriptæ sunt enim, quod res ipsa indicat, indiligenter, ac raptim) sed quia notam esse æquis & iniquis nostram amicitiam uolo: quæ me ornat iudicij tui testimonio: cum tamen ad iudicium singularis accedat humanitas. Vale. Venetijs.*

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER QVARTVS.

ILLVSTRI COMITI, MICHAELI TVRRIANO, CENETENSI EPISCOPO, Cenetam.

ANGEBAR animi, nec fieri quidquam posse me uno miserius opinabar: ita multa hoc anno præter exspectationem, prorsus aduersa meis rationibus, obtigerant: fratris primum amantissimi, deinde filioli suauissimi interitus, uxoris morbus, inualetudo mea, rei familiaris incommoda. quàm facile, nullo pæne strepitu, rerum mearum conuersus orbis est. de fratre, & filio iam fero moderatius; uel quòd, ut solet, medetur dies; uel quia, quod æterna lege Deus constituit, id abrogare uelle non solum iniustitiæ, uerum etiam imprudentiæ uidetur esse. uxor conualuit: ego satis firmus. domestica uero damna, quæ sarciri uix unquam arbitrabar posse, facile compensat amor in me tuus; cuius mihi recordatio molestias omnes diluit; quandoquidem uis me ad omnes casus (recordor enim tua uerba) subsidium in tua benignitate maximum constituere. itaque leuatus a te grauissimis curis, premi iam onere

officij

officij me sentio: in quo sustinendo uiribus enitar cunctis & animi, & ingenij: tantum ne? immo etiam ijs, quas benevolentia erga te nostra, & singularis addet observantia. quid porro tam difficile, aut tam amplum est, quod incitata studio voluntas non assequatur? ueruntamen in hac re sentio esse haud paullo difficilius mihi satisfacere, quàm tibi. te enim nihil in conferendo beneficio spectare praeter ipsam uirtutem, quae suis gaudet ac fruitur bonis, nihil extrinsecus assumit, satis mihi multo antea persuasum est; praeterea nulla re indigere, non gloria, qua iam pridem abundas, non diuitijs, quas & possides iam, & contemnis. ego uero, qui et ante annos sex, quo te primum die sum allocutus, eo ipso die benignitatis tuae praestantiam non uulgari munere sum expertus; & nunc ab eadem benignitate multo etiam maiora, te iubente, cogor exspectare: prorsus ancipiti cura distrahor, qui neque gratiam tibi unquam referre, neque nuda uoluntate contentus esse possim. Succurrunt enim multa, quae libenter cogitem: primum, humanitas tua, qua me semper complexus es; deinde liberalitas, qua subleuasti; postremo consolatio illa Christianae pietatis, & sapientiae plenissima, qua me quidem proximo Quinctili mense, cum ad te honoris caussa Cenetam accessissem, afflictum erexisti. atque haec quibus meis erga te officijs? nullis omnino, salutatione excepta, quae ipsa mihi tum utilis ex prudentia, atque eruditione tua, tum etiam ex dignitate perhonorifica

norifica fuit. Quæ cum omnia colligo; eximiam istam, planeq. diuinam beneficentiam, insitam tibi, uel potius ingeneratam a natura, auctam doctrina, usu confirmatam, atque perfectam, satis admirari non possum. Et simul ad quosdam, opibus affluentes, multis imperantes nationibus, cogitationem conuertens, doleo uicem bonarum artium, quæ deserantur ab ijs, quorum patrocinio si uterentur, fructum retribuerent eum, qui est omnibus imperijs anteponendus. quid enim est immortalitate præstantius? quis autem eam, nisi beneficio litterarum, consequitur? laterent in tenebris, obruti uetustate, Cæsares, Alexandri, plane omnis antiquitas, nisi rerum præclarissime gestarum, quas cum audimus, imitandi cupiditate accendimur, testem haberemus historiam. Quo magis tibi gratulor, Antistes, et idem Princeps egregie, qui hanc ueræ laudis pæne uacuam hodie possessionem tam libenter occupes, ueteremq. maiorum tuorum de omnibus bene merendi consuetudinẽ, nulla prorsus tuarum fortunarum ratione habita, constantissime retineas. Quod uero istam uirtutem multis præterea uirtutibus, usu rerum maximarum, prudentia, doctrina, eloquẽtia, maxime uero humanitate cumulas atque exornas: iccirco & antea Romæ, atque in tuis legationibus, Ecclesiæ caussa susceptis, magnificentissime gestis, & nunc in urbe tua, quam diuino simul & humano iure temperas, concursus ad te quotidie fiunt optimorum uirorum, et eorum ma-

maxime, qui aut ipsi ingenio, litterisq. præstant, aut saltem de ingeniorum litterarumq. præstantia iudicare possunt. in quo sæpe fortunam accuso, quæ mihi facultatem ueniendi ad te, quod eram hac aestate pollicitus, & cupio uehementer, adhuc quidem eripiat. quod cum licebit, accurram. quid enim ista amœnitate iucundius, isto cælo salubrius? quid porro ad beate uiuendum deesse potest ei, qui tecum uiuat? cuius in ædibus primum oritur ex tua disciplina uirtus, deinde excipit uirtutem liberalitas. Hoc igitur, cum per negotia licebit: & utinã mature liceat. interim memoria tui fruar; teq., licet hoc terrarum spatio disiunctum, colam ut præsentem, nec ullum erga te, quod ab homine tui studiosissimo possit exspectari, aut officij genus, aut studij prætermittam. Salutamus te, quàm studiose, quamq. ex animo licet, ego, uxor, & liberi, præsertim is, quem audio nunc in cunis uagientem, susceptus a te cum salutarem aquam in baptismate reciperet: cui te pro eo nomine, quod inter nos commune cœpit esse, parentis officia benigne, & pie præstaturum confidimus. Vale. Venetijs.

ANTONIO VERANTIO, EPISCOPO AGRIENSI.

Cvm Andreas Duditius, tui studiosissimus, præclaræ non solum indolis, sed iam etiam uirtutis adolescens, proxime reuersus e Pannonia, tuo me no-

nomine salutasset; atque hoc officium ijs uerbis, quæ facile tuum de me iudicium declarabant, subsecutus esset: cepi sane uoluptatem incredibilem, nec mediocres habui gratias Deo optimo Max. cui soleo, si quid optabile contigit, acceptum referre, & a quo, si quid contra, sperare meliora. nec uero tua mihi quidquam amicitia uel ad meam laudem illustrius, uel omnino amplius possum existimare; cuius audio fortunam a multis ita laudari, atque extolli, ut nemo tamen sit, quin fortunæ uirtutem anteponat. atque ego te cum ante aliquot annos, commotus fama laudum tuarum diligere, & obseruare cœpissem; animumq. meum probare tibi litteris uehementer uellem: pudor uetuit, non omnino fortasse improbandus; meq. ab hoc deterrere consilio, et quasi reprehendere natura mea maxime semper est uisa. quid? tu ne talem uirum, grauissimarum rerum onera sustinentem, deditum studijs præstantissimarum artium, inani scriptorum genere appelles? reuocabat ratio, & habendam mihi tum dignitatis tuæ, tum modestiæ meæ rationem intelligebam. Sed profecto a rectis mentibus, non ambitione, sed officio incensis, diuina nunquam benignitas abest. qualem enim ego certe uix unquam sperare ausus essem, ea mihi nunc a te ipso oblata facultas est: cui de mittendo ad me emblemate, elegantissime, &, in quo summam laudem statuo, admodum pie conscripto, uenerit in mentem. quo sum dupliciter affectus officio, lætitia primum ex ipsa re: debet enim

enim iucunda uehementer esse amoris, ac iudicij, & tali præsertim uiro profecta, significatio: deinde molestia quadam, quòd, qui humanitate uinci non facile patiar, nunc quidem a te captus, atque oppressus, tantum in hac uirtute, qua nulla magis hominem decet, tibi concedam necesse est, quantum in alijs, quibus te Deus ornauit, & industria tua, minime paucis: quarum fama non Germaniæ, aut Pannoniæ, continentium regionum, ambitu terminatur, sed Europam, quanta quanta est, ac pæne terrarum orbem iam peruolitat uniuersum. uerum tamen, si tibi, magnis locorum spatijs disiuncto, singularem animi mei ad te amandum, colendumq. propensionem ostendere minus possum; apud eos saltem, qui meam uocem audiunt, meisq. sæpe sermonibus interfuerunt, tuam doctrinam, eloquentiam. in primis uero puram ab omni labe religionem assidue prædicando, profecto ipse mihi aliqua ex parte satisfaciam. nec tamen ita sterilem cognouimus industriam nostram, licet mihi laudem ingenij nullam adscisco, quin ea fructum aliquem, qui ad tuũ decus pertineat, nec sine tua gloria peruulgetur, aliquando ferre possit. quod aggrediar ita libenter, & ita studiose curabo, ut euentus futuri lætitiam auide præripiam, deq. eo, quod non dum præstiti, iam nunc, perinde ac si præstiterim, ipse mihi gratuler. & huius quidem ueluti prædem promissi, meæ testem uoluntatis, hanc ad te mittendam epistolam putaui. Vale. Venetijs.

Andreæ

ANDREAE ZEBRIDOVIO, EPISCOPO CRACOVIENSI.

VIDE, quæ sit uis etiam apud alienos ignotosq. homines ueræ solidæq. uirtutis. Aliquot abhinc annis, cum egregios uiros, qui te non de facie solum, uerum etiam e sermone assiduaq. consuetudine optime nouerant, omnia de te summa prædicantes audirem, studio tui sum incensus incredibili. nec meam deinde obseruantiam dies extinxit, aut imminuit, sed auxit potius, ad summumq. perduxit. atque equidem nihil habui antiquius, nihil exspectaui magis, aut obseruaui diligentius, quàm ut hæc ad te amandum, colendumq. animi mei propensio aliquo tibi non uulgari pateret officio: sed meæ exspectationem fefellit euentus, nec ulla unquam satis oportuna uoluntati respondit occasio. nunc igitur, quod mihi a fortuna denegatur, statui a me ipso impetrare. Præclarum aliquid præstare, dignum uidelicet ea, quam tu sustines, persona, dignum tua uirtute, cupiebam: non licuit: at, quod licet, demus operam ut id consequamur. licet enim certe studij erga te mei significationem quandam, non expressam omnino, sed quasi leuiter adumbratam, ostendere. & e quercu etiam quandoque exculptum placet, non modo ex ebore, simulacrum. Effigiem domi habeo parentis mei; quem tibi unum cum excellenti uiro, Erasmo Rotherodamo, familia

ri olim tuo, et in ore, et in amore esse, homo insigni eruditione, moribusq. sanctissimis, Andreas Patricius non semel affirmauit. eius exemplar, accurate exceptum, nostra etiam adiuncta imagine, ut haberes cum parente filium, uenienti ad te Patricio dedi. Putabis igitur, cum utrunque præsentem adspicies, agere utrunque tecũ, maximeq. pro filio patrem intercedere, ut aditus mihi, & quasi fores aperiantur ad amicitiam tuam. quod si assequor; additum ad fortunas meas ornamenti, commodiq. plurimum existimabo. quid enim speciosius, quid ad laudem præstantius, omnino ue utilius, quàm Principum, hoc est, tui similium uirorum, frui beneuolentia? atque hoc uideo totum esse positum in humanitate tua, quam Patricius ferebat in cælum. nam ego quidem nullis plane meritis, animo tamen adhuc te colui. sed, ut spero, merita quoque accedent. conferam enim ingenium ad tuam laudem: & apparebit in tuo nomine, approbante Deo, quo nihil abnuente perficitur; opus aliquod industriæ nostræ, eiusmodi fortasse, (certe hoc enitemur) quod posteritas haud omnino contemnat. Vale. Venetijs.

PETRO MISCOVIO, SARMATARVM REGI CONSILIARIO.

AMO ualde probitatem, &, secundum eam, eloquentiam, non quæ uerba tantum colligit, &

inani

inani uocum sonitu auribus obstrepit, sed quæ maxime rem continet, seq. ipsa non minus grauitate sententiarum, quàm elegantia uerborum & splendore commendat. hæc te audio simul expetere, Petre Miscoui. expetere autem? immo iam esse consecutum. quibus ornamentis magnum te esse, atque illustrem apud homines uere sapientes existima, sic inquam, ut illa, quæ plerique, quasi sola bona, specie decepti admirantur, quæ ipsa quoque in te non mediocria sunt, opes, auctoritas, amicitia clarorum uirorum, addo etiam gratiam apud Regem omnium potentissimum, nullo pacto conferenda uideantur. nam hæc licet aliquando uirtutem consequantur, ut in te ipso contigit, minime tamen ipsa uirtutem indicant, neque semper ad laudabilia studia, tanquam ad causas euenta, referuntur. qui uero pietatem, qui iustitiam colit, qui & ingenio ualet, &, quà ualet, ad res egregias, maximeq. ad instructam præclaris doctrinis eloquentiâ totus incumbit: hunc uere sè ipsum, quod esse difficillimum constat, ac sua bona nosse, hunc optime exercere instrumenta illa, quibus homines brutis animantibus præstant, mentem, atque rationem, hunc denique gloria dignum immortali, dignum qui feratur in oculis, ornetur laudibus, nemo omnium hominum, nisi qui hominis nomine indignus haberi uelit, unquam negabit. quod ego cum a prima pueritia, domestico patris instituto, natura etiam quasi suadente, sensissem; confirmatus postea

ſtea magnopere ſum clarorum uirorum exemplo: nec uenit unquam in mentem, quòd ita ſenſerim, pœnitere: lætatus etiam ualde ſum, ac lætor equidem nunc eo magis, quòd accedit ad meam ſententiam iudicium tuum. in ijſdem enim ſtudijs elaboras: eædem tibi artes curæ ſunt: quæq. hinc emanant laudes, eas eſſe ueras laudes, & earum ita ſemper florere gloriam exiſtimas, ut nunquam exareſcat. idem putamus, & idem uterque ſequimur, optime Miſcoui: ſed tua clarior induſtria, hominis in excelſo dignitatis gradu conſtituti; fortaſſe etiam felicior; quia ſecunda ingenium fortuna excitat, aduerſa debilitat. quàm multa enim nobis obſtant: quàm ſæpe recta mens, optimorum conſiliorum in curſu impedita, cogitur conſiſtere. tibi uero, qui propenſam uehementer ad laudabilia quæque uoluntatem in te laudant, ij dem fluere ex uoluntate omnia confirmant, nullam aduerſari, nullam pugnare tecum ex ijs rebus, quæ ſunt inimicæ uirtuti: uerſari te aſſiduum in aula Regis, ipſi Regi carum, ſummis & infimis iucundum, apud exteras etiam gentes illuſtrem, ac perhonoratum. quæ tibi eſſe perpetua, maximeq. propria, non ſolum cupio, communi ſtudiorum cauſſa, quorum decus tua dignitas auget; ſed facile etiam adducor, ut ſperem. quidquid enim es, a te ipſo es, & ideo tantus, quia talis: nec tu deſines unquam eſſe, qui fuiſti: nec ea, quæ uirtus conſtituit, caſus euertet. tantum igitur, quod & facis, & facere minimo negotio

tio potes, retine consuetudinem tuam: intuere te ipsum: uitam ante actam imitare. sic augebis quotidie tua merita; & idem quotidie meritorum præmia tuorum sumes a te ipso; eritq. uirtuti merces uirtutis usus; quo nihil esse iucundius, profecto iam sensisti; nihil autem ad memoriæ perpetuitatem utilius, docemur exemplis eorum, de quibus post tot sæcula litteræ loquuntur. Et quoniam sequitur, atque comitatur, ut umbra corpus, gloria uirtutem; nec te latet, præceptis imbutum antiquæ doctrinæ, improbari eos ab excellentibus in philosophia uiris, qui, præter sua commoda, nihil spectent, seq. sibi tantum ipsis esse natos arbitrentur: non dubito, quin statuas, quantumcunque uel habes iam facultatis ad bene merendum, uel in omni tua uita præclara tibi animi tui bona pepererint, non ad rei domesticæ fructum, aut ad angustæ benignitatis usum illud esse reuocandum, sed esse totũ ad alienas utilitates, maximeq. ad artium liberalium ornamenta quamlatissime porrigendum, atque explicandum. quod si fiat, simul illud fieri necesse est, ut, quamplurimis in tua laude consentientibus, par beneficentiæ celebritas nominis, & fama consequatur. Atque ego te ita sentire, proq. tuis opibus iam præstare, non inani aliqua coniectura ductus existimo, aut ideo ad te scribo, ut in tuam gratiam blandæ orationis artificio mihi liceat irrepere: sed credidi hominum honestissimorum ac prudentissimorum, istinc ad nos uel studiorum causſa,

uel cognoscendæ Italiæ studio commeantium, testimonijs, maxime uero familiari meo, nihil temere affirmanti, Andreæ Patricio: cuius eo pluris iudicium facio, quòd egregiam eius doctrinam, id quod perquam raro contigit, adæquat integritas. addebat etiam, quo sum unice delectatus, quodq. mihi, ut uere dicam, huius epistolæ caussam attulit, studiosum te esse scriptorum meorum, et mihi aliquid, atque adeo tantum tribuere in latina lingua, quantum optaui equidem semper, assecutum me esse nunquam duxi. nunc, si tu, ista uir auctoritate, isto pondere, ita de me sentis; in dubium pæne reuocor iudicium meum; nec me prorsus audeo contemnere, ne a te dissentiam; enitarq. multo etiam, quàm antea, diligentius, ut accedam proxime, si ulla ratione potero, quò tu me peruenisse iam existimas; ut aliquando ueritati iure des, quod fortasse nunc humanitati magna ex parte largiris. fateor enim, iudicij de me tui famam mihi esse periucundam: quid oneris tamen eadem imponat, quoq. redigar necessitatis, intelligo. latere nullo modo potest, quem clari uiri testimonium indicat: nec me iam ad uigilantiam, omnium scientiarum parentem, laudis cupiditas magis, quàm infamiæ metus impellit. quæ licet perdifficilis, admodumq. dura uideatur esse condicio: tamen, quia gratus, hoc est uir bonus esse uolo, amplector libenter officium tuum, ab excelso quodam animo, liberaliq. profectum: quod si compensare meis officijs non potero, memo-

una philosophia perficitur. Habes igitur, diuinitus oblatam, uirtutis adipiscendæ facultatem: quam te uideo arcte esse complexum, nec uereor ut dimittas, qui te ita flagrare cupiditate cognouerim, ut reuocandum potius a nimia contentione, ualetudini uix ferenda, quàm acuendum, & incitandum, intelligam. Nam, quod ad ius ciuile pertinet, ubi tu philosophiam, id est totum, scientia comprehenderis, quid in parte cognoscenda supereſſe negotij putas? minimum, si sapientes uiros, & in ijs eum, quem ego omnibus iudicij laude antepono, doctorem tuum Genuam audies. quanquam sermo tuus, habitus interdum, præsente me, cum eruditis hominibus, tractasse te iam satis diligenter ea, quæ excellunt in uniuerso iure ciuili, id est ueterum iurisconsultorum præcepta, declarabat: ut uel eadem facile possis, quandocunque libuerit, recognoscere, uel, si qua restant, quasi racemos aliquos confecta uindemia colligere. non enim te arbitror studiorum tuorum elegantiam ineptissimis, planeq. barbaris quorundam scriptis inquinare uelle: quæ cum immensa sint, pleraque tamen inania, laboris & molestiæ plurimum, utilitatis, & oblectamenti minimum habent. Interim, ut facis, græca cum latinis, & eloquentiã cum philosophia coniunge: ut politioris doctrinæ copijs instructus, remissiora etiam studia colentibus aliquando satisfacias. nõ enim uiuimus omnes in Atticis gymnasiis: nec ubique de rerum caussis quæstio est: & quibus contemplatio

templatio naturæ uehementer placet, ijſdem tamẽ animi cauſſa tanquam in hortos Muſarum diuertere non iniucundum eſt. qua de re quia non nunquã inter nos locuti ſumus, &, ut ſpero, breui colloquemur: nihil addam, te præſertim, quod facile intellexerim, meam ſententiam comprobante. cuius conſilij, non dubito, quin maiorem quotidie uoluptatem capias. Ego hic, genere uitæ moleſtiſſimo, quas Patauij utiliter ſatis, iucunde quidem certe in libris, & in tuis tuorumq. familiarium ſermonibus traducebam, horas perdo. itaque, cum primũ domeſticas tricas, quibus teneor inuitus, expediero, aduolabo iſtuc, ſitiens ueſtræ conſuetudinis; qua ſi frui perpetuo liceat, beatiſſime uiuerem. Interim amorem mihi tuum, cuius equidem memoria valde recreor, cupio conſerues, &, ſi tua patitur humanitas, etiam rogo. Vale, & Petrum Nunium, familiarem tuum, cuius doctrinam, & ingenium in Lucretiana interpretatione mirum in modum probo, ſaluta meis uerbis. Venetijs.

VIDO PANCIROLO, Patauium.

Cvm alia me in iſta urbe, quam tu præter ceteros tua uirtute nobilitas, & ornatiſſimorum iuuenum cœtu frequentas, oblectare uehementer ſoleant: tum nihil eſt, aut eſſe omnino poteſt, Andreæ Duditij quotidiana conſuetudine, iucundius: non ſolum,

memoria tuebor, & prosequar etiam laudibus, quàm diu uita fruar: ut ex optima saltem uoluntate, qua boni, & sapientes uiri metiri beneficia consueuerunt, aliquam tibi relatam esse gratiam existimes. Vale.

IO. VINCENTIO PINELLO, Patauium.

MAGNA *fuit, atque etiam nunc inter homines est de genere uitæ controuersia: cum alios ita doctrinarum cognitio delectet, ut ab agendis rebus abhorreant; alij, non sibi tantum, uerum & amicis, & patriæ, planeq. omnibus hominibus homines esse natos, existiment: ex quo sequitur, ut scientiarum studijs usum rerum anteponant. hoc discrimen, in quo ualde pro sensu partium dubia ueritas fluctuat, tu quidem, quod ad te attinet, optime Pinelle, optimisq. & eruditis uiris merito carissime, egregia quadam, uulgo non satis cognita ratione sustulisti. simul enim utrunque studium complexus es, tum earum disciplinarum, quibus exculta mens uberrimos in omni fortuna ferre fructus solet, tum iuris ciuilis, quod alienos ad usus maxime porrigitur. ardua res, & operosa: quod exemplorum declarat inopia: sed ingenio tuo nihil difficile: &, ut se præbent initia, futurum nemo dubitat, ut instituta perficias, consilijsq. tuis breui*

respondeat euentus. in philosophia quidem processus tuos admiramur: qui tanti sunt, ut euolare potius, quàm excurrere uidearis. quanquam cur miremur? ingenio si quis ualet, in studio fere languet. qui utrunque coniunxit, optimam quandoque disciplinam, & rectam studiorum uiam ignorat. fac in uno tamen hæc inesse omnia; quid assequetur aduersante fortuna, subsidijs destitutus ijs, quæ cum adsunt, fertur animus procliui cursu ad egregias res; sin absint, hæret in salebra, nec facile progreditur. Quæ igitur singula tanti sunt, quemuis ut possint asperata litterarum gloria penitus auertere; hæc tibi cum suppetant uniuersa, iure istam, quam alij uix tuentur, Spartam quotidie magis illustras; neque tam nobis hoc, æqualibus tuis quòd sis uirtute maior, quàm illud, si te ipso minor esses, admirandum uideretur. In philosophia quidem cũ operam studiosè des M. Antonio Genuæ, cui uetera rum doctrinarum arcana patent, quo nemo peritior Aristotelis interpres, nemo uir melior usquam uiuit; nihil mediocre neque nos a te exspectamus, neque tu præstas. quo nomine tibi gratulor plurimum, & eo magis, quòd illius uiri uoce publice cũ multis, consuetudine, ac sermonibus, quæ humanitas eius atque amor in te est, priuatim & proprie frueris. hauries enim ex eodem fonte non ea solũ, quæ uel olim in Lyceo, uel etiam in Academia disputabantur, sed id, quod longe præstantius est, Christianam pietatem, a qua manat una, & in qua ité

una

solum, quia probitate, modestia, morum elegantia, omnibus denique animi bonis excellit: sed etiá, quia paucorum annorum studio, præstantia uidelicet ingenij, quam ego semper amaui, consecutus est, ut exquisitam, ac uariam sermo illius eruditionem præseferat, scripta uero ad Ciceronianam eloquentiam sic accedant, ut cum ijs, qui suum nomen hac laude celebrarunt, qui pauci admodum sunt, conferri iure possit, æqualibus uero cunctis facile antecellat. Hunc ego tibi iuuenem, quem olim mihi adolescentulú uir omni laude summus, Reginaldus Polus Cardinalis, magnarum uirtutum indole commotus, accuratissime commendauit, etsi necesse non arbitror, commendo tamen eo studio, quod quia uerbis exprimere mihi non licet, tu quoque, tantum esse, uelim existimes, ut exprimi nullo modo possit. is cum antea philosophiam, præsertim quæ de græcis fontibus hauritur, & humanioris doctrinæ studia diligenter, eximiaq. cum laude coluit; tum hoc tempore in cognoscendo iure ciuili totus est. qua illum cupiditate quotidie magis incendit admiratio tuæ uirtutis, quam in omni fere sermone ad cælum fert, exterisq. etiam gentibus, licet illustrem satis, elegantissimis declarat epistolis. pertinet igitur ad humanitatem tuam, qui te tam ualde amet, tantiq. faciat, eum redamare, eiq. reconditos illos, omnium purissimos, tuæ scientiæ fontes aperire: pertinet etiam ad fidem, qui se totum in tuam disciplinam tradiderit, opibus eum imperti

re

re ingenij tui, quas ille Regum opibus et suaſponte, & meo iudicio, cui tribuere aliquid uidetur, præstantiores existimat. Hæc ad impetrandum magna sunt, præsertim apud optimum uirum, quam in tuis laudibus præcipuam agnoscimus. uerum accedit amor in te meus, qui fraternam necessitudinem æquat. is te rogat, is prensat, quàm studioſe, quàm blande potest, pro Duditio meo: ut eum, quem ego merito eius in oculis fero, tu, quem amicitiæ nostræ denegare nihil decet, quando nec studio tuo quidquam abnueret uoluntas mea, omni benignitate complectaris, planeq. in clientelam tuam, atque adeo in sinum æque ac filium meum, æque ac me ipsum recipias. quod si feceris; obstringes tibi non uulgari beneficio iuuenem summo loco natum, dignum maioribus suis, qui Pannoniam, ut ego augur or, sua uirtute aliquando Italiam faciet; a me uero gratiam inibis eam, quæ, si quid accedere ad meam in te beneuolentiam potest, quod equidem uix arbitror, id ipsum una possit adiungere. Vale. Venetijs.

ANDREAE DVDITIO SBARDELLATO, Patauium.

ODVLCEM reditum, o amandas litteras, quæ mihi id significant, quod, non modo spe, sed nec suspicione attigeram. sed quando te ipsum, mi Duditi,

diti, uidere, quando licebit amplecti? oculos mehercule tuos, dum hæc ad te scribo, intueor, indices probi animi tui, indices humanitatis. hoc mihi spectrum fingit amor: (quid enim aliud?) & hæc me cogitatio iucunditate perfundit incredibili: quid putas, cum erimus una, dabiturque, ut ille inquit, Veras audire, ac reddere uoces? nemo unquam, perinde lætatus est inuento thesauro, ut ego, te reuerso. uideor enim amissum recuperasse: & plane amiseram. nam, etsi reliqueras hic memoriam tuæ suauitatis, tuiq. ingenij: tamẽ, quod attinet ad adspectum, ad consuetudinem, ac sermonem, quibus nobis, tui amantissimis, nihil potest esse optatius, totus abieras. ac uerebar, ne, uel precibus tuorum uictus, uel honorum cupiditate illectus, totum te dederes aulicis muneribus, multa nobis, fortasse etiam litteris, salute dicta. nunc te tuus bonus, tuus, inquam mihi crede, bonus genius reduxit, sicuti malus abduxerat. quid enim sumus, nisi adsit humanitas, & litteræ? quæ petuntur in otio, tranquilla mente. otij autem ubi plus, quàm in isto secessu Patauino? nemo quenquam interpellat nolentem: inuitant ad uirtutem, si minus uoce, exemplo certe quamplurimi: patet aditus ad doctores in omni liberalium disciplinarum genere præstantes: quid præterea? cæli mira clementia: rerum, quibus alimur, suauitas incredibilis, et copia. Hæc tibi, optime Duditi, iure prima sunt; iure tot montes superasti, tot flumina trãsiecisti, ut hæc dimissa statim

statim repeteres. uiues tibi, solutus ab omni cura: uiues Deo, contemptis diuitijs, abiecta illa gloria, quam falsa prorsus, et inanis honorum species ostentat. quòd nisi Deo uiueres, nec tibi certe posses uiuere. in illo enim uno uera, ac solida uirtus, hæc, quam quærimus in libris, aut discimus ab hominibus, umbra est. quocirca hortor equidem te, ut libros euoluas accurate, ut magistris assidue operam des: sed minimum in utrisque pone, nisi tua studia diuino cum amore coniungas. Atque hæc me scribentem magnopere delectant; tibi non puto fore legenti necessaria; scribo tamen, & quia te mirifice diligo, cupioq. esse, qualem pater filium; & quia commemoratione ipsa rei omnium optimæ, ac præclarissimæ afficior sic, ut nullam ex ullo sermone, aut ex ulla cogitatione maiorem hauriam uoluptatem. nec tu debes officium meum aspernari, aut in deteriorem partem trahere, si tibi, etiam rectissime uiuenti, (sic enim existimo, planeq. mihi persuasi) constantiam laudo. lubrica est enim adolescentiæ uia: labuntur multi, cum aliquantum iam processerint: cursum uero conficit is, qui nititur optimis cogitationibus, ducemq. sequitur eum, qui nunquam errat, communem humani generis parentem; qui tibi omnia bona pollicetur, & dabit, quæ nec ab Imperatore tuo sperare, nec ab ullo Rege licet. De Episcopo Agrienſi, agnosco tuam in me beneuolentiam: cui de emblemate gratias agam. Mariani Lezentij, iuuenis ornatissimi, & Andreæ Patricij,

Patricij, contubernalis tui, talem in me animum amplector: quos cupio a te meo nomine salutari, itemq. Polonos ceteros, familiares tuos, quorum nobilitas, &, ut audio, uirtus Patauinum gymnasium illustrat. Vale; &, quando nos adspectu tuo priuas, minue saltem litteris, non hac recentiore Italica, sed illa uetere, omnium elegantissima, Romana lingua scriptis, desiderium nostrum.

EIDEM, Patauium.

OPTIME *Duditi, quid tibi, obsecro, in mentem uenit? nostra ne imagine tuum putas cubiculum ornari posse? pudet me studij tui: & erubui, mihi crede, cum hanc partem legerem litterarum tuarum. nec tamen, quia tuam facile cupiditatem intelligo, deesse tibi possum: & cœpta res est, & agitur, ut uideo, satis diligenter: quæ cum erit absoluta, mittetur ilico ad te. ac uellem, posset artifex eodem penicillo animum in te meum una cum uultu exprimere: non dubitarem, quin hanc tu multo magis imaginem diligeres. non necesse est, inquies. libenter credo: &, quòd ita sit, acceptum refero tuæ humanitati; quæ mihi a te impetrat id, quod meritis, aut officijs consequi non dum potui. His diebus facultatem ad te scribendi permoleſtæ occupationes eripuerunt. ignosce: & puta, nunquam abduci meam ab officio uoluntatem, licet opera non extet. Heri adijt ad me contubernalis tuus,*

Sta-

Stanislaus Fogeluetrius Cracouiensis. probum adolescentem, præditumq. litteris, & tua plane consuetudine dignum e sermone iudicaui. amanter illum excepi, ut natura mea fert: iucunde non potui, quia ualetudo non concedit. cuius beneuolentiam si, te, ut arbitror, conciliante, sum adeptus: peto a te, mihi ut eam conserues. & omnino, quicunque a te diliguntur, eosdem mihi cupio mutua beneuolentia coniungi. Epistolam ad Episcopum Agriensem, quando interdiu otij nihil suppetit, dictaui ante lucem amanuensi meo. eam ad te mitto. Signum tuum, cum legeris, imprime. De gentilibus amici tui, negotium dedi, & curabitur diligenter. Vale.

EIDEM, Patauium.

VIDEO *te in iungendis amicitijs præclarum artificem esse: uerum caue, ne quid alterutra de parte promittas, quod præstari uix possit. aut, si promittes, ipse ne spondeas; ne quando præter opinionem cogaris dependere. de me ipso loquor: quem tu si putas esse, qui non sum; quod ad me attinet, facile patior: fruatur hoc amicitia nostra priuilegio, ut inter nos omnia liceant: sed uereor, ne tua apud alios prædicatio plus nobis imponat oneris, quàm sustinere possimus. Patricio tuo scripsi, multis districtus negotijs: et eram animo conturbatior, accepto nuntio de fratris mei summa corporis, aliqua etiam mentis inualetudine. Gentiles familiaris*

tui

tui latent adhuc: eruentur aliquando, si qui sunt: curat enim homo tum mei cupidus, tum ad hoc diligentiæ genus uehementer aptus. De libris, putabam e silentio meo te conijcere nihil esse: sed, quando appellas crebro, scies non dum neque ad Iuntas, neque ad alium quenquam peruenisse. tu uide, cui rem commiseris; & urge litteris, ut sine mora mittantur. Imago coloratur, designatione iam perfecta. ueritatem, nisi fallor, egregie simulatam dices. Vale.

EIDEM, Patauium.

Amo te, quòd uerecunde petis: sed istam posthac uerecundiã abijce, obsecro, si quid aliquando mecum ages. nescis, apud me quo loco sis, aut quo ego apud te esse cupiam: quod si nescis, aut etiam, si dubitas; iniuriam facis utrique nostrum. Scripsi ad Sophianum libenter equidem tua caussa, sed inuitus ea gratia, quòd laborantem, ut audio, graui morbo, uexari tuo studio nollem. Equidem discrucior, cum ita affectum audio probum iuuenem, mihi amicissimum, græcarum litterarum scientia sine dubio singularem. sed, quia te fero in oculis, idq. mehercule tuo merito, litteras ad eum conscripsi; quas in hunc fasciculum coniectas cum legeris, si reddendas non putabis, conscindes. Ego nũc, si quid de me scire uis, iaceo, corpore satis afflictus ob capitis grauedinem, sed erectus animo propter

spem, atque adeo exspectationem uitæ lætioris. iam enim didici contemnere, quæ amabam antea: quare te quoque in sententia cupio esse. Saluta meo nomine contubernales, & amicos tuos. Vale.

EIDEM, Patauium.

Respondeo serius litteris tuis, impeditus febricula, robustioribus haud ualde metuenda; sed in hac nostra corporis imbecillitate etiam ea, quæ mediocria sunt, non mediocriter timenda. Locum uidebis in epistola ad Patricium, ubi ea, quæ mones, interposui: de quo quid sentias, aueo scire. Gratias tibi agerem de ista uoluntate: sed hoc plane respuit amicitia nostra; nec tuum erga me officium assequi unquam possit oratio mea. meriti enim loco semper apud me fuit bene merendi cupiditas, etiam si res, quod sæpe solet accidere, nulla consequatur. Vale.

EIDEM, Patauium.

Quid tibi ego præstare possum de ijs, qui fortasse nulli sunt? quæsitum est per diligenter: nec tamen ullum omnino diligentia fructum tulit. fingere tibi eos ex argilla possumus, animare non possumus. quod si liceret, fieret, atque adeo factum iam esset. nec enim mediocre tuum esse studium intelligo: & ego, ut fatear quod res est, diligo istam

in te bonitatem, qui de gentilibus amici tui, nulla tuorum commodorum ſpe propoſita, humanitatem modo quandam ſecutus, tantopere labores. certe qui honoribus, aut diuitijs, aut opinione uirtutis emineant, nulli reperiuntur. quòd ſi quos obſcura condicio, aut fortunæ tegit humilitas: de ijs quæren dum ne ſit, uiderit amicus tuus: me ſi conſulit, omittet. De pictura, lentum negotium: ſed illud te non præterit, Pictoribus, atque poetis Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. ita facile mentiuntur uerbis, ut coloribus fallere conſueuerunt. hic, qui rem ſuſcepit, diu me promiſſis duxit, uarias nectendo cauſſas, ut ei culpam largirer ignauiæ. nunc imbres accuſat, quòd recentes colores minime patiantur exſiccari. hoc puto uerum, illa non puto, concedo tamen, ut eo utar facili, & impetrem, quæ duo ſimul a nobis exoptantur, feſtinationem cum diligentia. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

ITA *mihi optata contingant, ut commentariolo tuo nihil unquam legi eruditius, nihil ſanctius, aut ad retinendum Catholicæ religionis cultum accommodatius. itaque, cum in ortu Solis legere cœpiſſem, abſolui facile ante horam prandij, opera nunquam intermiſſa. ualde enim delectabar ordine, ualde etiam genere orationis tuæ. res uero ipſa ita me affecit, ut quaſi ſemina quædam ueræ pieta*

tis, quæ fructum profecto non mediocrem cl: uando ferent, in animo meo reliquisse uideatur. quod quanti esse apud me putas? quanti mehercule immensam auri uim non æstimo. quid enim cum aterna salute conferatur? quòd si meis apud te precibus locum aliquem relinquit humanitas tua: rogo te etiam atque etiam, ut hoc genere scriptorum, quo quidem ad studium summi boni, perpetuæq. felicitatis mirifice excitor, impertiri me quamsæpissime uelis. quod si feceris; addictum me tibi multis nominibus obstringes eo beneficio, cuius delere memoriam obliuio nulla possit. Quod me reuocas ad consuetudinem tuam: stimulum scilicet currenti. sed, mihi crede, non plane totus abs te discessi; neque te mihi prorsus eripiunt, aut eripient unquam locorum interualla. absens tecum sum, tacitus loquor, & loquentem audio. sic lenitur imagine pernicuda desiderium nostrum. quod cum ita sit; operata men studiose dabitur, mature ut excurram quò ire necesse est, si meam fidem tueri uolo, & quò tamen, quia disiungor a te, minime libenter eo. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

Cvm de tua ualetudine solicitus essem, curam auxit filioli morbus, quo etiam nunc laborat, nec satis explorata salute. me quoque leuiter febricula tentauit, qua triduo sum, sine medicorum interuentu,

teruentu, temperata duntaxat uictus ratione, liberatus. Nunc expediendis negotijs operam do; ut, si amicus noster, bonarum artium patronus, summum illum dignitatis apicem attigerit, quamprimum possimus accurrere. Sæpe enim & litteris, & præsenti sermone, cupere se consultum rationibus meis, amantissime declarauit. mihi autem omnia sunt in eo, ut otio litterato frui liceat, nulla rerum domesticarum cura interpellante. quod si assequimur; ualeat ambitio; uiuemus nobis, & Musis, & eo quidem animo, ut omnia referamus ad Deũ, a quo uno felicitas uera pendet: quod idem tibi uideri, ex tuis litteris facile conijcio. Miro teneor desiderio ueniendi ad te: sed hanc facultatem multa eripiunt, præsertim æger filius, quem tibi, & pro nostra amicitia, & pro noua coniunctione esse carissimum, plane mihi persuadeo. te quidem a morbo confirmatum si audiero, æquiore animo domestica patiar incommoda. itaque dabis hoc amori nostro, quem tua uirtus peperit, alit humanitas, atque auget, ut nostra etiam caussa tuam ualetudinem studiosissime cures. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

SILENTII mei caussam ex ijs litteris, quas heri ad te scripsi, quas hodie mane puto tibi esse redditas, iam cognouisti. quod nisi ita declarassem; tamen mihi dubium non est, quin tu pro sin-

gulari tua sapientia, & humanitate de mea meorumq. ualetudine conijceres. quid enim aliud me a scribendo abduceret? quo equidem nihil facio libentius: idq. tibi, si præsenti fortasse non potui, absenti certe probabo. Tuum aduentum auide exspecto: cuius mihi significatio tum eo nomine gratissima, quia te uidebo, tum eo gratior fuit, quòd optime te ualere, etsi tu de eo nihil significes, facile tamen possum intelligere. quod si ita est, opto perpetuum esse: &, quod opto, id etiam ut sperem, facit continentia tua; quam ego in uictu (plane loquor, ut sentio) ualde sum admiratus, & conor etiam imitari. Rerum Romanarum, Pontifice mortuo, conuersus orbis est. itaque, qui decesserant, omnes ad urbem redeunt. pecuniæ pro Mecœnate illo, ut affertur ad nos, libentius quàm pro ceteris, deponuntur: & ad eum denique, fore suspicor, ut omnium Cardinalium uoluntates inclinent. uir optimus est, egregie litteris excultus, ingenio miti, &, quod caput est, cum factiones duæ dicantur esse, æquus in utranque. primum contendetur acerrime. quid mirum? Neque enim, ut ait poeta ille summus inter nostros, leuia, aut ludrica petuntur Præmia. et scis, omnes homines, quod maxime cupiunt, itidem facile adduci ut maxime sperent. ergo multis quasi aleam iacere, & fortunam placebit experiri. quid euenturum sit, & quid magis expediat, uni Deo patet. certe, nisi firmioribus, quàm antea, præsidijs muniamur; prauarum opinionum

nionum incursu uinea Domini dissipabitur. quod te quoque et suspicari, quia prudentia excellis, et metuere uehementer, quia pietatem diligis, aliquando in nostris sermonibus cognoui. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

Cvm de tuo reditu ex tuis, amicorumq. litteris cognouissem; perfusus uoluptate sum prorsus incredibili. subuerebar enim, ne te patria tua, experta iam in magnis rebus & animi, et ingenij tui præstantiam, abesse diutius minime pateretur. etiam illud occurrebat, ne te iam satietas Italiæ cepisset. multa cogitabam, ut amor est, quæ cupiebam esse falsa, & fuisse ualde nunc lætor. capio tamen hanc in iocunditate molestiam, quòd ad te quamprimum accurrere non licet. nam, ut omittam de uxore, cui deesse non possum ægrotanti; confirmare studeo res domesticas, quæ uacillant satis absente me. cum enim, referre me totum ad litteras, quarum est mihi consuetudo iocundissima, plane deliberatum sit: prius hæc, quæ ad alendam familiam pertinent, ita constituam necesse est, ne quando me, quod antea sæpe contigit, de medio studiorum cursu reuocare possint. iam ego in meis consilijs, optime Duditi, ambitionem cœpi excludere. uideo res humanas sursum deorsum ferri, nunquam consistere: celeriter omnia fluere, & extingui, præter bonam famam, ad quam omnes peruenire cupiunt, sed ignoratione

ratione uiarum plerique aberrant. non enim in opibus, aut in magistratibus, Regum ue aulis uera decus habitat. petendum aliunde est, a rectis cogitationibus, honestis laboribus, studio, & exercitatione uirtutis. hæc mihi in animo sunt: quæ si colam arbitratu meo, multa consequar. primum, abijs negotijs, quæ mihi negotium facessunt, uacabo prorsus: deinde, (ne me putes desidiæ caussa otium cogitare) scribam aliquid quotidie; quo nihil soleo, ubi curarum expers animus est, facere libentius: denique, etiam posteris fructum fortasse aliquem pariet industria nostra. Quid relinques, dicet aliquis, liberis tuis? Non exiguum patrimonium, imitationem mei, & aliquam, ut spero, uirtutis hereditatem, eadem scilicet, quæ reliquit mihi pater meus. Non abundabunt. Nec id postulo, nec illi, si sapient, postulabunt. modica poscit, ut honeste, id est feliciter uiuatur, hominis natura: reliqua sunt instrumenta nequitiæ. Cupio tibi, mi Diditi, qui ætatē tuam prudentia anteis, probari meum sensum: cupio meum iudicium tua sententia confirmari. quanquam quid exspecto? index animi sermo est. porro in sermonibus quotidianis quid tu habes in ore, quid extollis, præter studia doctrinæ? quæ te uideo, cum tecum loquor, uel cum tua scripta lego, tractasse diligenter. ueruntamen hoc ipsum, quod habeo satis exploratum, mecum te sentire, si significabis, pergratum erit. Ego, nisi occupationibus premerer assiduis, quas animo potius, quàm

quàm corporis uiribus sustineo, explerem te crebritate litterarum. uerum ne sic quidem, pro tuis in me officijs, patiar in hoc genere prorsus ab te requiri studium meum. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

VOBISCVM *ut agatur, scire cupio, Patauij commorantibus. nos hic languemus, afflicti caloribus perpetuis, quibus equidem grauiores non memini. uxor mea non dum ex puerperio conualuit: infans bellissime habet, et incipit iam blandientibus arridere. quid quæris? admodum scitus est: quodq. amare solemus in pueris, hilaritatis habet multum. De tuo aduentu, suadeo consilium mutes, neque te istinc, furente Canicula, æstu non ferendo commoueas. faceres enim ualetudinis incommodo: ac, si ualetudo, studia tamen tua non ferrent. uerum hoc prudentiæ tuæ totum sit, in qua tibi neminem antepono. ego, pro mea in te singulari beneuolentia, non modo quid uellem, uerum etiam quid sentirem, testatum esse uolui. Aristotelem cum Cicerone mitto, utrunque satis apte compactos ab artifice perito. uideo, quid agas. inanem eloquentiã contemnis; et indisertam philosophiam nõ amas: utranque uis coniungere, ut misceas, quod ait poeta Venusinus, utile dulci. quo minus me, eadem cogitantem, et recessum otij caussa quærentem, reprehendere debebis. Vale. Venetijs.*

Eidem,

EIDEM, Patauium.

VALDE probo industriam tuam, quam ad ornandum commentario aureolum Demetrij libellum περὶ τῆς ἑρμηνείας contulisti: sed ante quàm institutum absoluas, fore arbitror ut exeat is, quem Petrus Bargæus, qui Pisanum gymnasium politioris doctrinæ professione illustrat, ante aliquot menses, ut audio, confecit. itaque malim ad Diodorum latinitate donandum operam, studiumq. tuum conuertas: ne, quod aiunt, actum agas. nam Bargæo, quem tu fortasse non nosti, nec ingenio, nec doctrina, nec eloquentia quisquã præstat: quodq. paucis admodum contigit, tum oratoria, tum poetica laude pariter excellit. absit igitur omnis æmulatio abijs, quos ego unice diligo, & a quibus item diligi me sentio. Calores hic nihil remittunt: feruent omnia. quòd nisi terræ, iam perustæ, uberrimis imbribus cito madefiant; caritas multarum rerum, & morborum uis ineunte autumno uidetur impendere. Ego, ut anni tempus est, non incommode ualeo: negotia curo: otium, & studia cogito. Kalendarium Romanũ uetus, cum opinione mea de ratione ueterum dierum, & necessaria litterarum interpretatione, sæpe iam a te rogatum, quia nec ipse habebam, nec reperire facillimum fuit, mitto serius, acceptum a familiari meo, uiro probo, et erudito, Raphaele Cyllenio. describes, & remittes: quo-

quoniam, quæ sunt olim impressa cum Sigonij fastis, nullum ex ijs iam pridem uenale superest. in hoc autem, ut aliquid a me præcipuum haberes, itidem ut ego te præcipue diligo, quædam uidebis immutata, nec, opinor, improbabis. Vale. Venetijs.

KALENDARIVM VETVS ROMANVM, E MARMORE DESCRIPTVM.

A. K. IAN. F
B F
C C
D C
E NON. F
F F
G C
H C
A AGON
B EN
C CAR. NP
D C
E EID. NP
F EN DIES VITIOS.
G CAR EX. S.C.
H C
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E F
F N
G C
XXXI

H. K. FEB. N
A N
B N
C N
D NON
E N
F N
G N
H N
A N
B N
C N
D EID. NP
E N
F LVPER. NP
G EN
H QVIR. NP
A C
B C
C C
D FERAL. F
E C
F TER. NP
G REGI F. N
H C
A EN
B EQ. NP
C C
XXIIX

F K. MAR. NP
G
F C
G C
H C
A NP HOC DIE CAESAR PONT.MAX.FACTVS
B NON. F
C F
D C
E C
F C
G C
H EN
A EQ. NP
B EID. NP
C F
D LIB. NP
E C
F QVIN. N
G C
H C
A N
B TVBIL. NP
C Q. REX. C. F
D C
E C
F NP HOC DIE CAESAR ALEXAND. RECEPIT
G C
H C
A C
B C
XXXI

C. K. APR. N
D C
E C
F C
G NON. LVDI
H NP LVDI
A N LVDI
B N LVDI
C N LVDI
D N LVDI
E N CIRC.
F N LVDI CERERI
G EID. NP LVDI
H N
A FORD. NP LVDI
B N LVDI
C N LVDI
D N LVDI
E CER. N LVDI IN CIRCO
F N
G PAR. NP
H N
A VIN. NP VINALIA
B C
C ROB. NP ROBIGALIA
D F
E C
F NP LVD. FLOR.
G C LVDI
H C LVDI
XXX

A. K. MAI. N
B F COMP.
C C
D C
E C
F C
G NON N
H F
A LEM. N
B C
C LEM. N
D Nº LVD. MART.
IN CIRC.
E LEM. N
F C
G EID. Nº
H F
A C
B C
C C
D C
E AGON. Nº
F N
G TVB. Nº
H Q. REX. C. F
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
XXXI

H. K. IVN. N
A F MART. CAR.
MONET.
B C
C C
D NON
E N
F N
G N MENTI IN
CAPIT.
H VEST. NF. PR.
VESTAE
A N
B MAR. N
C N
D EID. N
E N
F Q ST. D. F
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D F
E C
XXX

F. K. IVL. N
G N
H N
A NP
B POPLIF. N
C N LVDI APOLLIN
D NON. N LVDI
E N LVDI
F N LVDI
G C LVDI
H C LVDI
A NP LVDI
B C LVDI IN CIRC.
C C MERK.
D EID. NP MERK.
E F MERK.
F C MERK.
G C MERK.
H LVCAR. NP. MERK.
A C LVD. VICT. CAESAR.
B LVCAR. LVDI
C C
D NEPT. LVDI
E N LVDI
F FVR. NP LVDI
G C LVDI
H C IN CIRC.
A C IN CIRC.
B C IN CIRC.
C C IN CIRC.
D C
XXXI

E K. AVG. N
F C FER. HOC DIE C. CAESAR HISP. VICIT
G C
H C
A NON. F
B F
C C
D C
E NP HOC DIE CAESAR HISPALIM VIC.
F C
G C
H C
A EID. NP
B F
C C
D C
E PORT. NP
F C
G VIN. F. P.
H C
A CONS. NP
B EN
C VOLC. NP
D C
E OPIC. NP
F C
G VOLT. NP
H NP H. D. ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDIC. EST
A F
B F
C C
XXXI

D. K. SEPT. N
HOC DIE FER. NEP.
E N
F NP
G C LVDI ROMANI
H NON. F LVDI
A F LVDI
B C LVDI
C C LVDI
D C LVDI
E C LVDI
F C LVDI
G N LVDI
H EID. NP
A F. F. EQVOR. PROB.
B N LVD. ROMAN.
IN CIRC.
C C IN CIRC.
D C IN CIRC.
E C IN CIRC.
F C IN CIRC.
G C MERK.
H C MERK.
A C MERK.
B NP MERK. D.
C C AVGVSTI NATALIS
LVD. CIR.
D C
E C
F C
G C
H F
A C
XXX

B. K. OCT. N
C F
D C
E C
F C
G C
H NON. F
A F
B C
C C
D MEDI R.
E AVGVST. NP
F FONT. NP
G EN
H EID. NP
A F
B C
C C
D ARM. NP
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C LVDI VICT.
E C LVDI
F C LVDI
G C LVDI
H C LVDI
XXXI

A. K. NOVEM. N
B
C
D
E NON. F
F F LVDI
G C LVDI
H C LVDI
A C LVDI
B C LVDI
C C LVDI
D C LVDI
E EID. Nℙ EPVL. INDICT.
F F
G C LVD. PLEB. IN CIRC.
H C IN CIRC.
A C IN CIRC.
B C MERK.
C C MERK.
D C MERK.
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E F
F C
XXX

G. K. DEC. N
H
A
B
C NON. F
D
E C
F C
G C
H C
A AGON. Nℙ
B EN
C EID. Nℙ
D F
E CONS. Nℙ
F C
G SAT. Nℙ FERIAE SATVRN.
H C
A OPALI. Nℙ
B C
C DIV. Nℙ
D C
E LAR. Nℙ
F C
G C
H C
A C
B C
C F
D F
E C
XXXI

DE VETERVM DIERVM RATIONE.

SI DVO dierum in genera distribui annum oporteat, multifariam rectè diuidetur, ut sic; annus constat ex diebus uel fastis, uel nefastis: aut sic; ex diebus uel fastis, uel profestis: aut sic; ex diebus uel senatorijs, uel non senatorijs: aut sic; ex diebus uel comitialibus, uel non comitialibus. harum enim quattuor diuisionum, si seorsum singulæ considerentur, totum annum quælibet complectitur. nos autem, cum de diebus ea, quæ scitu digna censuimus, quæq. ad Romanæ historiæ notitiam valde pertinent, breuiter ostendere instituerimus; ex his diuisionibus utemur ea, in qua quæ maior pars est, (duas enim partes habent singulæ) ea cum ea parte, quæ in alijs diuisionibus item maior est, comparata, uberior aliquanto esse cognoscitur. incipiemus igitur a nominatis in prima diuisione, fastis, et nefastis: quã doquidem fasti, quæ duarum primæ diuisionis partiũ plenior est, plures in anno sunt, quã quæcunque pars in tribus reliquis diuisionibus, latius patet, hoc est, quàm uel profesti, uel non senatorij, uel nõ comitiales. quòd si quis opponat, in Kalendario plures notatos esse dies littera C, quã littera F, unde plures significãtur dies comitiales, quàm fasti: itaque non rectè me a fastis, ut a pleniore parte, exordiri: sciat non a me fastos modo uocari, quos no-

notatos littera F uidemus, sed omnes plane, quibus fari tria uerba, do dico, addico, prætori licebat: quorum e numero comitiales erant, & ij, quos in Kalendario, hæ litteræ demonstrant, EN. NP. Q. REX. C. Q. S T. D. F. P. quibus omnibus cum fari liceret; etiam si non id semper fieret; qua de causa notati sunt alijs litteris potius, quàm F; ut indicetur, præter fari, aliquid etiam fieri licuisse: non absurde mihi facere uideor, si ad fastos littera F notatos, qui quidem uere fasti dici possunt, quòd ijs aliud prorsus nihil fiebat, quo prætor a iure dicendo impediretur, eos quoque dies aggrego, quibus, fari, semper quidem licebat, non tamen, quod liceret, fieri semper solebat. ut omnino tria essent genera, quibus de singulis agetur suo loco; primum fasti ij, quibus fari semper & liceret, & soleret; qui notantur littera F, suntq. omnes XXXVIII. hi & proprie erant fasti, & toti: proprie, quòd per eos, nisi cum aliquis casus extra ordinem interueniret, nunquam prætor ius non dicebat; toti, quòd, fari, horis omnibus liceret. Alterum genus fuit, fasti ij, qui et ipsi proprie fasti erant, sed non toti; quòd ijs quidem omnibus fari, non tamen horis omnibus liceret. erant autē hi, EN. NP. F. P. EN. Q. REX. C. Q. S T. D. quas litteras infra exponemus. atque hi erant omnes LXV. Tertium genus comitiales fuere, casu fasti, non proprie: quia, cum comitia non haberentur, tunc fari solum prætor solebat. hi modo toti erant fasti, cum nulla scilicet comitia haberen-

berentur; modo ex parte, cum haberentur illa quidem, sed minime per totum diem. hi CLXXIV erant. nos fastos omnes uocamus, quibuscunque fari liceret, siue fasti proprie, siue non proprie essent: itaque ab his profecti, paullatim progrediemur diuidendo, ut, qui nobis propositus est huius narrationis finis, eò perueniamus. Omnes igitur dies aut fasti sunt, aut nefasti: et fasti, partim festi, partim profesti. Festos pleroſque partim fastos, partim nefastos fuisse, ut Quirinalia, Lupercalia, Terminalia, ex Kalendario cognoscitur. quibus enim festis diebus, adscriptum est N, ij sunt nefasti simul et fasti, nefasti priore parte, fasti posteriore. dies Feralia adscriptam habet F. qui festus proprie non fuit. sed gestandæ; ad mortuos cenæ dicatus dies. quod quia non hora stata fiebat, sed ut cuique commodum erat; ideo totus dies potuit esse fastus. propterea, ut opinor, littera F notabatur. Festis porro diebus non dubito quin omnibus haberi senatum liceuerit. cuius rei exempla sunt in antiquorum libris ad modum multa. quanquam sollemne hoc non erat, ut semper diebus festis senatus haberetur; sed legitimum, ut haberi posset. sollemne autem illud, ac statum ex more maiorum, ut Kalendis, nonis, idibus haberetur. itaque in Kalendario neque Kalendis, neque nonis, neque idibus littera C, quæ comitiales dies significabat, per quos haberi senatus non poterat, neque diebus omnino ullis festis adhærebat. Profesti dies aut fasti erant, aut nefasti. & omnibus

bus profestis efastis haberi senatum licebat; profestis autem fastis non plane omnibus, sed ijs tantũ, qui comitiales non essent. quibus autem profestis haberi senatus poterat, ijs omnino agi cum populo non poterat. contra, quibus profestis haberi senatum non licebat, ijs agi quidem cum populo licebat, nec tamen semper agebatur: cum ea res ex eorum uoluntate penderet, penes quos populi cogendi potestas esset. non enim, quod licet, id etiam necesse est. Quod autem dixi, comitialibus haberi senatum non licuisse; declarant illa uerba in epistola Ciceronis ad fratrem, quæ tertia est lib. II. Conse cuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. & illa in S. C. quod Cælius ad Ciceronem misit, ep. fam. lib. VIII. Vtiq. eius rei caussa per dies comitiales senatum haberent, S. Q. C. facerent. Quibus uerbis, quod extra ordinem a senatu eo S. C. decretum est, id omnino fieri solitum non esse, dilucide constat. ita senatus fastis quibusdam haberi poterat, quibusdam non poterat: siquidem comitiales inter fastos iam retulimus. nefastis autem haberi omnibus potuisse, iam diximus. Sane, qui me torqueat, nodus est, mihi quidem perdifficilis, in epistola ad Atticum lib. I. in qua, cum dixisset iam, Nam cum dies uenisset rogationi ex S. C. ferendæ; paucis post uersibus subiunxit, Senatus uocatur. quod certe mos maiorum minus ferre uidebatur. nam si rogationi ferendæ dies est, certe comitialis est: quod si comitialis; haberi sena-

tum prorsus non licet: cuius rei testimonio sunt ea, quæ paullo ante recitauimus & ex epistola ad fratrem uerba Ciceronis, et e S. C. nisi si factum id extra ordinem dicamus; ut Pisonis consulis iniquissimis conatibus obuiam iretur: qui cum esset latori rogationis, & eius rogationis, quam ex S. C. et de religione ferebat; idem tamen erat dissuasor. Comitialium magnus erat numerus: eosq. fuisse dies fastos, quod supra dixi, ita existimo, ut mihi uidear affirmare posse. non enim inani quadam cõiectura, sed certa in primis, ut puto, ratione commouear. uideo enim in orationibus Ciceronis, in Pisonem, de prouincijs consularibus, pro Sextio, mentionem fieri ea de lege, qua P. Clodius tribunus pl. sanxit, ut omnibus diebus fastis agi cum populo liceret. quo fit apertum, fastis quibusdam non id licuisse, quod, ut omnibus liceret, lege Clodia sancitum est. quam tamen legem non fuisse obseruatam, demonstratum est a nobis in libro de legibus Romanis.

Nec uero mirari satis possum; cum, fastos aliquot fuisse comitiales, pateat; qui uenerit in mentem Macrobio, fastis, dicere, lege agi licuisse, cum populo non licuisse; comitialibus autem utrunque licuisse. quorum alterum uere dictum constat, comitialibus, inquam, et lege agi, & cum populo licuisse: qui scilicet comitiales erant de numero fastorum: itaque & illud, omnium fastorum commune, habebant, ut lege agi posset; & hoc præterea proprium, ut etiam cum populo posset: alterum autẽ,

de

de fastis diebus, quibus ait lege agi licuisse, cum populo non licuisse, in prima parte uerum esse uideo; in secunda qui possit non esse falsum, haud facile reperio. qui enim fastis agi cum populo non licet, cum comitiales omnes fasti sint, &, comitialibus agi licuisse cum populo, iam ostenderim? dixisset hoc modo: Fastis omnibus lege agi licet, cum populo non omnibus licet: nihil erat, quod reprehenderes: siquidem, quod docuimus, quibusdam fastis agi cum populo poterat, quibusdam non poterat: quibus poterat, eos si quis fastos, aut fastos comitiales diceret, non erraret; cum dies fuerit nullus comitialis, quin idem & fastus: sed comitiales potius, quàm fasti, ut a reliquis fastis proprio nomine distinguerentur; & comitiales item potius, quàm fasti comitiales, breuitatis caussa uocabantur. Verum quia libenter, quantum in me est, antiquitatem soleo tueri; Macrobium, a quo multa didici, quasi gratiæ referendæ loco ita conor excusare: ut, cum fastos nominauit, de ijs tantum intellexerit, qui fasti, uulgo dicebantur, non etiam de ijs, qui etsi fasti ipsi quoque erant, comitiales tamen appellabãtur. spectauit igitur non uerbi uim, quæ dies omnes, quibus prætor tria uerba fari posset, siue comitiales essent, siue non, complectitur; sed consuetudinem loquendi; quòd fastos nominabant eos, quibus tantum lege agi posset; cum eos, quibus cum populo posset, comitiales præcipuo uocabulo mallent appellare. Quæritur hic fortasse: cum comitiales omnes

esſent faſti ; ijsq. & cum populo, & lege agi poſſet ; cum populo, quia comitiales ; lege, quia faſti fieret ne ſimul utrunque. Negatur. nam etſi licebat utrunque eodem die, non tamen utrunque poterat eodem tempore. cnm enim populis in forum conueniſſet ; quid iudicibus, aut litigantibus loci relinqueretur ? porro, ſi uacaret locus, qui tamen poſſet prætor, aut iudices in tanto ſtrepitu, quantus coactæ in unum locum multitudinis ſolet eſſe, eorum, qui cauſſas agerent, orationes attentis auribus, animisque, ut par eſt, excipere ? ſedata mente diligenter aliquid conſiderantibus opus eſt, itaque abſurdum eſt credere, potuiſſe eodem tempore & cum populo agi, & iudicijs operam dari : ſicuti faſtis ijs, qui comitiales non erant, eodem quidem die, non tamen eodem tempore, & lege actũ, & ſenatum eſſe habitum inuenio, ſic, ut lege agere tur primum, deinde ſenatus haberetur. quod cum ex alijs locis, tum ex III. & XII. epiſtola libri II. ad Quinctum fratrem intelligitur. Ergo, cum omnes comitiales eſſent faſti, non quia ſemper lege ageretur, ſed quia ſemper liceret, ſi modo cum populo non ageretur ; (nec enim utrunque ſimul fieri, iam diximus) ita concludemus : faſtos, littera F in Kalendario notatos, iuriſdictionem omnes habuiſſe ; faſtis, littera C notatis, & ius dici, & agi cum populo eodem die, non eodem tamen tempore, potuiſſe : ideoq. faſtos eos quoque fuiſſe dico, non ex eo, quod fieret, ſed ex eo, quod liceret. Hæc de faſtis

stis. Supersunt nefasti. His omnino neque lege agi, neque cum populo licebat. cum enim opponantur fastis, quorum e numero sunt comitiales; eo iure, quod omnes fasti, siue comitiales, siue non comitiales, habent, prorsus carent necesse est. Festus etiam sic: Die nefasto apud prætorem lege agere, religiosum erat. Caussas tamen agi, & concionem haberi, & legē promulgari licebat. nam neque caussas agi, est lege agi: neque, concionem haberi, aut, legem promulgari, est cum populo agi. quæ probare singula, magni negotij non est. Agitur lege, cum prætor tria uerba fatur, Do, dico, addico: qui est ultimus iudicij dies: cum uero caussis audiendis prætor operam dat, lege tunc non agitur. quare fastos esse necesse non est omnes dies, quibus aut pro reo, aut contra reum dicitur: sed, fastum eum esse unum, satis est, quo prætor, aut qui iudicio præest, cum consilio iudicum sententiam ferre debet. itaque in epistola III. libri II. ad Quinctum fratrem, Ad III. idus, inquit, dixi pro Bestia de ambitu, apud prætorem Cn. Domitium. quem tamen diem (est autem III. idus Februarij) fastum non fuisse, Kalendarium indicat: notatur enim, ut nefastus, littera N. nec omnino de octo diebus, qui ab idibus appellantur, mense Februario fastus ullus fuit. quod ideo placuit admoneri, ne quis argueret, uerba ueterum a me, quorundam exemplo, falsa recitari: quoniam quidem in ea, quam nominaui, ad fratrem epistola,

non

non, Ad III. *idus, sed, Ad* IIII. *in omnibus legitur & impressis, & scriptis libris. nam, siue* IIII. *siue* III. *legas; utrunque dicis, & plane, ut dixi, omnes idus Februarij inter nefastos fuisse, apposita littera* N *significat, ultimo tamen die, hoc est idibus ipsis, excepto: qui nefastus prior re, fastus posteriore parte fuit: notatur enim sic,* NP. *Conciones ad populum illæ quidem, nec tamen comitiali tantum die, sed & fasto, qui comitialis non esset, & nefasto pariter habebantur. nolo enim quenquam in eo falli, quia fortasse, agi ad populum, & agi cum populo, idem esse uideatur: quæ diuersa sunt. nam agebatur ad populum, cum ad populum concionem aliquis habebat: ut Gellius docet lib.* XIII. *cap.* V. *agebatur autem cum populo; ut ait Festus, cum magistratus ad consilium, aut comitia uocabat. quod fieri comitiali duntaxat die licebat. concionari autem omnibus æque diebus licuisse, exempla demonstrant. itaque, quoties aliquod* S. C. *erat factum, dimisso senatu, &* S. C. *ad populum recitato, magistratus aliquis, aut etiam priuatus senator, concione ei a magistratu data, ad populum uerba faciebat. nec tamen is erat dies comitialis. nam comitialibus fieri* S. C. *aut omnino senatum haberi non potuisse, demonstratum est. et Festus hæc aperte distinguit, cum ait: Forum est, in quo iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi soleát. Quo die igitur agi cum populo, eodem agi apud populum*

pulum licebat: quo autem agi apud populum, eodem agi cum populo, non semper licebat. exempla sibi quisque notet in legendo: quod facillimum est: sunt enim infinita: itaque puto me facere non inepte, quòd ijs recitandis, quæ passim extant, conterendum mihi esse tempus non existimem. Illud addendum uidetur; cum aduocabatur concio, ut populus aliquid suffragijs, rogante magistratu, sciscereț; tunc actum esse cum populo, non ad populum: cum uero magistratus, aut etiam priuatus aliquis, magistratu ei concionem dante, ad populū uerba faciebat, non ut suffragia deinde ferrentur, sed ut aliquid exponeretur, quod suffragij lationem non exigeret; tunc non cum populo, sed ad populum actum esse. Aliud est igitur habere concionē: aliud, aduocare concionem. ipsum, habere cōcionem, est, agere ad populum: aduocare concionem, si aduocatur ut suffragia ferantur, est, agere cū populo. ideo scripta sunt hæc apud Macrobium lib. I. Sat. Iulius Cæsar auspiciorum lib. XVI. negat nundinis concionem aduocari posse, id est, cum populo agi, ideoq. nundinis Romanorum haberi comitia non posse. Addita enim sunt illa uerba, Id est cum populo agi, quia non semper concione aduocata, cum populo agebatur, sed interdum ad populum duntaxat. nundinis autem, cum populo quidem agere, non licuit; ex quo sequebatur, ut comitia haberi non possent: ad populum autem agere, hoc est concionem habere, certe licuit. non enim aduersatur illud

lud, quod a Cicerone scriptum est lib. IIII. ad Atticum. Ante diem X. kal. nundinæ: concio biduo nulla. Quibus uerbis id, quod factum non fuit, non id, quod non licuit, ostenditur. nam cum haberi nundinis comitia non possent, quod non ex Macrobio tantum, uerum etiam ex Plinio lib. XVIII. cap. III. cognoscitur: propterea ne concionandi quidē P. Clodius, Appius, Metellus, eius fratres, putauerunt; qui proximis diebus, comitiorum causa, conciones habuerant. Superest de lege promulganda. id enim de tribus, quæ proposuimus, erat tertium. Ferendæ legis, & promulgandæ non eadem ratio fuit. ferebatur die tantum comitiali, promulgabatur etiam non comitiali, siue fastus, siue nefastus, esset. itaque C. Cato tribunus pl. rationē de abrogando Lentulo imperio, die non comitiali promulgauit. cum enim & post IIII. nonas Februarij, & ante VIII. idus eiusdem mensis promulgauerit: quod ex epistola III. libri II. ad fratrem colligitur: comitiali die promulgare non potuit, ac ne fasto quidem. primi enim duodecim Februarij dies nefasti omnes fuerunt. Haberi autem senatum per nefastos omnes licebat: nec per omnes tamen, sed tantum, cum res postularet, habebatur, eorum magistratuum, quibus id iuris erat, arbitratu. ita senatus in hoc præstare populo uidebatur: quòd agi cum populo per unum modo dierum genus, hoc est per comitiales, quæ fastorum pars erat, haberi autem senatum per duo genera, hoc est

&

& per fastos eos, qui comitiales non essent, & per nefastos omnes licebat. Erant præterea dies aliquot promiscui, qui neque fasti, neque nefasti poterant appellari, cum lege agi per eos totos neque omnino liceret, neque omnino non liceret; sed partim fasti essent, partim nefasti. horum tria erant genera. alij, prima & postrema diei parte, nefasti, media fasti: qui dicebantur intercisi, & in Kalendario his duabus litteris notantur, EN: quod est, Endotercisi, pro intercisi. ueteres enim endo pro in usurpabant. itaque dixit Cicero lib. II. de legibus: Quos endo cælum merita uocauerint. Et Festus notat, Endoitium, pro initium. Varro autem lib. III. de re rust. Endo suam domum. Alij priore parte nefasti, posteriore fasti: qui notantur ipsi quoque duabus litteris, NP, sed coniunctis, hoc modo ℕ: quod ualet, Nefastus primo. cuiusmodi fuisse dies fere omnes festos, inspecto Kalendario, cognoscitur. Non nulli, priori parte fasti, posteriore nefasti: qui notantur sic, F. P. quod, Fastus primo, significat. quo ex genere uidemus in Kalendario Vinalia fuisse. Dies eos, qui priore parte aut fasti erant, aut nefasti, de ueteribus, quod meminerim, nemo nominat. de fastis autem media diei parte, hoc est de intercisis, Varro sic lib. V. de lingua latina: Intercisi dies sunt, per quos mane & uesperi est nefas, medio tempore, inter hostiam cæsam, & exta porrecta, fas: a quo, quòd fas tum intercedit, intercisi dies; aut, quòd intercisum

cisum nefas. Patet iam, his litteris, quæ sint in Kalendario, F. N. C. FP. NP, EN, sex dierum genera significari, fastos, nefastos, comitiales, fastos primo, nefastos primo, intercisos. Quòd si cui uersat in mentem, hac duarum litterarum connexione, NP, non significari, quod nos diximus, nefastus primo, sed potius, nefas prætori: huius opinionem argumentum primo, e coniectura, uel ex ipsa potius, ut ego sentio, ratione ductum, deinde etiam historiæ ueteris infirmat auctoritas. argumentum est hoc. Nemo, cui pauciora sufficiunt, pluribus utitur. quid opus erat, ut ij dies, quibus adscriptũ uidemus NP, nefasti esse indicarentur, duas potius litteras, quàm unam, apponere? cur NP, inquam, non N? præsertim cum nefasti dies omnes ita notentur, N: sicuti & fasti, eorum quasi aduersarij, una littera, F, demonstrantur. Age dicat aliquis, leue hoc esse, planeq. nugatorium argumentum, quod sane mihi uidetur contra. quid Ciceroni respõdebitur? mendacij ne, & falsitatis, quasi testem corruptum, aut inscientem, arguemus? non ita, ut opinor, quisquam desipiet. Sunt igitur hæc in epistola, Risi, Ciceronis uerba, libro II. ad fratrem. Cognosce nunc idus. Decimus erat Cœlio dies. Domitius ad numerũ iudices non habuit. Quibus uerbis cum, idus Februarij, de quibus Cicero loquitur, fastum ex parte diem fuisse, satis constet: quandoquidem eo die prætor Domitius, ut de reo cognosceret, sententiamq. ferret, in forum descendit: sequitur,

tur, ut NP, quod idibus omnium mensium, exceptis Iunijs, in Kalendario adscriptum uidemus, nefastus dies omnino significari non possit. Eodem in libro altera est epistola, quæ sic incipit: Sextius noster absolutus est ad II. idus Mart. qui dies, si eo die Sextius absolutus est, certe nefastus plane non fuit. fuit autem, cum ei sit adiunctum NP, priore quidem parte nefastus, posteriore autem fastus: sicuti & idus Februarij, de quibus proxime diximus, & omnes dies, quibus in Kalendario NP appositum animaduertimus. Aggrediamur nunc, quando dierum rationem, quæq. eos litteræ significant, satis multis uerbis, atque etiam, ut arbitramur, satis uere exposuimus, alias, quæ in Kalendario sunt, litteras, aut concisas, eoq. obscuriores, dictiones interpretari: ut, quos antiquitas capit, eorum commodo pro nostra uirili parte consulamus.

KALENDARII ROMANI EXPLANATIO.

NON. nonæ. AGON. Agonalia. Ouidius EN. endotercisus, pro intercisus. CAR. Carmentalia: quòd sacratum, & feriæ Carmentis. Varro. EID. idus. LVPER. Lupercalia: quòd in Lupercali Luperci sacra faciunt. Varro. QVIR. Quirinalia: a Quirino; quòd huic deo feriæ. FERAL. Feralia: ab inferis, & ferendo, quòd ferant

tum

tum epulas ad sepulcrum, quibus ius ibi parentare. TER. *Terminalia: quòd is dies anni extremus constitutus. duodecimus enim mensis fuit Februarius.* REGIF. *Regifugium. Ouidius quanquam est inter Ouidium & Kalendarium de die Regifugij cõtrouersia. ille enim assignat ei Februarij diem* XXIII. *in Kalendario autem uideo ad* XXIV. *esse appositum. nec sane, si modo Regifugij dies* N *fuit, uidetur esse potuisse die* XXIII, *hoc est Terminalibus; qui* NP *dies fuit. alioqui dies idem &* NP *&* N *fuisset.* EQ. *Equiria. Varro, Festus, Ouidius.* LIB. *Liberalia. Varro.* QVIN. *Quinquatrus. Varro.* TVBIL. *Tubilustrum: quòd eo die in atrio sutorio sacrorum tubæ lustrantur. Varro, Ouidius, Festus.* Q. REX. C. F. *quando rex comitiauit, fas. Varro, Festus.* CIRC. *Circenses.* FORD. *Fordicidia: a fordis bubus. bos forda, quæ fert in uentre, quòd ea die publice immolantur boues prægnantes in curijs. complures a fordis cædendis fordicidia dicta. Varro.* CER. *Cerealia. Varro.* PAR. *Parilia: a pariendo, ut ait Victorinus Afer. Alij, Palilia, a Pale; quòd eo die feriæ ei deæ fiunt. Varro, Ouidius lib.* V. *Fast. Festus in uerbo, Pales, & Parilibus.* VIN. *Vinalia: a uino. Varro.* ROB. *Robigalia: dicta ab Robigo, secundum segetes. Varro.* FLOR. *Floralia. Ouidius, Plinius.* COMP. *Compitalia.* LEM. *Lemuria. Varro, Ouidius.* LVD. MART. IN CIRC. *Ludi Marti in Circo.*

Ouidius,

Ouidius. MART. CAR. MONET. *Marti, Carnæ Deæ, Monetæ Iunoni. Macrobius, Ouidius.* IN CAPIT. *In Capitolio.* VEST. NF. PR. *Vestæ, nefas Prætori.* MAT. *Matri Matutæ. Ouidius.* Q. STD. *Quando stercus defertur. Varro, Festus, Ouidius.* POPLIF. *Poplifugium, pro populifudium.* APOLLIN. *Apollinares.* MERK. *Merkatus.* VICT. CAESAR. *Victoriæ Cæsaris.* NEPT. *Neptunalia.* FVR. *Furinalia.* FER. *Feralia.* HISP. *Hispaniam uicit.* PORT. *Portunalia.* VIN. FP. *Vinalia. fas Prætori. Varro, Plinius.* CONS. *Consualia. Plutarchus.* VOLC. *Volcanalia. Varro.* OPIC. *Opiconsiua. Varro.* VOLT. *Volturnalia. Varro.* H. D. ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDIC. EST. *hoc die ara Victoriæ dedicata est.* FER. NEP. *Feriæ Neptuno.* F. EQVOR. PROB. *Feriæ equorum probandorum. Valerius Max. lib.* II. LVD. CIR. *Ludi Circenses, in Augusti die natali. Suetonius, Dio.* MEDITR. *Meditrinalia, a Meditrina dea. Varro.* AVGVST. *Augustalia.* FONT. *Fontanalia. Varro.* ARM. *Armilustrum. Varro.* EPVL. INDICT. *Epulum indictum.* LVD. PLEB. IN CIRC. *Ludi plebeij in Circo. Suetonius.* AGO. *Agonalia.* SAT. *Saturnalia. Macrobius.* OPALI. *Opalia. Varro, Macrobius.* DIV. *Diualia, Diui Iulij dies festus.* LAR. *Larentinalia. Varro, Ouidius, Plutarchus.*

ANDREAE PATRICIO, Patauium.

NAE turationem tui indicandi percommodã inijsti. ego enim, non cuiates homines sint, quibus ue terrris ac regionibus profecti, sed quibus moribus, quo ingenio, qua doctrina præditi, soleo quærere: &, ut olim Hannibal, qui hostem feriret, Carthaginiensem sibi fore dicebat; sic ego totum in una uirtute constituo. Epistola tua ita loquitur, ut nullam in te patiatur aut humanitatis, aut doctrinæ partem desiderari. itaque ne te posthac Sarmatam potius, quàm Romanum, dixeris. tametsi Sarmatia iam ita feritatem, si qua olim fuit, & quæcunque fuit, abiecit, ut ex transalpinis nationibus nulla neque ad litteras, neque ad benignitatem mutuaq. officia dicatur esse propensior. Italia uero, in qua uigebant olim artes bonæ, in qua summis ornata præmijs eloquentia primas aliquando partes obtinuit, ita ueterem illam quasi formam uidetur amisisse, uix iam ut agnoscatur. simulacrum duntaxat aliquod in libris relictum est; cuius excellentem pulchritudnem animo intuentes admiramur, et studemus imitari: præsentem effigiem oculis frustra quærimus. Tu autem, doctissime Patrici, si qui nunc antiqua Italia digni reperiuntur, qui quàm pauci sint, quaq. id accidat culpa, non dubito quin intelligas, his te ut adiungeres, præstantiumq.

tumq. uirorum numerum augeres, plane mihi, cum tua scripta lego, et cum eos, qui tecum uiuunt, de te loquentes audio, uideris esse consecutus. quo nomine tibi gratulor plurimum, & patriæ tuæ, in quam referes gloriam, omnibus thesauris, omnibusq. omnium Regum triumphis præferendam. Ego autem, cuius amicitiam in tuis litteris blanda quadam mearum laudum commemoratione uideris aucupari, cum tua merita, quæ ego sentio esse maxima, modeste nimis dissimulas, & extenuasi, mea uero nimis liberaliter amplificas, atque extollis, nisi te tam nostri amantem redamem, nisi multis ornatum uirtutibus omni studio colam, quis me sit imhumanior? quis iudicij magis, aut etiam rationis expers? equidem, quid de te sentiam, quantiq. apud me sis, officijs conabor ostendere: sin, ut mea tenuitas est, hoc præstare non potero; tu tamen, ut spero, de mea uoluntate tibi persuadebis id, quod cupere uideris, te mihi esse, ac semper fore carissimum. in quo profecto, nisi ego meam in amicitijs diligentissime tuendis cõsuetudinem dediscam, tua te nunquam fallet opinio. Vale.

EIDEM, Patauium.

O PRAECLARAM ὑπόθεσιν, nec uero tuam humilem, aut obscuram orationem, sed erectam pijs affectibus, mirificeq. sententijs, ac uerbis illustratam. nunc demum te, Patrici, uere eũ,

qui diceris, agnoſco, hoc eſt a plebe ſeiunctum, quæ libenter oculos ad terrena demittit, nihil altum, nihil homine dignum ſuſpicit. nam certe reliqua ſtudia nituntur opinione potius, quàm re, ſpeciem quandam inanem, ſolidi nihil habent: hæc uero, quæ te uideo arcte eſſe complexum, nec, puto, unquam dimittes, æternam non modo famam, ſed ſalutem quoque pariunt. Agnoſco in tuis inſtitutis præclaram conſuetudinem, egregiaq. ſtudia, nunquam ſatis laudati, Cracouienſis Epiſcopi, Andreæ Zebridouij, cuius ex perpetuo multorum annorum conuictu, quotidianis ſermonibus, conſilijs, probitate, doctrina, quaſi diuinis legibus, formaſti, animum tuum, atque excitaſti ad excellentem rerum æternarum cupiditatem; ut facile conſtet, cum tua te ad uerum decus natura duceret, doctiſſimi tamẽ ac ſanctiſſimi uiri exemplo uehementer eſſe incitatum. Equidem, ut tibi uehementer gratulor, cuius omnis in amore Dei defixa cogitatio ſit: ita, cum in eos intueor, qui, falſa rerum imagine decepti, toto pectore contendunt ad ea comparanda, quæ ſæpe moleſta poſſidentibus, interdum etiam pernicioſa ſunt; miſereor, & ingemiſco. quòd utinam induſtriam aliquando meam, &, ſi quod in me eſt, ingenium ſimili in argumento liceat exercere. nam nunc quidem uoluntas, optima ſpectans, et in quam debet partem propenſa, multis tamen impedita rebus languet. ſed ſperemus. ſic enim nihil difficile, ſi conſenſerit Deus; ut nihil facile, ſi abnuerit. is

porro, cum abesse putatur longius, & destituisse nos in medijs calamitatibus, tum adest proximus insidentibus, & ereptos ex miserrimo statu collocat in solio regum. Hæc ego sæpe mecum solatij caussa, quo sæpe indigeo: & capio uoluptatem, quòd epistolæ quasi allocutio tulit, ut eadem tecum. Remitto orationem. lege amicis tuis, & quàm potes multis communica; ut recte sentientes confirmentur; si qui autem ab optima caussa desciuerunt, ad sanitatem traducantur. Vale, & Andream Duditium, contubernalem tuum, cuius ingenium, & doctrinam quotidie pluris facio, meo nomine saluere iubeas.

GILBERTO COGNATO, Patauium.

Amo ueritatem, deinde me ipsum. illam spectare ante omnia soleo, mihi autem libenter quidem, quatenus tamen liceat, indulgere. itaque nec accipere debeo, quas in me laudes contulisti, nec, ut ingenue confitear, reijcere plane possum. nam bonis uiris, artiumq. liberalium scientia claris, equidem placere uelim, cum eo tamen, ut nolim quenquam nimis esse in mea laude liberalem. tu autem in tuis litteris ea mihi tribuis, quæ non modo si agnoscam, sed propemodum si optem, modeste parum agere mihi uidear. At Muretus ita sentit. Vtinam quidem: sed officium potius, quàm sen

tentiam, esse puto. quis enim me minus ignoret? qui, quàm diu Venetijs fuit, uel mecum habitauerit, uel mea consuetudine frequenter admodum sit usus. nec is est, quem iudicium fallat, præsertim in litteris, quas tractat assidue, nouit egregie: uerum ei facile persuadet humanitas, ut iudicium amicitiæ largiatur. sed siue te Mureti oratio, tam honorificam de me opinionem ut susciperes, adduxit; siue mihi hoc abs te, ut tu scribis, mea studia, ut ego sentio, tua bonitas impetrat: persuade tibi, non exiguum me statuere ornamentum in amicitia tua: cum & ipse possideas illas uirtutes, quarum fama beneuolentiam conciliat, nomenq. nostrum, ab interitu uindicatum, cum æternitate coniungit; & principum uirorum, doctrinaq. præstantium floreas amicitias; quodq. me non leuiter mouet, in Erasmi Rotherodami, eruditissimi hominis, ac de litteris optime meriti, contubernio per aliquot annos uixeris. ac uellem mihi parem uoluntati suppetere facultatem. fructum ferres haud mediocrem studij in me tui: obseruantiæ uero in te meæ, quam tua uirtus peperit, satis esset illustris, ac minime dubia significatio. quod ipsum tamen, ut ut est, fortasse consequar. nam & studio nitar: & ad perficiendi spem plurimum quidem, uelle optima, solet afferre. Vale.

Dionysio

DIONYSIO LAMBINO, Patauium.

NEQVE *negare audeo tibi, homini eruditiſſimo, cuius ego plurimi ſemper amicitiam feci; neque, ſi pollicear, præſtare poſſim id, quod a me petis. premor enim domeſticis oneribus, & typographiæ cura, ſic mehercule, uix ut ſuſtineam. uacuæ tantum ab opere mihi relinquuntur horæ ueſpertinæ: ſed eo tempore, tum defatigatus laboribus, ac fractus, quietem quæro neceſſariam; tum uero ſuccedit oculorum dolor, iſq. ita grauis, ut non modo legere, aut commentari, ſed nec domeſticos audire ſine magna moleſtia poſſim. ita nobis traducitur dies, atque adeo noctis maior pæne pars. non enim prius hac leuamur capitis grauedine, quàm Sol, medio iam Antipodum orbe decurſo, incipit ad nos recurrere: & in ortu ſuo demum ualetudinem mihi, alacritatemq. reſtituit. quòd ſi reſpirare aliquándo licebit; aures tibi meæ patebunt, non in horas modo, ſed integros etiam dies. quid enim mihi iucundius, quid etiam utilius, quàm tecum de litteris agere, tuaq. maxime tractare ſcripta; de quibus quid exiſtimem, Muretus noſter teſtis eſt. nam cum ad me, octauo, opinor, abhinc anno, in Iudecæ ſuburbano habitantem, ignotum antea de facie, uoluntario adductus officio adiiſſes; humanitatem ſimul & doctrinam tuam eadem hora perſpexi. tunc ego*

te cœpi & diligere, & prædicare: nec desinam utrunque facere, quàm diuturna mihi dabitur uita: quandoquidem nec tu desines esse tui similis, id est, cum optimus uir, officioq. excellens, tam uero tantus in uirtute, quantum cum egregia natura singularis industria potuit efficere. Interim peto a te, meis ut occupationibus ignoscas, & uoluntatem in te propensam, licet absit res, tamen ames. Vale.

PETRO * Patauium.

NIHIL *mihi pro mea in te beneuolentia, meoq. de te iudicio potuit accidere, quod minus uellem, aut quod minus opinarer, quàm id, quod proximis diebus audiui, cum diceret nescio quis, non te perinde, ut solebas, in optimarum artium cupiditate uersari, sed languere quotidie magis; adeoq. præclara illa principia, quæ, me quidem sæpe, & multum cohortante, ac monente, posueras, esse labefactata, nihil ut a te eximium, nihil, quod uulgare non sit, exspectari posse uideatur. equidem neque plane credidi, quod a tua consuetudine tam ualde dissentiret: neque tamen plane non esse credendum id existimaui, quod ut accidere posset, cum in ætatem tuam intueor, uerisimile mihi fit. quòd si contra, quàm ego cupio, factum est, ut paullulum te a uirtute disiunxeris, & in dubia, ac perdifficili*

inuen-

iuuentutis uia quiddam offenderis; agnosce tuam culpam, & corrige, dum licet. non enim, quæ dies confirmauit, facile mutantur. Et habes, qui te suo excitet ad uirtutem exemplo, æqualem tuum, exquisiti adolescentem ingenij, Antonium Lauretanum, Abbatem designatum; quem debes, cum nobilitate pares, nec naturæ, fortunæq. bonis dissimiles admodum sitis, æquare etiam, aut imitari saltem in studijs artium optimarum. Sin autem est, ut uolumus; & ista, quæ de te rumor dissipauit, inania sunt: noli laborare, quid alij loquantur; cogita, quid ipse facias; et a te ipso pende. magna solet esse iucunditas, quæ manat ex optima conscientia. hac tu fruere, & perge, ut cœpisti, in studijs liberalium disciplinarum: quarum est cum possessio uitæ æqualis, tum fructus eiusmodi, ut etiam ad posteros pertineat. Vale.

ROMVLO CERVINO, Patauium.

Itan' ego tibi ex animo effluxi, ut unam tribus mensibus epistolam ad me dederis? occupatus, inquis, sum. quo in genere? nempe in litteris. num igitur tibi a litteris animum uideris abducere, cũ epistolam texis? mihi quidem nunquam minus. quin hoc ipsum, quod ego nunc in te desidero, si cõtemnis; id est si ita legis, ut nunquam scribere animum inducas: litteræ iacebunt. quòd si me a principio

cipio rectissime monentem audire uoluisses, neq; si non quotidie, saltem alternis diebus scriptioni de- disses: Dij immortales, quos tu nunc fructus ed- res, quàm præstantes, quàm uberes, quàm & te ipso dignos, & fratre tuo, in omni genere laudis excellentissimo? nunc quos progressus hac in re fe- cisti, non ego quidem illos, quasi tardioris ingenij, reprehendo, neque reprehendere quisquam potest: sed tamen illud, quod ego a te olim exspectaui, ma ius aliquanto fuit, quàm hoc, quod tu nunc præstas. Neque uero id, quò te iam pridem sumus hortati, & quò breui esse peruenturum credidimus, eius- modi est, ut facile quiuis posse consequi uideatur: sed cogita præclarum fere nihil esse, quod idem dif- ficile non sit: & tamen difficultates omnes ea, quæ in præstantibus ingenijs facile existit, gloriæ cupi- ditas uincit. cuius rei noli exempla petere ab anti- quitate: adspice fratrem tuum; qui, ut Antimacho poetæ Plato, sic tibi omnium instar esse potest. nú- quid igitur illum existimas tantos labores aut susce pturum fuisse, aut, cum suscepisset, ferre potuisse, nisi ueræ laudis eum spes aliqua identidem quasi al leuasset? quam quidem spem dum sequitur, uides quò peruenerit. gradum tenet dignitatis, qui est a summo proximus: & de summo quid homines au- gurentur, intelligis. Perge, mi Romule, iisdem itineribus ad decus. magna sunt bene agentibus præmia constituta. quam tu facultatem quando ha bes maximam, noli contemnere; ne paullo post,

amissam,

amissam, frustra queraris. hæc enim, quæ nunc habemus, quis scit, quàm diu simus habituri? uides, ut auolent horæ, quæq. nobis commoda præterlabentes auferant. Itaque oportunitates, dum adsunt, ita debemus, amplecti, quasi non eædem semper affuturæ sint. qua in sententia te quoque existimo esse, cupio quidem certe; ut cum exspectationi de te concitatæ, tum fratris tui, summi uiri, laudibus aliquando respondeas. quod facile consequeris, si te ipse colliges, &, quo consilio Patauium acceſseris, quam urbem scis habitam semper esse doctrinæ domicilium, assidue cogitabis. et quanquam nó dubito, quin memoria bona sis: tamen, quoniam hæc posterior epistola tua, quam ad me XV. Kal. misisti, cui ego XIV. respondi, non tam est luculenter scripta, quàm uellem, uel potius multo minus, quàm uellem; uereor, ne tibi illa, quæ ego tecum olim de latinæ linguæ obseruatione sum locutus, quæq. ipse mihi te esse facturum pollicitus es, penitus exciderint: quæ, si putas e re tua esse, ut a me iterentur; excurre ad nos, & hoc quidem animo, ut, quàm diu Venetijs futurus es, (cupio autem, ut diutissime uelis) apud me diuerseris. Ac noli uereri, ne ego te Patauium crudiorem remittam. non ita de nostris hospitibus male meremur. Cenæ erunt, quæ te lautitia delectare, non quæ copia possint offendere: quæ quidem in primis sermone bono, & perfamiliari condientur. quod tu quanti

ti facias, ignoro: ego quidem huic iucunditati nullam antepono. Vale.

VINCENTIO GILIANO, Venetias.

QVA'M *multa non modo contra uoluntatem, uerum etiam præter opinionem homini contingunt. nunquam putaui fore, ut humanitatem tuam requirerem. adeo mihi & multa, & perillustria studij erga me tui dederas argumẽta. nunc, alijs me quotidie salutantibus, aut certe consolatorias in meo casu, opemq́. pollicentes litteras mittentibus, ipse tamen neque scribis quidquam, neque mecum habendi sermonis facultatem quæris. quod uiris nobilissimis concessi, tibi, pro multis ingenij tui suauitatibus, proq́. nostra non nuper instituta, sed iam inueterata necessitudine nunquam denegassem. Optaui, inquies; sed optanti pudor obstitit. Agnosco modestiam tuam, nec mediocriter probo: uerunta men decet aliqua ortam a uirtute amicitiam confidentia. Erant autem, cur me conuentum cuperes, caussæ minime uulgares; primum Iasonis mei de Nores, uiri omnium, quos ego in uita nouerim, optimi, atque humanissimi, reditus in hanc urbem, deinde Dauilæ nostri, quem ego quanti faciam, & tu, & omnes pæne iam norunt, ægrotatio: quæ cũ hesterno die cognouerim; cupio tamen certius abs*

te

te aliquid significari. uarie enim afficior, & amicissimi hominis aduentu; cuius in consuetudine plurimam mihi statuo iucunditatem; & eius uiri mor bo, cui debere omnia uideor, quia, quod in ipso fuit, operam dedit, ut me sibi non exiguo propinquitatis uinculo in perpetuum obstringeret. neque enim, licet mutuam utriusque uoluntatem frustrata fortuna sit, iccirco tantum in me beneuolentiæ significationem parui pendendam existimo. animus mihi pro re erit: meq. ille sui memorem beneficij (sic enim appellare debeo) aliquando sentiet. Hæc sunt, mi Vincenti, cur te uelim. accedit illud. Affines suos Cardinalis Carpensis, qui de studijs meis non pessime existimat, cupit elegãtibus litteris expoliri. opima condicio, nec minus honorifica. itaque statim de te cogitaui; quem excultum liberali doctrina, moribus emendatis, comem, & facilem in conuictu cognoui. nec tamen audeo sperare. urbis enim Venetæ tranquillitatem nimis amas, & otio libenter frueris erudito. sed si a te non impetro; odorare saltem, & indaga, si quem eo loco dignum alicunde licet eruere. inibit a Cardinali gratia non uulgaris: de quo tibi hoc affirmo, patronum esse bonarum artium his perditis temporibus prope singularem: qui si, ut augurantur plurimi, ad illa summa peruenerit; redibunt, mihi crede, aurea tempora, & debita litteris præmia persoluentur. Vale.

Francisco

FRANCISCO MORANDO, Veronam.

ITA ualeam, itaq. tecum uiuam, quod utrique pariter exopto, ut cydonite tua nihil adhuc gustaui suauius, uersibus autem, quos una missisti, nihil unquam legi purius, nihil ornatius. quare gratiam habeo tibi quidem, ut debeo, maximam, aliquam tamen etiam imperito artifici superioris anni, cuius culpam, de qua tecum eram questus, lucro meo nō mediocri tua compensauit humanitas. quod si artifex idem est, quemadmodum uerba tua significant: non ab eius ingenio, sed ab amore in me tuo nouum genus artificij, noua fluxit industria. itaque magnam ad officia erga me tua quotidie fieri accessionem intelligo. ex quo uoluptatem equidem capio tantam, quantam eius, qui doctrina, ingenio, omni denique laude libero homine digna excellat, perspecta beneuolentia afferre maximam potest: ueruntamen, quia me prorsus omnis in summa remunerandi uoluntate facultas deficit, angor nō nunquam intimis sensibus, & iniucunde uiuo. sed neque futurum desperò, ut, quo in te sum animo, re ipsa aliquando perspicias: et, si parum optatis meis, ut fere consueuit, fortuna responderit, memoria sol tem, perpetuoq. erga te studio, non officijs modo erga me tuis, sed uirtutibus etiam eximijs debito, cumulate mihi satisfaciam. De tua ualetudine,

qua

quæ mihi perinde ac mea curæ est, a patre tuo, prudenti uiro, quæ cupiebam, fere cognoui: de studijs ex te ipso, id est ex litteris tuis, quarum elegantia mirifice delector, aliquid cupio scire. Orationem in funere habitam doctissimi, ac nobilissimi hominis, Ludouici Nogarolæ, cuius obitu non mediocriter dolui, audio laudari. sunt etiam, qui tuam existiment. quod libenter credo. sic enim faueo tuæ gloriæ, ut fratribus fortasse tuis, præterea quidem concedam nemini. Vale.

LAEVINO TORRENTIO, Leodium.

PVTO tibi molestum iam esse silentium meum: at mihi silentij caussa longe molestior. nam toto fere biennio neque corpori ualetudo, nec animo quies contigit. ita, qui absentes amicos litteris saltem colere consueui, iocundissimam mihi consuetudinem intermittere, et in officij cursu languere sum coactus. quod si secus existimas; nec tibi mea fidem facit affirmatio: testes habeo studij erga te mei non equidem ualde locupletes, sed eos tamen, quibus tu libenter credas, probos uiros, communes amicos: a quibus & quæsitum est aliquando, me mandante, de tuo statu; &, cum id, quod auebam maxime, cognouissem, esse te in oculis Leodiensi Episcopo optimo, eidemq. Principi eximio, auctum esse commodis, ornatum dignitate; factum est, quod igno-

ignorare te arbitror, ut leuationem malorum meorum in tuis bonis non mediocrem inuenerim. Atque equidem reuocare me ad institutum meum, & aliquid ad te scribere cogitabam, cum tuæ mihi litteræ oppressêrunt, quibus commendas mihi modestissimos, & summæ spei adolescentes, Ioannis Cauchi filios, doctissimi & ingeniosissimi hominis, ut equidem sentio, tuo primum testimonio, deinde scriptis illius; quæ qui legerit, nullius præterea testimonium requirat. quo libentius operam meam filijs eius & pollicitus sum, & detuli. qui cum ad me adeunt, te simul intueor, & impellor magis ad omnem humanitatem memoria tui: nec potest esse quidquam iucundius, quàm ut eorum studijs, commodisq. seruiam: &, si præstabo aliquid, ita lætabor, quasi beneficium acceperim in officio meo. Erat in ijsdem litteris tacita quædam admonitio promissorum meorum: quæ si non persoluo; mihi crede, tanti uiri uirtute, tanti Principis dignitate deterreor. nam, ut egregiũ aliquid conemur, consequi tamen neque per ingenij nostri tenuitatem, neque per fortunam licet. hanc excusationem probari a te cupio, nec omnino despero: sin urgere pergis, auctore te aggrediar, utcunque cadat. potest enim fieri, ut, quemadmodum multa, contra quàm speramus, item hoc fortasse, contra quàm timemus, eueniat. quòd si quid offenderimus; primũ, illud fore non dubito, tua nos ut subleuet auctoritas; deinde, te ipso culpæ socio feram leuius. hæc mihi

mihi cautio placet, utinam tibi; sed, si mihi in amore respondes, tibi quoque: de quo tuas litteras exspecto. Vale. Venetijs.

LAVRENTIO GAMBARAE, Patauium.

BASILII *Zanchi, poetæ summi, hominisq. non uulgariter eruditi, miserabilis, & indignissimus interitus hilaritatem mihi prorsus omnem eripuit. quem enim donare summis præmijs ob excellentem uirtutem, decorare honoribus ob singularem integritatem, atque innocentiam æquum fuit, eum tam ignominiosè uexatum, tam acerbe, tam crudeliter extinctum, quis non ferat iniquissime? equidem, ut audiui, etiam dolore tuo maximopere dolui. nam & uixistis una semper coniunctissime, alter alteri egregie carus: & fuit uterque uestrum ad poeticam facultatem natura propensus, ac mire factus, ingenio uero ita pares, ut, cum nemo tam bonus poeta sit, quin uobis primas in componendis uersibus partes tribuat, quam confessionem etiam ab inuitis exprimit poematum comparatio, uter tamen utri præstet, non dum satis iudicare quisquam possit. magnam igitur, planeq. fraternam inter uos tum ingeniorum similitudo, tum studiorum communio beneuolentiam excitarat: nec dubito, quin te, licet humanæ condicionis minime rudem, obitus eius ualde perturbarit,*

animumq. tuum ita deiecerit, ut extolli fortasse ad æquitatem neque celeriter, neque facile possit. quo grauius morte illius afficior: &, ut omnia mea peruestigem, nullam tamen inire doloris alleuationem queo. unica, opinor, illa consolatio superest, quam tibi quoque fore gratissimam scio, ut, si conuictu perpetuo priuamur, tamen inter nos ita crebro colloquamur, ut hanc mæroris acerbitatem, qua pariter affligimur, quotidianæ consuetudinis, mutuæq. beneuolentiæ suauitate leniamus. quod ut quammaturrime consequamur, tu pro tua, ego pro mea parte diligenter operam dabo. Vale. Venetijs.

NICOLAO NATHANAELO, Venetias.

PERCVLERAT *me grauiter acerbus ille nuntius de naui a piratis abducta, qua uehebatur in Cretam exquisita, multorumq. nummorum bibliotheca parentis tui: cum ex eo casu iacturæ plurimum tulisse res & fortunas uestras intelligerem. nunc me prorsus ab eo mœrore, quem mihi uestra calamitas attulerat, ad lætitiam incredibilem reuocarunt litteræ tuæ. scribis enim, erudiendi curam adolescentis nobilissimi, Aloysij Mocenici, tibi esse demandatam. in quo sane, pro ea qua te sum complexus beneuolentia, multis nominibus tibi gratulor: primum, quòd eum, qui facile possit illu-*

illustrare disciplinam tuam, excellentis ingenij adolescentem, mirifica, ut audio, uirtutis indole præditum, sapientiorem etiam, quàm ætas ferat, natus sis: deinde, quòd ab eius patre, Leonardo Mocenico, Equite clarissimo, quo nullum in hac urbe uel prudentiæ, uel liberalitatis, uel omnium denique uirtutum, quæ nobilem uirum deceant, exemplum habemus illustrius, fructum diligentiæ tuæ minime uulgarem potes exspectare: postremo, quòd in ea domo uiues, in qua omnia, uetere maiorum norma, ad honestum, & ad dignitatem referuntur, quò præstantes & usu magnarum rerum, & doctrina uiri quotidie confluunt, unde prudentiam, unde optime uiuendi rationem petes. Persequi omnia, quæ tibi diuina benignitas obtulit, difficile est: sed mihi crede, quẽ tua causſa uelle, tuisq. fauere commodis non ignoras, nihil isto munere ne fingi quidem a te potuit aut fortunis tuis utilius, aut studijs accommodatius. itaque, si me audies, omnia, quæ frustra sæpe expetuntur, bona in una Leonardi Mocenici beneuolentia constitues: cuius tibi comparandæ caue tempus amittas: confer huc omnem industriam, ut eius filium, tuæ diligentiæ commissum, in quo pater tali filio iure fixit omnes curas, ita instituas, atque excolas, ut eam laudem, ad quam natus præcipue uidetur, adiuuante illius ingenium studio tuo, breui consequatur. habet autem hoc uirtus, ut, a quibus illam accepimus, eos in omni uita diligere cogamur: & est optandum,

ut ab ijs maxime diligamur, qui non opibus modo ualeant, sed ad benignitatem etiam natura propen deant. quæ si ulla in ciuitate, profecto in hac nostra, si in ulla familia, in ea potissimum, & in eo uiro, cui tuam in re præclara operam addixisti, summa esse cognosces. Vide igitur, quid susceperis, cuius familiæ gloriæ seruias, quid fides, quid existimatio tua, quid honor etiam meus quodam modo postulet: qui tibi sæpe, nec tamen gratiæ caussa, sed adductus iudicio, testimonium impertiui probitatis, & scientiæ non modo græcæ, uerum etiam latinæ linguæ: quarum alterã magistro patre tuo, Ioanne Nathanaelo, sacrarum litterarum peritia, uitæq. innocentia cum antiqua illa Græcia, quam nunquam fama deseret, conferendo, alteram non nihil fortasse e sermonibus nostris, uerum e studio tuo, tuisq. uigilijs maxime cognouisti. Hæc si tibi omnia, ut spero, ante oculos pones; uinces te ipsum in diligentia; operamq. dabis, ut in familia nobilissima, cuius patrocinio nullum certius ad eas temporum procellas, quæ humanæ uitæ impendent, perfugium reperies, egregium uirtutis et industriæ tuæ monumentum relinquas. Vale.

*

FALSVS *hic etiã de Rainutij Farnesij Cardinalis obitu dissipatus rumor erat: quo sum grauissime commotus. nam in illo uiro, qui se iam iu-*

de

de a puero ad exemplum aui sui, Pauli III. Pontificis omnium sapientissimi, totum finxit, non adumbrata, ut in multis, sed expressa signa uirtutis elucent: & nunc, ut audio, suas omnes in Christianæ pietatis cultu cogitationes, curasq. defixit. quo mihi erat, bonisq. omnibus acerbior illa fama, quæ, multorum sermone, de immaturo, & inopinato illius interitu percrebuerat. angebar etiam fratris eius, eximij uiri, Alexandri Cardinalis nomine: cui multis iam annis eam uiam ingresso, quæ ducit ad uerum decus, artiumq. optimarum studia suis opibus ac ætate præter ceteros fouenti, tantum eripi præsidium, tantum auferri domesticæ laudis, magnopere dolendum uidebatur. Gratulor igitur, illo incolumi, liberalibus disciplinis; gratulor omnibus, qui uirtutem, & probitatem prima ducunt; præcipue uero tibi; quem & Alexandri Farnesii Cardinalis ualde studiosum, & erga tui similes, hoc est erga eos, quibus illa, unde manat honestum, sola placent, præclare animatum cognoui. refrixit iam, uel plane extinctus euanuit peruulgatus ille rumor; uiuit, & ualet, cui lacrymas tanquam mortuo dedimus; quem, si fieri posset, immortalem esse omnes cuperent. Te quoque bene firmum esse, et ex illo ualetudinis incommodo emersisse, repressa iam sanguine, qui tibi ex oculo dextro multus effluxerat, mirabiliter gaudeo. de quo mihi cum narraret familiaris tuus, prima statim auditione sum percussus: postea, cum idem reliqua persequere-

tur, animum recepi, & ab omni metu, curaq. re-
spiraui. huius morbi cauſſam non dubito quin medi-
ci, quos habes iſtic ſcientia inſtructiſſimos, uſu pe-
ritiſſimos, in ſtudia conferant. quod ſi ita eſt; re-
moue, obſecro te, libros omnes ab oculis tuis. nam,
donec eos uideris, certo ſcio, quod mihi ſæpe contigit ægrotanti, temperare tibi non poteris. Vale.

EIDEM, Patauium.

NARRO *tibi; iam non amo uerecundiam. cum enim mihi potius nihil eſſet, quàm tu filium meum (libet enim de mare ominari) ad ſacram baptiſmatis aquam ſuſciperes: tamen, dum obſequor pudori meo, nec te, talem uirum, maximarum rerum occupatione diſtentum, appellare audeo, commiſi imprudens, ut officij laudem præriperes. in quo ſane & peccaſſe me, & luere merito peccati pœnam confiteor. quid enim mihi nõ permiſit, quid iam elargita non eſt humanitas tua? quam a me alijs prædicatã ignorare ipſe fortaſſe tibi ſum uiſus. ualde tamen recreor ſignificatione amoris tui; & noſtram amicitiam, quam ſtudiorum ſimilitudo peperit, hoc etiam affinitatis quaſi uinculo adſtringi, uehementer lætor. nam & res ipſa eiuſmodi eſt, ut beneuolentiam utrinque augeat: & mihi, ad hominum opiniones, accidere ſpecioſius, aut honorificentius nihil poteſt. totus igitur in ære tuo ſum. ita de me meritus es, ita quotidie mereris. quòd ſi*

tibi

ubi pateret animus meus: profecto non locari pessime tuam gratiam intelligeres: quam si non possumus remunerando, (nec enim aut fortuna tua patitur, aut uoluntas exspectat) prædicando saltem illustrabimus. mihi certe ipsa memoria, perpetuoq. erga te studio satisfaciam. De reditu meo uerbum scilicet exspectas: iam discedo. itaque per aliquot dies litteræ cessabunt. Amanuensem tuum amo plurimum. uideor enim mihi manum agnouisse optimi, atque honestissimi adolescentis, Francisci Secundi: cui de tua consuetudine etiam atque etiam gratulor. nam inuidiæ locum amor non relinquit. Vale. Venetijs.

FRANCISCO SEVERO, ARGENTENSI, Ferrariam.

Et me laudas in epistola tua, nec mediocriter quidem: & meam amicitiam, quæ tua humanitas est, ualde uideris expetere. Ego autem, etsi me delectat, ut ait ille, laudari a laudato uiro, tamen ea, quæ mihi tribuis, cum esse uerissima cupiam, non agnosco. dilexi equidem adolescens ueterem eloquentiam: nec uoluntatem ætas, studium occupatio, sæpe etiam ualetudo minuit: sed, excellere in re omnium, ut ego sentio, præstantissima, cuius negotij sit, cuius ingenij, non modo experiens ipse intelligo, uerum etiam ex inani multorum in-

dustria coniicio. non enim, qui seuerior in me ipso sim, nec mihi amicior, quàm ueritati, alijs blandiri gratiæ caussa debeo. unum hoc in nobis fortasse iure laudes: si modo laude dignum est: equidem quasi aliquid sit, interdum mihi gratulor. quòd, cæquales olim fuerint ij, quos in oratione latina cupimus imitari, quibus ingenijs, qua doctrina, qua etiam exercitatione præditi, & quis ego sim, uel potius, qui hodie simus omnes, facile possum existimare. Quocirca, si uetera spectas, mutes licet sententiam de me tuam. floruit antiquitas eloquentiæ gloria: nos iacemus. sin hæc recentia tibi proponis: non omnino me, quantum in hoc studio profecerim, pænitebit: nec tamen tibi assentiar, ut me omnibus latine scribendi facultate confitear antecellere. possum aliquid, uel etiam multa in alijs desiderare, neminem in hoc genere laudis eximium ducere: (est enim hæc fortasse non ingeniorum culpa, sed temporum) non ideo tamen sequitur, ut insolenter arripiam, & induam ipse, quæ alijs tanquam spolia detraxerim. ut in musicis, artem ipsam exercere, non facillimum est: artificem autem peritum ab inscio distinguere, tacito aurium sensu plerique omnes solent. item ego, quam legendis assidue, ac perattente hominum eloquentissimorum libris conceptam in animo recte scribendi formam intueor, eam exprimere, & assequi scribendo nunc quidem nullo modo possum, ac uereor etiam, ut unquam possim. uerum enimuero, quod a sapientibus

uiris

uris proditum legimus, nunquam male ponitur industria præstantibus in rebus. laudatur enim uel fuere uoluntas. qua ego interdum spe incitor ad studia. et, si nihil aliud, tu me certe, Seuere optime, atque eruditissime, hoc ipso, quòd tantopere laudas, ad laudem uchementer impelleres. magni enim facere uideris Romani sermonis elegantiam: et, quod tibi leue non est, eximiarum artium scientia instructissimo, id a me nequaquam esse contemnendum intelligo. Accedit illud, quòd epistola tua ita loquitur ornate, ut a rhetore, non a medico, quẽ te esse profiteris, & quem præstas egregie, scripta uideatur. quod indicat ingenij tui præstantiam. cũ enim, ut audio, philosophiam sis uniuersam animo complexus; præcipue uero medicinam tractes, & ita tractes, ut cum paucissimis excellas: ualde sum miratus, unde istam latinæ orationis tam concinnam, tam uberem, tam illustrem facultatem sis consecutus. Quare, quo tu nomine subuereri uisus es, ne ego tuam ad me amandum ualde propensam uoluntatem parum libenter exciperem; cum eloquentiam tuam uerbis dissimules, re ipsa ostendas: eo ipso nomine sic incensus sum studio tui, ut ad meam instituendæ tecum amicitiæ cupiditatem accedere nihil possit. Quod autem negas esse quidquam ad amorem conciliandum amore ipso efficacius: ita tecum sentio, si uirtus cum amore coniungatur: sin eum, qui diligit, nihil, præter nudam uoluntatem, commendet, non probitas morum, non do-

doctrina, non ars aliqua liberalior: ualde uideo... sed istuc quidem tua minime refert. quis enim ... uel non amantem amare nolit, quem esse tam am... bilem, litteris, humanitate, integritate, sentiat... sed uidelicet Socratice mecum agis: ironia te dele... ctat: cum in eo ipso, quod tibi detrahis, tua te re... fellat oratio. Ego tuum erga me animum pari ani... mo complector, & fouebo officijs, quantum in m... erit: neque me patiar, cum reliqua apud te omn... superiora esse concedam, etiam humanitate uinci... Vale, & Ioanni Baptistæ Pignæ, homini in pri... mis erudito, & ingenioso, cuius de imitatione poe... tica egregios libros auide exspecto, salutem mei... uerbis. Venetijs.

MARIO CORRADO, Brundisium.

MVLTIS iam mensibus nihil ad te litterarum dedi: nec mihi tamen uenit in mentem subuereri, ne quam tibi nostra indignam amicitia suspicionem silentij mei diuturnitas attulerit. mihi quidem nihil scito esse iucundius epistolis tuis: quas cum lego, delector mirifice amore in me tuo, delector etiam ingenio, et scribendi elegantia, in qua tibi (non loquor εἰρωνευόμενος) pauciſſimos comparo, antepono neminem. atque equidem, si per utriusque fortunam liceret, nihil malim, quàm assidue tecum esse, totosq. dies in tuo sermone consumere. quod tamen

men quin aliqua[illegible]lo sit futurum, cum in tuas litteras intueor, imaginem animi tui non nullam ostendentes, prorsus non despero. Ego satis diu feriatis a studijs suis, inuitus, sed quis necessitati non pareat? nam quæ me causſæ non modo libros, sed patriam quoque relinquere coegerint; aut habes fortasse iá cognitum, litteris edoctus familiarium tuorum, qui adire interdum ad me officij causſa solent; aut, si ignoras, quid ego tibi exponam, cui si quid a me accidat iniucundum, dupliciter angar, incommodo meo, molestia tua? Nunc id commentor, ut certam aliquando rationem ineam otij constituendi, et uiuam humaniter: quod te quoque uideo cogitare, &, si uolueris, assequere. Bouios fratres, tua prædicatione commotus, amo uehementer, et obseruo. qui si mihi, ut significas, aliquid tribuunt: est, quod gaudeam, placere me præstantibus uiris, quorum in iudicio, & beneuolentia ornamenti, & commodi mihi statuo plurimum. tu uelim, quod ad amorem, studiumq. attinet, de me illis omnia promittas: ego, quæ promiseris, præstabo. fructum etiam fortasse aliquem degustabunt studiorum nostrorum liceat modo esse otiosis; id quod agimus, & futurum speramus. Vale.

PETRO CELSO, Vicetiam.

VNA, eademq. manus uulnus, opemq. tulit. plane enim mihi uideor, quod de Achillis hasta in Telephi

Telephi uulnere traditum est a poetis, idem ad tuas epistolas posse conuertere. affeceras me grauiter; nunc idem recreas, et abstergis omnem molestiam iucundissimis litteris, in quibus elucet humanitas tua, quam obscurauerat paullulum animi tui subita commotio, indigna certe meis in te neque paucis, neque uulgaribus officijs, quorum testes apud me custodiuntur litteræ tuæ. itaque redijsse te ad eam comitatem, quæ cum tua natura, et cum ijs studijs, in quibus totos dies eximia cum laude uersaris, magnopere congruit, ita lætor, ut nihil unquam senserim hac uoluptate iucundius. quòd si tibi meum ingenium aliquot mensium consuetudine satis exploratum non est; non dubito, quin absens intelligas, & eo cernas illustrius, quo longiora nos terrarum interualla disiungent. non enim in te fortunam diligo, quam soleo contemnere, sed quia fortunam tuam uirtute superas: contra quàm multi; quorum oculos auri, argentiq. splendor ita præstringit, ut pulchritudinem uirtutis intueri nullo pacto possint. quo equidem sensu, ac iudicio meo delector multo magis, quàm Ciceroniana illa eloquentia, quam tu mihi, ioco fortasse, obiecisti: cum tamen, tibi quoque eam minime displicere, tuorum scriptorum elegantia significet. De discessu tuo, quanquam ad tuâ uoluntatem accommodare consilia mea minime liceat, cupio tamen mihi tempus definiri. Vale.

Ioanni

IOANNI SAMBVCO, Patauium.

NON *mediocre amoris argumentum, quòd de filio lo gratularis, & sperare te significas, ut patri etiam orationis latinæ facultate antecellat. quid? ergo ille tibi magnum uidebitur præstare, si opinione, & fama nos anteierit eloquentiæ? ego illi, qua primum hora editum in lucem uidi, bonam mentē precatus a Deo sum. hoc nobis debet esse antiquissimum; & hoc ei si contigerit, reliqua iure contemnet, aut, si uoluerit, facile consequetur. mea uero studia si imitabitur, quæ certe, quod fateri sine arrogantia possum, ad honestum referuntur: aditus ad laudem difficiles non habebit; quò mihi studiose contendenti fortuna semper nescio quo meo fato uiam intercluſit. ueruntamen, mi Sambuce, cum tua, tuiq. similium fruar beneuolentia, quid desiderem? quid potest esse amicitia iucundius? quid etiam fructuosius? cum et amant inter se boni uiri; et est inter eos quasi certamen amoris, & officij. equidem, de te quid sentiam, si ad te ipsum scribam, certo scio, qui tuus pudor est, legeres inuitus. testem tibi do iudicij mei grauem adolescentem, (& adde, si quid uis: nihil enim tribues immerenti) Andreā Duditium: quem cognoui tuis laudibus, me narrante, etiam atque etiam lætari. quòd si tenerem artem eloquentiæ, sicuti tu in epistola tua, amore potius*

tius in me, quàm iudicio, effusus, existimes: sine coloribus egregijs imaginem tuarum uirtutum exprimerem: uoluntatem uero illam, & præclaros conatus ad augendas fortunas nostras, de quibus postridie, quàm a uobis discessi, quiddam in sermone Duditius significauit, mehercule sic ornarem, ut nihil esse posset illustrius. de quo quia tam amanter cogitasti, gratias agerem; &, ut perpetuo cogitares, atque ageres, cohortarer; si hoc humanitas tua, illud amicitia nostra pateretur. ut ut autem res ceciderit; (a te enim principia sunt; exitum præstare non potes) partes meæ non requirentur. prosequar enim uel beneficium laude, uel animum certe tuum memoria sempiterna. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

Ego uero, accepto nuntio de obitu filioli mei, ita sum perturbatus, ut me tamen hominem esse meminerim, & illum in hanc uitam, tanquam in hospitium, ita esse ingressum, ut accitu summi Dei, æternum illud cæleste domicilium petiturus, aliquando discederet. quòd si me casus iste nec opinatus ita perculisset, ut omnino iacerem: excitarer tamen prudentia litterarum tuarum, in quibus de luctu minuendo disputas egregie, tuamq. declaras tum homine Christiano dignam bonitatem, tum erga me beneuolentiam singularem. uerum ego, optime Sambuce, multis iam infortunijs hoc sum assecutus,

cutus, ut fortunam ipsam didicerim contemnere: quæ mihi, ut eripiat reliqua, nunquam adimet ea, quæ nec ipsa dedit, nec dare cuiquam potest, rectam mentem, optima studia, pietatem in Deum. Præclare actum opinor cum filio meo. fruitur conspectu, & consuetudine cælestium animorum: non angitur curis: non spe ducitur: nihil timet aduersum. at nos, qui dicimur uiuere, quibus hac falsæ lucis usura nihil est carius, quàm multa exercent? quid laboramus, quid cupimus, quod etiam si contingat, animus acquiescat? itaque uere sapientes homines, non ut diu, sed ut recte, & cum uirtute uiuerent, optare soliti sunt. quod equidem conor, & ut spero, consequar. nihil enim magis cogito, nihil specto, quàm ut seruiam studijs meis, & ita uiuam, ut uitæ rationem Deo simul & hominibus aliquando possim reddere. Quare cum me uocas ad scribendum, confirmantur consilia mea iudicio tuo. ac tu quidem in hoc officio cohortandi facis idem, quod multi: quibus facile possem satisfacere, si per domestica negotia liceret. sed, obsecro, nolite ex otio uestro meum spectare. uobis enim certa, & expedita sunt omnia: mihi unicum est uectigal industria mea: qua liberos alere, tueri familiam cogor. &, si negligam, deseretur humanitas: sin, ut debeo, diligenter curem, iacere studia necesse est, quæ solutum curis omnibus animum postulant. At inquies: ipsa tibi studia fructum ferent. Cane alijs cantilenam istam, mores, ac tempora ignorantibus:

bus: mihi non persuadebis experto. uetus. Principum uirorum benignitas exaruit. inania pleraque sequuntur, nihil solidum amant, nihil magnificum, nihil illustre. Vides alios, quasi perdendis tantum frugibus nati sint, immanibus epularum sumptibus opes exhaurire: alios, quasi etiam homines ipsos, non modo fruges, perdere pulchrum sit, thesauros effundere, collectos acerbissime, in ea bella, quae uastitatem agris, urbibus incendia, humano generi, aliena stultitia miserrimo, cladem, & exitium importent. Musæ interim ubique locorum algent, neglectæ ab ijs, qui fouere eas ut maxime poterant, ita maxime debebant. Etiam illud indignum, quòd existunt, qui specie liberalitatis gloriolam aucupentur: & eam uirtutem, a qua longissime absunt, quam oderunt cane peius, & angue, quasi familiarem suam sic in ore habeant, ut amare uideantur. exemplum recens in manibus est, hominis, ut a multis accepi, nobilissimi: qui mihi & obsignata charta, quid ultro promiserit, & postea, cultus a me diligenter omni genere officij, qualem exitu se præbuerit, non ignoras. Hoc fere morbo laborant multi, eoq. grauius, quo minus eorum dignitas, & amplitudo fert. unum, aut alterum, sed unum in primis animo excellere, & personam Principis egregie sustinere audio, summi filium Imperatoris, ipsum orbis terræ imperio dignissimum, Maximilianum Regem: quem de ornandis liberalibus disciplinis cogitare, cum eas optime cal-

leat,

, minime miror. itaque factum a me non insipienter puto, qui de mittendo ad eum libro nostro, te quidem approbante, nec mediocriter adhortante, consilium ceperim. quod ille si cognouerit; & si me apud eum testimonio tuarum litterarum in aliqua gratia posueris; magnopere lætabor: idq. si a te impetro; & debere me tua causſa plurimum arbitrabor; &, ubi res exigat, ſtudioſiſſime præſtabo. Vale. Venetijs.

GASPARI CONTARENO, CARDINALI, Romam.

CVM neque haberem, quod tua magnopere intereſſet a me ſcribi; et te ſcirem ſummis occupationibus aſſidue eſſe diſtrictum: tamen faciendum mihi putaui, ut aliquid omnino ad te litterarum darem. ad meum enim officium ualde pertinet, te, de nobis optime meritum, intelligere, et quo te ſtudio colam, & qua tuorum in me meritorum memoriam religione conſeruem. quod, ut ſpero, conſequar litterarum bono. nam, ut remunerare unquam poſſim, ſperare uix audeo: ita multa ſunt, quæ ad me iuuandum officia ſunt a te profecta. ut enim omittam, quàm honorifice de parente meo et loqui, & ſentire ſolitus ſis, cum ita dicas, tibi nullius olim iucundiorem conſuetudinem fuiſſe, nullius cariorem nunc eſſe memoriam: ut igitur hoc omit-

tam, quod in summi beneficij loco soleo pone
quanti illud apud me debet esse ponderis, quòd o-
lim me adolescentem uir clarissimus, nó tu quidem
sopitum, sed tardiorem fortasse, quam oportuit,
ad studium summæ laudis excitasti. cuius tempo-
recordatio mirifice me delectat. sic enim argu-
tor: te, cuius iudicium est acerrimum, nunquam
me ad uirtutem fuisse cohortaturum, si te fru-
id facere existimasses. tantum autem uirum, qu
tus ipse omnium consensu gentium & es, & habe-
ris, de nobis non pessime sperare, mihi periucun-
est cogitanti, apud alios, si qui audient, etiam ho-
norificum. Quare nunc quidem id, quod mihi pro
tua summa humanitate facillimum est, ago, ut,
quem pro tot ac tantis officijs animum debeo, eum
me præstare tibi persuadeam. quòd si per eam ui-
am, qua ad præstantißimarum artium cognitionem
iter est, tantum procedam, quantum profecto, nisi
me aliqua res impedierit, procedam: me illud e-
tiam aliquando efficiam, ut, te de nobis esse bene
meritum, magnopere læteris. Te interim ro-
gem, ut, quemadmodum instituisti, me diligas, fa-
ciam imprudenter. neque enim dubitandum est,
quin tu uelis in eadem erga me uoluntate, cum hu-
manitatis, tum constantiæ caussa, permanere. ma-
gis illud mihi est elaborandum, ut omnes res, quæ
ad te colendum pertinent, studiose faciam. quā-
rum si ullam sciens prætermisero, nefarie me pec-
casse confitebor. Vale. Venetijs.

Benedicto

BENEDICTO ACCOLTO, CARDINALI, Ferrariam.

CVM primum Venetias reuerti, & si eram & fessus aliquantum de uia, & eo morbo, qui me Ferrariæ satis grauiter afflixit, non dum plane leuatus: tamen magnitudo meæ in te obseruantiæ, tuæq. in me beneuolentiæ recordatio me adduxere, ut ad te scriberem. quo genere officij quàm mihi sæpe apud te sit utendum, intelligo. nam cum eo ipso die, quo mihi aditus ad amicitiam tuam patuit, de meis commodis & ornamentis non cogitare solum, sed agere etiam cœperis: omnino, si uelim, id, quod maxime uelle debeo, quibus me studijs a pueritia dedidi, ijs haberi non indignus, diligenter ineunda mihi ratio est, ut istam tuam ad me augendum tam propensam uoluntatem plurimi apud me & esse, & semper fore significem. id hoc tempore, nisi litteris mittendis, qua re alia consequar, non uideo. facultatem maiorem si unquam nactus ero, arctissime complectar, neque dimittam prius, quàm id tibi saltē aliqua ex parte persoluam, quod interea a me deberi non solum non dissimulo, sed etiam apud omnes libentissime prædico. Quid enim mihi esse potest, non dicam honestius, sed glorioſius, quàm te, uirum omni genere uirtutis excellentem, summa dignitate præditum, acer

rimi in cognoscendis hominibus iudicij, nullum officij genus, aut studij, quod quidem ad meam siue utilitatem, siue laudem pertineat, praetermitterem: mehercule nulla res fuit, quae nos ad probitatis, & doctrinae opinionem cõmendare magis posset. itaque, quod antea faciebam domestico tantum exemplo commotus, ut per eam uiam, quam mihi pater meus tritam reliquisset, expedito cursu ad summã laudem, gloriamq. contenderem; id multo acrius facio nunc, iudicio de me incitatus tuo. cui uerecor equidem ut respondere possim: & est sane difficillimum: sed tamen, quoniam ita tempus omne meum traduco, ut, quantum ualetudinis ratio patitur, in litteris uerser, et, quasi diuturnam sitim explere cupiens, ijsdem e fontibus, unde illa fluxerunt, quae sunt laudum tuarum maxima, diligenter hauriam: non despero fore, ut & homines officia tua bene posita existiment, & tu, qui tibi a me fructus debeantur, eos non contemnendos aliquando percipias. cuius rei maturitas dum ueniat, est interea meum officij, tui memoriam summa cum beneuolentia sanctissime, ac religiosissime colere: tuae uero humanitatis, eam uoluntatem, quam ad me iuuandum tua sponte contulisti, perpetuo retinere. quorum alterum ego quàm potero diligentissime faciam: alterum tu ut facias, propter incredibilem naturae tuae benignitatem, ne admonendus quidem es. Vale. Venetijs.

Eidem,

EIDEM, Ferrariam.

SVMMO *ſtudio maturabam Ciceronis editionem. omnino id erat cauſſæ, cur ego rarius, quam debeo, ad te ſcriberem. ſed mehercule nec res erat, de qua poſſem ſcribere. de publicis enim non licebat: de priuatis autem quid eſt, quod delectare te poſſit? grauibus morbis, annona, et bello, uniuerſa fere ciuitas affecta contabeſcit. in his malis pacem omnes, tanquam unicum remedium, expetebant: quæ ſi daretur, amiſſas uires recuperare difficile non erat. Arbitrabar, cum Ciceronis epiſtolas emiſiſſem, fore, ut Ferrariam poſſem excurrere. id ego, primum, honoris cauſſa ut te uiſerem, optabam; deinde, ut tuis doctiſſimis ſermonibus fruerer, quantum per humanitatem tuam liceret, per quam certe licuiſſet plurimum. noui enim, quæ tua ſit cum facilitas, tum in me beneuolentia. ſed noſtræ uoluntates, ut nauigandi curſus, quandoque commutentur, neceſſe eſt, niſi fortunarum noſtrarum fieri naufragium uelimus. itaque, ut exirem, meas res cum uidi non ferre, mutaui rationem; &, quanquam eram occupatus, tamen feci, ut hanc epiſtolam mitterem, quæ te, meam uicem, quaſi ſalutaret. ea ne hoc officium loco non præſtaret, ad Octauium noſtrum, ijs litteris, quas ad ipſum dedi, alligatam miſi, qui tibi redderet, cum uacuus eſſes. quod ille, qui et commodiſſimus,*

& prudentissimus est, non uereor quin effecerit. De meis rebus si quid audire uis: ut in aduersis, pessime non habent: haberent optime, si pietas esset in ijs, in quibus maxima, si quid merita ualent, esse debebat. Vale. Venetijs.

EIDEM, Ferrariam.

SVMMA *tua facit humanitas, ut, etsi me argumentum deficiat, litteras tamen ad te mittere ne dubitem. non enim uereor, eæ ne tibi molestæ sint. quin ita te interpretaturum confido, ut hoc meum studium existimes esse non obscurum signum pietatis in te meæ. cui quidem pietati, quod uix fieri posse credebam, magna sane accessio facta est lectione tuarum litterarum. nam, cum antea pro tuis maximis et singularibus erga me studijs effecisses, ut plus, quàm tibi, deberem nemini: nunc prope modum es cõsecutus, ut ipsi tibi plus, quàm debeo, debere non possim. quanti enim illud, quo epistolam clausisti, apud me esse putas? te non dubitare, quin ego, omnesq́. mei, quanti amorem in te meum, atque doctrinam facias, aliquando simus intellecturi. ego uero iam intelligo; neque quisquam est meorum, qui aliter sentiat. sed de amore quod scribis, uere tu quidem facis. est enim is certe summa cum obseruantia singularis. de doctrina autem, neque prorsus assentior, ne me ipse, qua in re minime debeo, nimium uidear amare: neque ual*

de

de repugno, ne, quod est in me honorificum, stulte reijciam. ut ut tamen est; siue tu amoris, et humanitatis abundantia, quod interdum adducor ut credam; siue iudicio, quod mihi persuaderi libenter patior; siue utraque re permotus, tantum mihi tribuisti, quantum ego postulare sine rubore non ausim: maximas tibi gratias habeam, necesse est; quòd ad eius ipsius, quam in me esse dicis, doctrinæ studium, quò antea naturæ inclinatione propendebam, uehementer me impulisti. ita enim usu fere uenire solet, ut, quæ laudes a tui similibus, id est ab ijs, qui ipsi in laude uiuunt, proficiscuntur, eæ nos, uel si simus hebetiores, in primis acuant, & quasi necessitatem quandam imponant, ut, quales esse dicimur, tales aliquando studeamus esse. quod ego, quantum possum, do operam ut consequar. a quo studio cur me ulla res debeat abducere, non uideo; cum tu, istis opibus, ista amplitudine uir, litterato otio nihil anteponas. temporibus enim turbulentissimis, dum plerique fere ambitionum fluctibus iactati, optare magis, quàm sperare, trâquillitatem animi possunt; securus in portu te oblectas; uiuis q. iucundissime in tuis perennibus optimarum artium studijs: in quibus totos dies ita ponis, quasi tibi eæ res, quibus abundas, & quarum spe tu alios excitare ad laudem potes, præmio sint futuræ. Quod cum ita sit; & cum ego hoc animo sim, ut antiquius tuo commodo nihil habeam: noli credere, me, cum ad te scribo, tuarum litterarum ex-

spectatione id facere: quæ etsi me incredibiliter delectant, textæ uerbis elegantissimis, plenissimaq. amoris, & suauitatis: tamen ego te mea causa a grauissimis studijs ad nugas auocari nolo. satis me habere abs te putabo, si & meas tibi esse redditas, et tibi, ut cupimus, esse intellexero. utrumque Octauius noster, quòd & tui studiosissimus est, & nostri amantissimus, cum libenter, tum diligenter efficiet. Vale. Venetijs.

IACOBO GRIFOLO, Romam.

QVOD tu, homo occupatus, prior ad me litteras misisti; hoc sane es assecutus, ut officijs plurapud te residere confitear; illud assequi nequaquam potuisti, ut amoris plus, quàm in me est, in te esse concedam. atque ego ne in officio quidem passus essem ut anteuerteres, nisi me scribere cupientem noua occupatio mea, quæ tamen summa est, sed curæ tuorum mandatorum impediisset. Scis, ante quàm discederes, qua de re sermonem inter nos habuimus; cum tu, ut eam susciperem, a me petens, ostendisti quantum & fidei, & diligentiæ tribueres meæ. in quo ego, opinionem tuam ne fallerem, operam dabam. itaque, te profecto, cum intelligerem quantum damni feciissem, adempta mihi tuæ consuetudinis usura; cumq. id omnino litteris mitteredis resarcire uellem; tamen diem e die exspectans,

ut

ut aliquid ad te de tuo negotio, cuiusmodi tu uelles, possem scribere, in maximo desiderio me sustinebam. nunc, quoniam eius rei ne uestigium quidem apparet in epistola tua; siue quòd, a quo tempore discessisti, ut illud consilium abijceres, rationes tuæ tulerunt; siue quòd, eodem animo cum esses, committere tamen litteris nihil uoluisti, quod elatum nocere tibi posset: puto me non incommode esse facturum, si, quam tu rem in tuis litteris intactam omisisti, ego item in meis silentio prætermittam. Quòd scire uis, rerum mearum status hoc tempore qui sit: ne te multis morer, is est, quem reliquisti, paullo etiam melior, quàm reliquisti. nam & domestica quædam sanauimus: et eum, de cuius acerbitate queri solebam, ita facilitate quadam nostra, atque obsequio mitigauimus, ut pæne dulcis esse uideatur. De Ciceronis editione, hoc de me spondeas, atque etiam in te recipias licet, ut diligentia confirmes me non esse usurum multo minore, quàm qui in hoc genere laudantur. adhuc confido fore ut præstem, & præstabo certe, nihil ultra. mihi enim tantum non arrogo, neque arrogare debeo, ut, quemadmodum scribis, eas sordes, quibus ueterum scripta sunt fœdata, putem omnes eluere me posse. magni id esset ingenij, magni iudicij: quibus ego rebus, & indigeo, &, si abundem, sine libris tamen antiquis nihil audeam. qui mihi sunt omnino multi, sed neque quot uellem, neque cuiusmodi. coniecturæ autem, intellexi, & didici, quàm sæpe sint falla-

fallaces. neque bonos libros ulla magis labes inquinauit. quibus nunc in ueterem splendorē, atque integritatem restituendis, plurimum mihi est negotij, & erit, ut puto, post me multis: ut inde laudis materies deesse nunquam possit. Te rogo, si, aliquiorem librum sicubi istic esse resciueris, si pretio ipse, aut pretio non potes, aliorum auferas gratia. Litteras autem, quàm ualde me amas, tam sæpe mittes. nam & otij puto te habere, quantum uelis; & argumentum Romæ uiuenti deesse non potest. mihi utrunque minus est. magnis enim distractus occupationibus, temporis ad scribendum non habeo satis: argumentum autem unde sumam, cum omnium, qui hic sumus, ea ratio sit, ut, rerum nouarum si quid alicunde ad nos affluxit, de eo nec scribere, nec loqui sine graui periculo possimus? Relinquitur, ut priuatis de rebus possim scribere. sed hoc quoque genus uereor ne me deficiat. raro enim solet accidere, quod scriptione dignum sit. Quapropter, quoties ita eueniet, ut a negotijs liceat discedere; properabo statim ad epistolas. quòd eo libentius faciam, si tu mihi sententiam scribendi aliquam dabis: sin minus, inanes tamen potius, quàm nullas, mittam. Vale. Venetijs.

HANNIBALI CRVCEIO, Mediolanum.

AMORIS in Octauianum Ferrarium mei causſæ sunt ueteres sane multæ, eæq. non leues, sed re

recens hæc est grauissima, quòd eius opera uideo fa
ctum esse, ut tu me amares. quod ego, non possum
satis explicare, quanti faciam. certe optatius ni-
hil, ac ne utilius quidem potuit accidere. nam me
molestæ quædam cogitationes exercebant. eæ fece
rant, ut subtristis essem. hoc malum Ferrarij lit-
teræ sanarunt. eas enim legens, cum uenissem ad
eum locum, ubi ille, quàm tu me diligas, quamque
diligi a me cupias, diligenter & officiose narrat;
sensi mihi quiddam instillari, quo plane sum exhi-
laratus. adeo tui similium amicitijs augeri gratum
est. in qua commoditate incommodum tamen illud
inest, quòd mihi ualde sentio esse laborandum, ut
beneuolentia, & opinione de me tua non indignum
me præstem. quod utinam possim efficere: conabor
certe: ac ne despero quidem fore, ut efficiam: mo-
do, quod tu iudicium de me habes, id eiusmodi ne
sit, ut ego ei respondere nullo pacto possim. nam
mihi interdum uenit in mentem uereri, ne tu me,
Ferrarij prædicatione commotus, eum existimes
esse, qui non sum. mendax, mi Crucei, amor est;
nosque sæpissime ita solet afficere, ut in sermone,
prout amicorum e re est, & affingere falsa, & de-
trahere uera, religio non sit. quare Ferrarium, cũ
de me loquitur, non est quod audias. amore uictus,
cui repugnare iudicio non uult, ea dicit, quæ fortas
se non sentit. At idem de tua uirtute multa in su-
is litteris. habes igitur, dices, ei fidem, cui haberi
a me non uis? habeo, & quidem maximam. mit-

tit

tit enim ingenij tui monumenta, quæ mihi de tu
laudibus, ut ille scribit, ita esse probant. Memo
rem igitur interea me uelim existimes humanitat
tuæ. gratum cognosces, cum facultas erit. ac u
deo me tua causſa non eas res præstare posse, qua
uellem; sed quas possum, ita uolo, ut omnes, sin
ulla exceptione, libenter ad te deferam. licet ijs a
bitratu utaris, atque etiam abutaris tuo.
Vale. Venetijs.

ANTONIO MERLO, Vicetiam.

EGO quoque quiddam inaudieram superio-
ribus diebus, sed contempsi. nunc me mouet quod
audies. Artibus effectum est nescio quorum, (de
Petro nostro certe uix opinor: uix, autem? pror-
sus non opinor) ut hic rumor serpat longius, pri-
mum hæc uulgo iactata: ferebam: post etiam ad
Cardinalis aures peruenerunt: quod mihi accidit
molestissimum: nec dubito, quin is iam non idem
sit. quòd si ille eadem cum Episcopo, cuius ingenii
præclare noui, communicauerit: actum est. Me
quidem & illa angit cura, quòd uereor ne fama di
fluat, & Perusina condicio, satis opima, satis hon
rifica, fortasse in dubium uocetur. Cornelius rem
curat diligenter, ut uideo, fide certe, & amore sin
gulari. In hac sum sententia: si spes non dubia, u
urgeamus: sin, desistamus ab incepto: ne cupidita
tem

tem nostram sine fructu, forte etiam cum aliqua mercede, prodamus. Mitto ad te Gratij poema de uenatione, paullo durius, nec omnino cum Petri Bargæi carmine conferendum, qui hoc argumentum sex libris non minus eleganter, quàm copiosè persecutus est. Vale. Venetijs.

MICHAELI SOPHIANO, Patauium.

Si nostræ necessitudinis initia repetas; nemo, opinor, istic est, qui mihi uetustate præstet. sin apud te uetustas pondus non habet; ipsam per se beneuolentiam pendis: ne sic quidem iure mihi quenquam antepones. Ego te primum, cum abesses, memoria colui diligentissime, tuumq. nomen crebris usurpatum sermonibus ornaui laudibus, quantum in me fuit: deinde, cum de auunculo tuo, uiro optimo, tuique amantissimo, miserrimam in seruitutem a barbaris gentibus abrepto cognouissem, ingemui sæpe tua caussa, quem orbatum domestico præsidio, maximas in difficultates immerentem fortuna conijceret. postremo, cum Patauium te aliquando retulisses, ualetudine ita perdita, ut humana uix ope restitui posse uideretur; quàm id moleste, quàm acerbe tulerim, testes sunt communes amici, quibus & periculum tuum, & eodem tempore dolorem meum dolori fuisse certo scio. Veni Patauium aliquanto post: uidi te quem optabam potius quàm spera-

sperabam, habitu corporis non illo quidem optimo eo tamen, qui uitæ spem minime dubiam afferret. deinde quotidie meliora, accedente ad remedia me dicorum temperantia tua: quam ita laudant omnes, ut in studijs tamen paullulum eam desiderem. quo de genere præcipere quidquam difficile est, præsertim mihi; qui cum ab eadem culpa longe non absim, tum etiam, nisi priores tibi partes in prudentia concedam, ignorare scilicet uidear utrumque nostrum. ueruntamen, cum te penitus philosophiæ dedideris, ut eius præsidio fortunæ tela depellere, debes eam sequi ducem in actionibus tuis. quod si feceris; extrema uitabis, & omnem in medio locum constitues. At mediocritatem mens in suo munere non amat: progreditur enim meditando, & quo longius, eo iucundius. Vere: sed immoderatis rebus natura frangitur: & quanquam corpori mens dignitate præstat, utriusque tamen incolumitas ab utriusque pendet officio. ut herus imperat seruis, nec tamen eos negligit, sed consulit, quatenus liceat, commodis eorum: idq. facit etiam sua caussa: tam diu enim heruus est, quam diu habet quibus imperet. sic mens rationem corporis habeat eam quam, oportet. nam si negligat eam sedem, in qua summus opifex illam constituit; primum facietur iuste; deinde, corporis compagine, qua ipsa inclinditur, breui dissoluta, usum tractandæ quærendæque uirtutis amittet. quod cum accurate uitandum omnibus est, tum ijs maxime, quorum & infirma ualetudo

ualetudo requietem quærit, & ita uiget industria, ut mediocri etiam labore non mediocrem ipsis gloriam, ceteris utilitatem afferre possit. Cui porro ignota est uel ingenij tui, uel memoriæ præstantia? quibus, non modo ut emineres in græca lingua, id quod omnes fatentur, sed ut, quacunque re proposita, peritissime disputes, facile consecutus es. itaque iure expetitur a nobilissimis uiris amicitia, & consuetudo tua: iure te diligunt ac laudant quicunque in Patauino gymnasio doctrinis liberalibus excellunt. quorum tu uirtute frueris, & illi uicissim tua, si ualebis: &, ut ualeas, in te ipso magna ex parte situm iudicamus. obsequere igitur in tua salute multorum studijs: parce ualetudini satis imbecillæ: &, quod libenter facis, da operam simul ut diutissime facias. ita gloriam tuam, lætitiam nostram, dignitatem etiam litterarum augebis; quibus ornamenti plurimum e tuis aliquando scriptis, si ualueris, accedet. Vale. Venetijs.

IO. BAPTISTAE PIGNAE, Ferrariam.

ALFONSO Duce creato, gratulatus Ferrariæ sum: quæ tum ex noui Principis exima uirtute fructus capiet egregios; tum ipsa quoque ad omnē uirtutem, eius, a quo regitur, exemplum secuta, diligentius incumbet. mores enim ciuitatis ex Principis moribus effinguntur, et, ut ait Plato: QVAE

apud

apud eos, qui dominantur, studia uigent, eadem reliqui ciues amplectuntur, & colunt. Ergo floreant in uestra ciuitate liberales disciplinæ, ne debita iam pridem ingenuis artibus præmia persoluentur. quod equidem tua potissimum caussa, doctissime Pigna, magnopere gaudeo. nec enim dubitat quisquam, aut dubitari omnino potest, quin, quantum ingenio, eruditione, iudicio, quantum etiam consilio uales, tantundem apud sapientissimum, optimumque Principem & auctoritate ualeas, & gratia. quòd, si quam adhuc in cognoscenda, eandem posthac in ornanda uirtute industriam locabis, quis te uno felicior, quis omni laude præstantior? quod ut facias, ne monendus quidem es. nec enim te dissimilem esse tui uel natura tua, uel consuetudo, uel studia patiuntur. hoc igitur tecum agendum non est. illa me potius, ut uere dicam, & simul omnes, qui te diligunt, cura solicitat, ne tenebris eripiant prorsus aulica negotia, sic, ut, iis disciplinis, quarum usus æternum decus parit, salute data, iacere patiaris ea, quæ multis ante mensibus instituta si quando perficies, maiorem in modum et posteris, & gloriæ tuæ seruies. quàm multos enim egisse mecum diligenter existimas, ut hortarer te ad absoluendam poeticæ imitationis artem, aut, si absolutam habes, continuo diuulgandam? quibus ut aliquando satisfacias, etsi languere te in tua laude uix opinor, tamen peto abs te, quantum humanitas tua permittit. nec tamen, etiam si tua res nihil age-

ageretur, amicitiam nostram, quam ego sanctissime semper colui, nihil a te impetraturam considerem. equidem nihil ei denegarem: idq. te, quod tamen secundis rebus, ac sine molestia tua fiat, cupio experiri. Ego me ad litteras, a quibus inuitus discesseram, reuocare cœpi, adeptus usum oculorum, quem antea desperabam, diuina primum ope, in qua statuere omnia consueui, deinde Gabrielis Falloppij scientia singulari: cui uiro, quanti hanc lucis usuram, id est quanti uitam facio, quanti etiam præclara litterarum studia mihi sunt, quibus uix ipsa uita pluris est, uni plane totum acceptum refero. siquidem eius doctrina, humanitas, exquisita cura pristinam mihi ualetudinem, omnino profligatam, ac perditam, conspectum liberorum meorum, amicorum colloquia, librorum suauitatem restituit: ut, si quem optimis artibus industria nostra fructum feret, ei gratiæ debeantur, cuius ope, ac studio factum est, ut intermissam diuturno, ac perdifficili morbo posteritatis adiuuandæ consuetudinem aliquando repeterem. Tu mihi de tuo statu, maximeque de Alfonsi Ducis conatibus egregijs ad honestandam uirtutem, de quibus fama iam percrebuit, si quid significaueris; argumentum erit amoris in me tui, quo lætari uehementer soleo. Vale. Venetijs.

PAVLI MANVTII

IOANNI SAMBVCO, Patauium.

QVOD *fratrem tuum Georgium, florenti adhuc ætate extinctum, immoderate luges; ignosco mærori tuo, nec tamen laudem tribuo. dolere enim fratris interitu, & eius fratris, quo nemo amabilior, nemo fuerit uirtute præstantior, hominis est: modum autem dolori nullum constituere, nunquam lacrymis abstinere, nunquam ex animo mœstitiam pellere, Sambuci non est. Perijt frater: iure commoueris: ægre enim diuellimur a natura cõiuncti: quod ego quoque sum expertus. Perijt is, qui familiam uestram, qui patriam, qui prouinciã uniuersam ornare uehementer suis laudibus, & illustrare poterat. hoc quidem exspectandum ab eius uirtute fuit: sed magnam habet Fortuna uim: ea sæpe, nobis ad eximiam laudem contendentibus, transuersa incurrit; sæpe nostra studia debilitat, sæpe moratur industriam. quo de genere quid ego te doceam, doctissimum uirum, cui prope infinitam exemplorum uim uel græca monumenta, uel etiam latina suppeditant? florem igitur uirtutis amemus: erepto ante maturitatem fructu, quando hoc singulare non est, sed commune cum multis, modice feramus. Quid, si ne dolendum quidem est? omitto enim historias: ad philosophiam te uoco. Quid igitur illa præcipit? si quid casus afferat, leniter accipiendum:*

piendum: nec enim, ut aliter accidat, in nobis est: si quid culpa contractum, angi æquum esse: certe enim, qui ad præclare agendum nati simus, ideoq. mente, & ratione, præter ceteras animantes, instructi, tantis bonis abuti, & quasi a natura desciscere turpissimum est. An tu igitur, mori, quasi aliquid turpe, reprehendes? quòd si non turpe, nec dolendum. nisi si quis ita uixerit, ut nihil unquam homine dignum præstiterit. quod abest longissime a fratre tuo: qui probitate, ingenio, studijs artium optimarum, prudentia etiam adolescens ita excelluit, ut eum Pannonia pæne cuncta uiuentem unice dilexerit, mortuum laudibus, & memoria prosequatur. Quæ cum tibi ueniunt in mentem; iniquus profecto nimis in te ipsum es, nisi luctum minuis, & ex animo dolorem penitus euellis. Quin te decuit maxime, qui totos dies ponas in ijs libris, unde uitæ moderatio, unde animi tranquillitas petitur, ad propinquos, ad amicos in Pannoniam eius modi litteras mittere, in quibus illi sitam esse non minimam sui doloris medicinam intelligerent. nam uir eximius, Nicolaus Olahus, Archiepiscopus Strigoniensis, qui Georgium Bona, & quia sorore sua natus erat, & quòd in eo summa uirtus enituit, in oculis gestabat, non dubito quin tanti uulneris remedia sumat a se ipso: quem non modo ætas, & usus maximarum rerum erudierit, uerum etiam prudentia quædam naturalis, quæ plane uincit omnem artem, nunquam a constantia discedere patia-

tur. Nec tamen uereor, ut, qui mihi paucis ante mensibus in filioli mei obitu consolationem adhibueris, idem tibi in tuo casu mederi aliquando non facile possis. quod si facies; fructus apparebit studiorum tuorum; & Georgij fratrem agnoscemus; cuius ingenium, ac mirificam prudentiam oratio illa, luculenter in primis a te scripta, declarat. Vale. Venetijs.

ANDREAE DVDITIO, Patauium.

PERCVSSISTI *me de Mariano Lezentio: quid ais? optimus adolescens, maiorum nobilitate, sua uirtute clarus, omnibus animi, corporis, fortunæ bonis ornatus, ereptus repente nobis est? o miseram humanæ uitæ condicionem. quid ames, cum omnia fluere, ac labi, nihil intra orbem Lunæ firmum esse, nihil idem a mane ad uesperam, quotidie cernas? quæ te arbitrabar antea cognouisse in sermonibus Reginaldi Poli Cardinalis, & Aloysii Prioli, quibus probiores, aut sapientiores uiros non modo nostra, sed nec superior ætas tulit: nunc, quando te biduum scribis lacrymando consumpsisse, profecto tibi exciderunt illa præclara de contemptu mortis, quibus in illo diuino contubernio, in illo plane cælestium animorum cœtu aures tuæ sæpissime personabant. Quòd si, quid doleas, cogitabis, aut quid dolendo proficias: non dubito, quin*

istum

istum luctum abstergas, & Lezentio nostro etiam gratuleris, quòd, inspecto Hierosolymæ summi Dei monumento, quò illum, dissuadentibus amicis, pietas, & religio duxerat, statim ad eiusdem Dei conspectum, præditus optima mente, purus ab omni labe, in cælum euolarit. quod qui optant, sapientes, qui adipiscuntur, felices iure ducuntur. Hæc tibi a me pauca pro nostra necessitudine consolationis loco dicta si attendes, uim habere maximam senties, & eam dolori tuo medicinam, quam dies aliquando afferet, ratione repræsentabis. quod cum omnes deceat, tum uero ab excultis doctrina uiris, quem te ad numerum aggregamus, præcipue postulatur. Vale. Venetijs.

LAVRENTIO GAMBARAE, Ciliuerge.

CILIVERGE nunquam uideram, amabam tamen, amœnitate sua iucundissimum, domino honestissimum, Lanterio Appiano, præstanti uiro non humanitate minus, quam eloquentia: nunc & elegantiam uillæ, ut in tabula pictam, in tuis uersibus uidi; & mehercule non mediocri eius uisendæ, atque etiam tecum fruendæ studio sum incensus. quod si quando contigerit, digito cælum attingam. quid enim isto otio beatius? quæ species urbis, quæ dignitas cum ista rusticatione, cum ista surgentium uirgultorum siluula conferri possit? equi-

 dem,

dem, cum te mihi ante oculos pono, modo inter angustis distincta semitis fruteta declini colle spatiantem, modo arborum proceritatem, atque ordinem in uiridario mirantem, eadem pæne uoluptate absens tecum fruor. coniungit enim animos nostros mutua beneuolentia; nec est aut tibi quidquam sine me, aut mihi sine te iucundum. gratulor tamen tibi potius, quàm mihi; & istos Ciliuergenses dies ita multorum annorum instar esse puto, si modo nec otiosus in otio, nec in solitudine solus es. id autem qua ratione consequi possis, opinor me tacente intelligis. Patauij dum eras, habebas in manibus egregium illud poema de nouis insulis a Columbo inuentis: cuius ego cum exordium, multis præsentibus, legissem, admiratus grauitatem, & elegantiam carminis, exclamaui, Cedite Romani. in quo, adhuc, qui a me dissentiret, inueni neminem. quo magis te hortor, quanquam, ut spero, currentem, ut approperes, habeasque rationem non exspectationis modo nostræ, uerum etiam gloriæ tuæ, cuius habes a natura præclarum seminarium, quod etiam studio excolis, ingenium tuum. Vrge igitur, nec institutum dimitte: quodque adhuc humanissime feceris, in eo perge, ut nostrum tui absentis desiderium litteris aliquando lenias. Vale. Patauij.

Lazaro

LAZARO BONAMICO, Patauium.

EGO uero & audiui de tuo casu, & tuam uicem mirifice, neque minus publicam dolui: ueritus enim sum, ne tecum simul litteræ concidissent. nunc, quando te iam ambulare scribis, ita tamen, ut Scipione utaris; gaudeo, eoque magis, quòd in ista ætate morbi diuturnitatem pertimueram. sed quia non plane animum meum liberas a cura, cum pristinas uires nondum recuperaueris: rogo te, Bonamice, quanti optima studia facis, quæ tibi facienda sunt plurimi; quandoquidem abijs tuæ laudes emanarunt; tantam adhibe in te curando diligentiam. uides enim, neminem fere esse, qui, si quid tibi acciderit humanitus, rudem barbariem a latinæ linguæ finibus arcere possit. Plautum, quem a me petis, dabo operam ut cum his ad te litteris mittam: sed, ut eum in multiplici meorum librorum congerie statim reperiam, sperare uix audeo. Ego, ut scis, hanc satis grauem prouinciam suscepi. tenui condicione, inquies. fateor, sed ne tua quidem, si tuarum uirtutum merita spectentur, satis opima. quid agas? his temporibus anguste uirtus habitat. bene tamen de suis ciuibus mereri, præclarum est. Vale. Venetijs.

GVLIELMO PACCIO, Patauium.

SILENTII *mei, quo tecum diu satis usus sum, non exponam hic tibi causſam pluribus uerbis: ne, si id faciam, uidear & tibi ipsi, qui nihil adhuc ad me scripsisti, eandem quasi legem imponere. itaque hanc partem prætermittam; in qua si peccatum est, utriusque certe est. ego autem spero me posthac & beneuolentiam tibi meam, & diligentiam hoc genere officij probaturum: modo ne litteras elegantes, quales uidelicet Patauij, a summis ingenijs elaboratæ, tibi ostendantur, a me exspectes. ita scribam, non modo ut quod in mentem, sed plane quidquid in buccam uenerit, in epistolam conijciam. non enim is sum, qui unumquodque uerbum ad trutinam, ut dicitur, reuocare uel soleam, uel possim. aliorum ista superstitio sit, mea quidem non erit, præsertim in epistolis: quæ si, ut ait ille, nihil habent simile neque iudicio, neque concioni; quid refert, utrum dichoræo concluſus, an aliter, uerborum ambitus insistat? Splendidor, inquiunt, nec paullo aptior ad mouendum, si numerosius desinat, oratio uidetur. Recte: nec ego secus existimo: uerum, quem tu tanti facis, eum ego magistrum sequor. quid igitur ille? EPISTOLAE NOSTRAE DEBENT INTERDVM ALVCINARI. nempe, quòd ijs negligentia quædam, cum ad familia-*

res

res scribitur, etiam ornamento sit. Ita igitur tecum agam, ut si essemus una: et, quemadmodum præsentes quacúque de re sermones familiariter serere solemus; sic in scribendo, nulla certa proposita sententia, libertatem illam, & quasi negligentiam imitabor. quod si reprehenderis, tacitú non feres. præstat enim male scribere, quàm omnino, quod a te fieri uideo, nihil scribere: cum hoc uoluntatis fortasse uitium sit, illud ingenij, quod ipsi nobis fingere non possumus. Vale. Venetijs, M. D. XXXIII, *kal. Quinct. qui mihi primus dies est anni* XXI.

PAVLO MAGNVLO, Patauium.

CVM *me uides præter institutum meum litteras ad te non tam sæpe, quàm solebam, mittere; nimirum, etiam me tacente, quàm sim occupatus, intelligis. Ternas te dedisse scribis. omnes accepi: nihil amabilius: his autem recentioribus etiam nihil elegantius. sic enim censeo, recte eum, & latine scribere, non qui pauca multis, sed qui multa paucis. quo ego in genere aliquando posse cupio, tu, ut uideo, iam potes. tribus enim uersiculis quid non complecteris? tuam narras in scribendo diligentiam, meam obiurgas negligentiam: de meorum librorum instauratione tecte me admones, de tuorum uenditione aperte. denique otiosi nihil est: sen-*

sententiæ numero prope, quot uerba. ut mihi, quem admodum promiseras, argumentum satis superq. dederis. Sed meæ cessationis causſam, ut dixi, con ijcis ipse per te. libros autem meos, prope adest, cum editurus sim. de tuis egi diligenter, & ago. si quæris, quid profecerim: nihil adhuc: sed spem non abieci. quanquam incredibile est, quàm difficile sit ab istis pecuniam exprimere. quem euentum res habitura sit, ignoro: a me nihil omittitur, quo mi nus & ex sententia conficiatur, & quamcitissime. Vale. Venetijs.

EIDEM, Patauium.

PVTASTI *fore, ut ego te abeuntem litteris prosequerer? non tu id quidem unquam. conuenerat enim, ut argumentum a te exspectarem. argumentum igitur potest exspectare meus inte amor? quo nihil uberius nec est, nec unquam fuit. itaque statim, ubi tu profectus es, cum me repenti na quædam uoluntas excitasset, arripui calamum, neque sum ueritus, ut me scribentem sententia defi ceret. hui, quàm multa iam nunc mihi ueniunt in mentem. sunt, quæ possim scribere, leuitates amatoriæ. quorum, inquis? mecum habebo: neque tibi, neque cuidam edam. uolo enim parcere amicitiæ, qua mihi sunt coniuncti, qui tam suauiter, ut ipsi putant, uiuunt, ut ego sentio, delirant. sunt item σκιαμαχίαι quædam, & militaria munera po*

pulo

pulo data, taurorum uenationes, saltatorum lusus, personatorum ineptiæ. quid quæris? sexcenta: quæ mihi et benevolentia nostra suppeditat, & familiaritas permittit ut scribam. quia tamen leviora sunt omitto, ne grauem philosophum offendam. Porro, de meis rebus quod exspectes, nihil est. mutationem nullam fecerunt a discessu tuo. De te, quæ scire uelim, hæc sunt, quo modo te redeuntem amici illi tui, libri scilicet, acceperint, num eo ipso die ad eorum consuetudinem te dederis; an potius, dum hæ bacchationes deferuescant, in hortis cum Epicuro, quàm in gymnasio cum Aristotele, uelis uiuere. Et, cum hæc scripseris, adde uerbum, si me amas, de pugiunculo illo tuo: quo ego te impeditum, & alligatum ense cum uidi discedere, non tenui risum. ac uolui pungere te dicto; sed ueritus sum, ne tu rustice me gladio. Epistolam habes iocationis plenam: qua te esse delectatum cognouero, si miseris ipse pleniorem. Vale.

EIDEM, Patauium.

Non facile dixerim, plus ne uoluptatis, an doloris ex epistola tua susceperim. est enim mihi gratissimum, cum & me a te amari, & te amore in te meo delectari perspicio. ex quo fit, ut litteras tuas, benevolentiæ plenissimas, & officij, iucundissime legam. Cum uero te uel angi uideo, uel aliquid triste cogitare; sic afficior, ut acerbissime uiuam. sed utinam

utinam, quanti ego consilium tuum semper feci, tanti item ipse meum fecisses. profecto in has molestias, in quibus hodie uersaris, non incidisses. At, inquies, illa perpeti, malum erat. Malum, nisi, istos ferre, longe peius sit: quorum quidem iniuriatum ex eorum, qui istinc ueniunt, sermonibus, tum ex litteris tuis facile cognoui. Quæ quo magis intolerabilia sunt, eo clarius tuæ prudentiæ lumen ostendas oportet: neque committas, ut inuidorum, maleuolorumq. peruersitas plus apud te, quàm existimationis tuæ ratio, ualuisse uideatur. Quanquam ego, cum hæc scribebam, satis intelligebam, quis ad quem: sed amorem meũ, qui tibi præsenti perspectissimus fuisset, etiam apud absentem, quoquo modo licuit, testatum esse cupiebam. Atque hoc loco mihi ueniunt in mentem, quæ tibi proficiscenti futura prædixerim. quæ ego, non aliquam somniorum imaginem, aut alitis cantum secutus, augurabar: sed, quòd istiusmodi hominum naturæ plus etiam, quàm uellem, exploratæ mihi erant, iccirco, ne illa acciderent, quæ nunc euenisse audio, timebam. Sed uteris, ut spero, fortitudine animi tui: et, quæ iniqui ad ignominiam tuam comminiscuntur, ita feres, ut non solum in uetere optimorum studiorum cursu, fractus animo, ne consistas, sed uehementius etiam ueræ gloriæ cupiditate incitatus, propositum tibi decus assequare. Me in omni fortuna tui amantissimum, tuæq. laudis fautorem, atque

que adeo, quantum in me erit, amplificatorem habebis. Vale. Venetijs.

SEBASTIANO LEONI, CORDVBENSI, Romam.

Romae te nunc esse, in ea urbe, ubi multorum amorem, ac studium tua tibi iam antea uirtus peperit, tantum abest, ut doleam, ut etiam summe gratuler. nec enim dubito, quin sedem studijs tuis non modo commodam, uerum etiam honorificam, adnitentibus amicis tuis, facillime consequaris. Me quoque, ut ille inquit, mirum desiderium tenet urbis: uerum aduersantur multa: quæ si Deus aliquando sustulerit, accurram statim ad uos, ea spe, ut in uestra beneuolentia, in consuetudine, ac sermone conquiescam. Saluta interim amicos, Octauium nostrum, Sirletum, Gillium, Phaernum. nam Episcopum Allifanum abesse audio. Nicolaus Nathanaelus, egregie moratus adolescens, magnos in latinis litteris processus a discessu tuo fecit. is cum mihi per se carus est, tum eo magis, quòd de te sæpe loquitur amantissime, tuamq. ergase, patremq. suum, insigni probitate, atque doctrina uirum, perpetuam benignitatem sic in ore habet, ut eius memoriam nunquam sinat intermitti. Vale. Venetijs.

SILVESTRO ALDO BRANDINO.

In iis litteris, quas ad Angulum nostrum XVI. kal. Sext. dedisti, ualde mihi scripta urbane uisa est illa pars, in qua nescio quid de me per iocum, sed cum quadam tamen amoris nota significasti. gaudeo, me tibi usque eò esse familiarem, ut etiam facetijs lacessas: quo in genere si perges, gratiam referemus: ne tu homo ingeniosus nos tardiores impune commoueris. mihi cum amico tuo recte conuenit. doctum hominem cognoui, bonum uirum esse audio. hæc cum sunt in hominibus transalpinis, amorem conciliant: quanto magis in nostris? At in litteris aliquando dissensimus. ego uero non nihil etiam a parente meo: neque tamen parentis manibus eam, quam debeo, pietatem minus præsto. opinionum enim dissimilitudo tantum abest a simultate, ut sæpissime, non modo qui sententia discrepant, in amore consentiant; sed etiam, qui simultatem exercent, iudicio congruant. Quare amoue istam ex animo tuo suspicionem, meq. cum illo ita crede esse reconciliatum, ut posthac ab eo, etiam si dissentiendi caussa sit, dissentire tamen nolim. Hic, ut in tantis caloribus, non iniucunde uiuimus: urbis mirifica elegantia: cæli summa salubritas: si quando æstus maior est, quàm ut ferre possimus; confugimus ad aquas: innixi utribus inflatis, remoto,

remoto loco, nos inter nos ludibundi flumina perambulamus. quid quæris? si te haberemus, ad summam uoluptatem nihil deerat. sed animus tamen meus, quem tu, credo, cautionibus quibusdam tibi addixisti, peruolat magna spatia terrarum, et, te insciente, sæpe tecum est. itaque non ego prorsus te careo: nam, si minus sermone, adspectu certe tuo fruor, dum de te cogito. quòd si aliquando contigerit, ut etiam sermone possim; næ ego collocutionum nostrarum fructum, interuallo temporis amissum, ita repetam, ut ne studijs quidem parcam tuis. in quibus audio te post nostrum discessum magna quædam effecisse. Caput etiam illud litterarum tuarum Accoltus noster mihi ostendit: in quo ita scriptum est, paginas te circiter octingentas iam impleuisse commentationibus ijs, quas in Pandectarum libros texis. puto magni laboris esse, magnæq. difficultatis. sed, si consideraris, quæ tibi præmia proposita sint; uinces omnia. petis immortalitatem; quam multi sequuntur, tu iam pæne manibus apprehensam tenes. Vale.

EPISTOLARVM PAVLI MANVTII LIBER QVINCTVS.

Scripsit hanc, liberalium disciplinarum nomine,

PIO IIII. PONTIFICE CREATO.

CVM *tibi, Pontifex optime, ad istam dignitatem nuper diuinitus elato, qua sublimius aut præstantius inter homines nihil est, mortales quamplurimi, alij absentes litteris & nuntijs, alij coram uultu et uerbis gratulentur: non dubitamus, quin nos quoque, altrices tuas, in maximo gratulantium numero ad tuos sanctissimos pedes officiose proiectas, excipias, & eo benignius, quòd alij, quia peruenisti ad eum finem, infra quem ceteri fines sunt, gratulantur; nos autem, quia scilicet, ut peruenire posses, ipsæ perfecimus. Non est ad gloriam lata quædam & communis uia. perangusta fuit semita, paucorumq. notata uestigijs, qua ierunt & heroes illi ueteres, in Christiana militia fortissimi uiri; & maxime, quidem omnium, patrum nostrorum memoria, Pius ille Pontifex, cuius tu nomen, in eadem sede merito collocatus, & eam nomine uirtutem refers. in istam olim semitam, ferentem ad æternum*

decus, nos te puerum adhuc, sed puerum præclara cupientem, manu prehensum duximus: ne ue quis te error auertere, ne qua morari posset offensio, cupide procedenti quasi lumen prætulimus. confectum iam iter est: ultra, quò progrediaris, non habes. inter te, & opificem æternum, cuius ministræ nos sumus, nulla iam interiacent humana. quare, quoniã eò te perduximus, quò sine nobis peruenire felicitatis non est; & quando de longa uia ita fessas esse intelligis, ut consistere uix possimus; redde præmium bene merentibus; & permitte nobis, ut in tua beneficentia nixæ conquiescamus. nam si tibi Deus Opt. Max. hoc elargitus est, ut in omni tua uita, præter rectum & honestum, nihil spectares: quis te laudabiliter antea cogitasse probauerit, nisi nunc, cum est ad uoluntatem adiuncta facultas, id ipsum, quod cogitasti, re perficias? si te ambitio delectaret, proponeremus illa inania, quibus ij, qui ex hominum sermonibus pendent, excitari solent: fore, si nos iacentes erexeris, ut orbem terrarum tui nominis fama peruagetur: ut oratorum et poetarum de te prædicantium uocibus aures tuæ personent: denique, ut imaginem tuarum uirtutum, æternis excellentium uirorum scriptis expressam, ipsa posteritas intuens, cupiat imitari. speciosa ista uidentur, & sunt omnino: sed a splendore tamen ueræ laudis absunt. nam recte facere, non ex ijs, quæ consequuntur, sed ipsum per se sapientibus uiris amabile uidetur. qui cum innocenter sancteq;

ui-

uiuunt; minime illi quidem de præmijs cogitant; ne probitas mercenaria uideatur; aut, si cogitant, non ad hæc humana, quæ sunt locorum & temporum angustis sane terminis circumscripta, oculos demittunt; sed ad illa diuina suspicientes, beatam immortalemq. uitam et expetunt unam, & unam expetendam esse persuasum habent. hoc tu semper institutum probasti: probauit Paulus ille III. omnium sæculorum memoria celebrandus: qui de humano genere uel hoc potissimum nomine optime meritus existimatur, quia in suo Pōtificatu effecit, ut tu Pontifex esse posses: probarunt, hodieq. probant sodales olim aliquot tui: quorum alij, non, ut uulgo uocantur, mortui, sed, ut sapientes proprie loquuntur, mortali uita liberati, nunc incolæ cæli, Deoq. fruentes, non tam quia te Pontificem intuentur, gaudent, quàm quia facturum ea prospiciunt, quæ sunt optimo Pontifice dignissima: alij uero, non dum sane ab hac terrestri materia discreti, aut simplicem naturam assecuti, sed ita tamen in terris commorantes, ut bonitate simplices animos referant, non dubitamus, quin tibi nostram causſam unanimes commendent; & eo studiosius, quòd, & ipsi alumni nostri cum sint, officio non solum laudabili, uerum etiam debito fungentur. Satis iam exagitatæ, satis inopiam & solitudinem passæ, ab omnibus fere Principibus neglectæ, supplices ad te confugimus: quid petentes? honestum otium: a quo petentes? a Pio Pontifice. Pius ne

ille noſter, cuius animum ac mentem ſalubrimis præceptis ad omnem laudem conformauimus, atque effinximus; cui comites in omni ætate, atque in omni fortuna non ſolum iucundæ, ſed etiam perhonorificæ fuimus; qui ut hoc tempore plus, quam omnes homines, prodeſſe nobis unus poſſit, id ipſum a nobis habet; is ne nos, aliquam tanti beneficij gratiam reposcentes, ab ſeſe reiiciet? non hoc illius natura, non doctrina, non conſuetudo feret. Sint ſane mutabiles aliorum animi, neque ſatis in colenda uirtute ſibi conſtent: fit enim ſæpe, ut uoluntates ſimul cum fortuna commutentur: in te, Pontifex optime, non cadit huius inconſtantiæ ſuſpicio: tua eſt bene agendi perpetuitas: nihil in uita tua uarium, nihil flexibile, nihil miſtum cognouimus: ſemper idem tibi, ſemper directum quiddam placuit, & ſimplex. non te rerum humanarum picta & fucata forma, non illæ, quibus plerique falluntur, inſidioſæ uoluptatum illecebræ ceperunt. non tu in tabula picta, inani colorum ſpecie captus, ocu lis immobilibus hæſiſti. non ſericam ueſtem, non argenteũ uas, non aurata tecta paullo cupidius adſpexiſti. denique; ne ſingula perſequamur; cum plerique hominum ſiue gratia, ſiue metu ab officio deducantur: nunquam te uel ita gratia deliniuit, uel ita metus deterruit, ut pietatem religionemq; deſereres. quid mirum? uirtutum radices non ita leuiter bonorum in animis inhærent, ut eas euellere aut cõmodi ſpes, aut periculi dubitatio poſſit. qua-

re tuæ consuetudinis et constantiæ memores non pe timus a te, ut aliquid agas nostra caussa, quod cum egeris, non consentire cum tuis superioribus factis videatur: sed id petimus; quod a te non modo ipsa res, sed etiam consuetudo tua postulat; ut in uetere illo tuarum actionum laudabili cursu pergas. quod cum facies (facturum enim, quia te nouimus, non dubitamus) complecteris nos eodem studio, quo ipsæ te aluimus; & in eum locum restitues, unde nos aduersariæ nostræ, insciti simul et auaritia, comites perpetuæ, detruserunt. Vale.

CAMILLO PALAEOTTO, Bononiam.

EPISTOLA tua, suauiter, et amanter in primis, eademq. elegantissime conscripta, memoriam mihi nostræ consuetudinis, tuæq. uirtutis, et humanitatis, uehementer auxit. non enim dicam, renouauit: qui te mihi, et ea, quibus omnibus carus es, ex animo nunquam excidisse, uere possim affirmare. sic enim uelim existimes, nihil unquam, a quo primum die mihi cognitus es, aut cogitasse me iucundius, aut curasse diligentius, quàm ut me tui cupidissimum, tuorumq. officiorum, si non referenda, quod opinor fieri uix posse, habenda tamen gratia memorem, atque gratum agnoscerem. quod si sum assecutus, mirifice lætor: sin minus, delector tamen studio meo, et ipsa etiam uoluntate

te mihi, utinam tibi quoque, satisfacio. Equidem, cum illa, quæ te uideo animaduertisse, ad Muretum scripsi, notum ei esse uolui iudicium de te meum: ipse uero ut ea aliquando legeres, uel ut omnino quisquam, fore non putaui. Postea, cum a non nullis, bonas uidelicet horas male collocátibus, describi epistolas meas audirem; ueritus, ne quando mendosius etiam impressæ, quàm a me scriptæ, uel negligentiæ culpa, uel fortasse etiam improbitatis, (late enim patet hoc uitium) ederentur; collegi quas potui; emisi, non quas probaui maxime, (nã huius generis infrequentia certe me ab omni prorsus edendi consilio reuocásset,) sed quas improbaui minime. ex eo numero fuit ea, quæ de te loquitur, uel potius balbutit epistola. nam ea, quæ tibi uel natura tribuit, uel adsciuit industria, uix aut mihi liceat, aut ijs etiam, qui plurimum eloquentia ualent, non modo litteris familiariter scriptis, sed nec elaborata oratione complecti. Quare non ego, mihi ut agas gratias, exspecto, quòd te tanquam pictor bonus illustrauerim; sed potius, quòd quasi decolorauerim, ut ignoscas, rogo. quod quidem, si te probe noui, impetrabo facile uel a sapientia tua, uel ab humanitate: quarum altera facit, ut ab una totus uirtute pendeas, de sermonibus hominum non labores; altera, ut nihil unquam a te non modo amici, et familiares, sed nec alieni frustra petant. Amoris in me tui, licet minime necessaria, perjucunda tamen commemoratio fuit. cui quidem amo-

ri,

i absint officia, deberem plurimum: quid putas, cum et accesserint iam merita non uulgaria, quæ nulla mihi ex animo dies euellet, et ea tamen aliis cumulare ita studeas, ut in beneficio dando beneficium uidearis accipere? Vel hoc ipsum, quòd me tam crebro, tam diligenter, tam amanter Bononiam inuitas, quantam habet significationem beneuolentiæ tuæ? quæ si mihi omnia commoda, omniaq. ornamenta, nihil tamen afferet, mihi crede, se ipsa carius, nihil, quo gaudeam, ac triumphem magis. Ad te uero, quem uidere ita cupio, ut cupiditate etiam tua uehementius incendar, noli dubitare, quin aduolem, cum primum per anni tempus, et, ut spero, per ualetudinem licebit. nam frigore uires imminutas tepor uernus, et cæli purioris adspectus restituit. Interim, si quid scire uis de rationibus meis, eo loco sunt, ut mihi, in summa animi æquitate, abesse potius multa, quàm deesse uideantur. Vigemus amicis: quo nihil optabilius, excepta sapientia, & ego existimo, & tu quoque, ut uideo, mecum sentis. Oculis, quibus ægre diu fuit, nunc quidem utor optime, uiribus autem corporis non pessime. reliqua in congressum nostrum reseruabo. Vale, et propinquo tuo Francisco Bononietto salutem a me plurimam. Venetijs.

OCTAVIANO FERRARIO, Mediolanum.

AMOR inter nos mutuus, meaq. de tua uirtute opinio facit, ut mihi nihil esse committendum putem, quod a tuis consilijs abhorreat. itaque, licet dolorem meum, ex interitu filij susceptum, ualde iam et ratio ipsa, et communis condicionis recordatio leuaret; uix tamen credas, quantum profecerint litteræ tuæ. An ego te non audiam, cum ad animi uocor æquitatem? te inquam, cuius mihi grata semper uoluntas, grauis auctoritas et fuit, et esse debet: quem dilexi unice a prima adolescentia, quem respondere in amore, ac studio facile perspexi. quòd utinam, quàm diu seiuncti fuimus, una uiuere licuisset: essem omnino tua consuetudine melior, & doctior: tu autem ex officijs meis fortasse aliquam, ex beneuolentia certe in te mea non dubito, quin maximam uoluptatem, lætitiamq. ce pisses. quod quando non contigit; usus essem, pro mea quidem parte, litterarum bono; nisi me non tam occupatio mea, quàm tuæ ualetudinis infirmitas, cui laborem imponi mea caussa nolui, ascribendo retardasset. nunc, si est, ut optime ualeas; quod ut credam, adducor non solum crebritate, uerum etiam subtilitate, atque elegantia epistolarum tuarum; gaudeo: quodq. habes ex animi tui sententia, id ut perenne, propriumq. sit, uehementer cupio. litteris, ut amissi temporis usura sarciatur, colloquemur

mur interdum. nec deerit argumentum, si tibi placuerit idem, quod mihi, συμφιλολογεῖν de studijs nostris, quibus uberius nihil est. Atque equidem, (ut a priuatis ad publica diuertam) quando χαρακτὴρ tuus eiusmodi est, ut ab recentiorum philosophorum inquinato sermone longissime distet, auctor tibi sum, ut in scribendo totus hæreas. nimium diu comprimis ea, quæ selecta habes, quæ scio, quá sint præclara, in omni genere doctrinæ. ede, et auge utilitatem nostram cum gloria tua. nam hic liber, qui propediem exibit, de disciplina encyclio, studia multorum accendet, quibus a te satisfieri æquum est. quam uero in eius libri editione diligentiam exigis, ea præstabitur, quatenus licebit. totum enim in uno me positum non esse, aut iam scis, aut mihi uelim credas affirmanti. Vale. Venetijs.

LAEVINO TORRENTIO, Leodium.

SANE permolestum mihi, pro mea summa erga te beneuolentia, contigit, quòd tuorum comitũ, ut ais, importunitate factum sit, ut ueniendi ad nos susceptum antea consilium deposueris. nihil enim potest esse iucundius, quàm tui suauitatem sermonis, tuamq. mirificam tum humanitatem, tum etiam doctrinam ex interuallo regustare. sed huius incommodi molestiam fere abstersit omnem scripta peramanter, atque adeo pereleganter epistola tua, quam

quam mihi heri reddidit familiaris meus, idemque tui studiosissimus, plane iuuenis eruditus, Andreas Siluius. Oda uero in Pium Pontificem, quam epistolæ adiunxeras, ita mihi placuit, nihil ut unquam legerim libentius, æque libenter pauca. omnino, mi Læuine, cum ad omnem excellentiam, tum uero ad hoc scriptorum genus ingenio te natura finxit aptissimo. itaque nosce tua bona, poeticamq. facultatem, si tuæ gloriæ consultum uis, ne dimitte. Carisium quo die primum uidi, ut ederetur, optaui. idq. plane Cauchis adolescentibus, consilio tuo commotis, & communium studiorum, & sane ipsorum etiam caussa gaudeo. aliquid enim ad eos ex paterna laude redundabit, & aperietur fortasse aditus ad gratiam principis uiri, misso, ut mos est, libro cum eorum epistola. putabam fore, ut Romæ liber ederetur. si Venetijs malunt; nostra, quæcunque est, industria non deerit: qua condicione, & quo tempore, scripsi ad optimum uirum, Octauium Pantagathum. De Censorino, & Prudentio mox uidebimus. non enim tam facile, quod præstare nó possim, soleo promittere, quàm, cum promisi, diligenter præstare. premor autem oneribus multis, quæ sustinere cogor in aliquot menses: abijcere si uelim, nec honor meus, nec res domestica patietur. Quod reliquum est, amorem in me tuum cupio conserues: quod erit humanitatis. ego, quod erit officij, te colam diligentissime, deq. ingenio tuo, de doctrina, de probitate quid sentiam, ut ipse aliquando intelligas,

ligas, quod hic, mihi crede, iam intelligunt multi, operam dabo. Vale, & Cauchos fratres, moribus, ac litteris ornatos, meo nomine saluere plurimum iube. Venetijs.

PETRO MISCOVIO.

QVOD a me postulari uidebatur, ut tibi, de studijs meis non pessime existimanti, (sic enim audiebam) per litteras gratias agerem; in eo dedi operam, ne desiderari posset officium meum, atque equidem restiti non nihil a principio cupiditati meæ, ueritus, ne pudentis hominis non esset, ista dignitate, ista uirtute uirum, cui nullum a publico munere tempus uacet, appellare litteris: sed meâ cunctationem uiri optimi, atque eruditissimi, Andreæ Patricij, omnia de humanitate tua pollicentis, discussit oratio. Scripsi igitur ad te, non, ut tibi rescribendi onus imponerem, sed, ut, quoad possem, testificarer obseruantiam meam. quod si sum assecutus, et, si tu, quanti faciam iudicium de me tuum, intelligis: ita lætor, quasi bona omnia contigerint, & cum hac mea uoluptate uix puto uoluptatem ullam posse conferri. Quòd autem silẽtium etiam tuum excusas, & ea commemoras, quæ te a scribendo antea retardarunt: hoc equidem a te nunquam exspectaui; a quo libenter legi meas litteras, de quo dubitare mihi non licuit, satis superq. habui; sed quo exspectaui minus, eo scilicet magis agnosco,

gnosco, quæ constanti omnium sermone prædicatur, benignitatem tuam. Gratulor autem, ut debeo, uehementer, & te a febri conualuisse, qua laborantem in reditu suo Patricius offendit, & exitiali illa lue prouinciam liberatam. Occupationes tuas puto, & audio grauissimas esse; sed leuiores fiunt gloriæ fructu, quem tu quotidie percipis, tuis debitum uirtutibus, amplissimum. Porro, quàm sit homine dignum, de multis, ac, si fieri possit, de toto hominum genere bene mereri, quid ego te doceam, nihil, quod ad honestum pertineat ignorantem, quem ita semper ad decus natura impellit, ut omnia tamen consilia, omnes actiones ratio, & sapientia moderetur? Quare, istis curis, istis laboribus, quos esse tuæ laudis segetem, ac materiam uideo, ignosce, obsecro, Miscoui humanissime, si te sero admodum cupio liberari. nam, quod ad studia litterarum attinet, id est, ad eum animi cultum, unde oritur artium ingenuarum præclara cognitio; primum, cum tu habeas iam, quæ petuntur a litteris, & cum eloquentia, doctrinaq. ex superiorum temporum uigilijs excellas; non intelligo ualde esse, cur labores: deinde, tanti ne putas librorum consuetudinem, aut ullum cum ulla doctrina commercium, quanti difficillimis temporibus, in summa bonorum, & sapientium ciuium inopia, requirenti consilium, operamq. tuam patriæ subuenire? quo in munere uersanti, non committam, ut longiore epistola molestus sim: & hæc ipsa, fortasse

nimis

nimis multa, amori largieris in te meo: cui dum obsequor, teq. loqui præsentem uideor, oblitus occupa[illegible] memor humanitatis, prouectus imprudenter sum. Vale. Venetijs.

ANDREAE PATRICIO.

MI PATRICI, non te fugit, morosos esse, qui amant. quo me uitio laborare non inficior. adspectu, & consuetudine præsentium amicorum carere non possum. si absunt, igniculum desiderij ita non fero, ut litteras ab ijs exigam potius, quàm exspectem. hinc illæ interdum, uacuæ prorsus iracundia, quæ abest a natura mea, amoris plenissimæ querelæ. de quibus audisse te aliquid gaudeo; ut ego quoque in querela tua mutuam erga me beneuolentiam, qua nihil habeo carius, agnoscerem. quod equidem lætari te quoque arbitror. quæ enim humanitas tua est, certe totus abesse non uis: nec eiusmodi tuum in discessu consilium uidebatur: nec nos, qui te longinquum memoria colimus, diligimus, laudamus, digni uidemur, quibus nullam suauitatis, ingenijq. tui partem restituas. Officium autem in rescribendo meum, non committam, ut desideres; nec desiderari antea passus essem, si litteras tuas, a me uehementer expetitas, quas misisse te significas, accepissem. Prouocassem etiam, mihi crede, pro meo in te singulari studio, si uacassem, et si uacare te ab ijs negotijs existimassem, quorum onera

onera grauissima, uigilantibus, & magna præditis uirtute uiris, id est, tui similimis, imponi æquum est. Quòd ais, omnia te conferre ad dignitatem meã; dupliciter gaudeo, & quòd me ames, (quanquam hoc antea perspexeram,) & quòd id ex officijs erga me tuis homines intelligant: idq. non mediocriter ad existimationem meam statuo pertinere. Miscouij quidem in beneuolentia, cuius habeo testem, refertam humanitatis, elegantissimam epistolam, scito me omnia ponere: eamque ut uideor, summo hominis beneficio consecutus, ita triumpho, quasi nihil iam aduersi a uirtutis aduersaria fortuna possit euenire. tibi autem, qui mihi ad amicitiã tanti uiri aditum patefecisti, gratias tuo fortasse merito pares habere possum, & habeo sane quammaximas, referre certe nullo modo possum, ac ne agere quidem: quod tamen humanitas tua non ferret; &, si ferret, quæ mihi unquam uerba, ab intimo licet artificio deprompta, satisfacerent. Vale. Venetijs.

STANISLAO FOGELVETRIO, Patauium.

Me quoque torquet exspectatio Duditij litterarum; de quo mihi, me quidem inuito, tamen aduersa quædã amor fingit. nec enim adduci possum, ut oblitum nostri, aut parum in colendo officio diligentem existimem; qui & humanitate omnes uincat

cat, & quaternas iam a me litteras acceperit. utinam ualeat, atque in illis negotiorum fluctibus utatur secúdis uentis: reliqua feremus facile, eademq. absenti beneuolentia perpetuo præstabitur. Cum litteras Italicas meas ad te misi, nihil scripsi, ne tibi rescribendi, præsertim de re minima, onus imponerem. at tu, gratiarum actione non contentus, etiam me laudandum putasti, & ijs quidem uerbis, nihil ut esse possit illustrius. in quo probaui uehementer elegantiam ingenij tui: in iudicio, nisi me ipse diligam, fortasse aliquid desiderem. aliquid autem? plane hoc totum, mi Fogeluetri, humanitati tuæ tribuo: de qua tamen ipsa ualde te amo: ac uelim existimes, te mihi hærere in animo, tum tua sane causſa, cui neminem probitate, ingenio, studio bonarum artium antepono, tum quòd in uno te non nullam Patricij, ac Duditij etiam imaginem uideor agnoscere. idq. tibi aliquando, Minerua, ut spero, non inuita, probabo. Vale. Venetijs.

DIONYSIO LAMBINO.

Noli existimare, mi Lambine, cum fructu consuetudinis tuæ caream, quidquam mihi tuis epistolis esse iucundius. facit hoc sane qui mutuus inter nos amor est, ortus a meo de tuis uirtutibus iudicio, tua uero de meis ad eandem laudem conatibus opinione fortasse non nulla: sed scriptorum etiam tuorum subtilitate, & elegantia mirifice delector.

uel

uel hæc, quam accepi idibus Iunij, raptim a te, ut uideo, exarata epistola, quàm loquitur pure, quàm nullis illustrata pigmentis, nullo, ut tu scribis, fuco, tamen nitet. itaque nihil unquam legi libentius. Quæsieram autem per litteras a sororis meæ filio, Iulio Catone, ecquid parturiret ingenium tuum, non tam, ut meæ, quæ summa est, quàm ut eorum, qui ad me adeunt quotidie, cupiditati satisfacerem. Scito enim, admirabilem hic esse quandam de studijs tuis opinionem, cum e sermonibus meis, eximia sæpe tua cum laude habitis, tum uero ex illa præstanti industria, quam in conuertendis Aristotelis de morali philosophia libris ita collocasti, non modo ut eorum, de quibus diu bona hominum existimatio fuit, errata patefaceres, sed ut ipse maximam & iudicij, &, mihi quidem ut uidetur, qui ea cum græcis diligentissime contuli, etiam eloquentiæ laudem ferres. quod a te institutum retineri, & eandem operam ad reliqua conferri, si quis est, qui ualde cupiat, ac te etiam tacita sæpe cogitatione hortetur, is ego sum. Publica, fateor, me mouet utilitas, cui te uideo græcæ, ac latinæ linguæ peritissimum, præterea instructum ijs artibus, a quibus perfecta intelligendi, ac iudicandi ratio manat, unum in primis posse consulere: sed mehercule etiam gloriæ tuæ pro amicitia nostra uehementer faueo. uides enim profecto, (quid enim, quod ego uideam, te latet?) paucos omnino ex ijs, qui populari fama celebrantur, sine exceptione posse laudari, & hac

tanta

tanta quotidie exeuntium librorum copia impediri potius, quàm adiuuari studia nostra. quare susci pe onus pro tua parte. neruos nouimus industriæ tuæ: quos si contendere uolueris, nihil est, quod sustinere, ac perferre non possis. Nam de Lucretio, suadeo equidem, ut absoluas: poeta est egregius, uel Ciceronis nostri testimonio: & in eo maximam a multis, nec a me ipso minimam gratiam inibis: sed uoco te libentius ad illa præstantiora: nec tu meum consilium, atque etiam studium, si modo tibi, aut sapere aliquid, aut uelle tua causa uideor, debes in tua laude contemnere. Si nauigatis in Galliam, quod a te scriptum confirmant multi, opto uobis facilem cursum, et secunda omnia: teq. rogo, nisi me ineptum esse censes, & nimis impudenter petere, ut Cardinali Turnonio, principi sapientissimo, optimarum artium patrono, me in gratiam ponas; quem hic honoris gratia salutare, cum maxime uellem, per inualetudinem nunquam licuit. Sigonius, plane, ut ais, uir doctissimus, addas licet humanissimus, cui tu in transuerso litterarum tuarú uersiculo salutem adscripsisti, ualde gaudet, amari se, ac laudari a te, de quo ipse honorifice in primis loquitur, & sentit. is te resalutat amantissime, euntiq. in Galliam, incolumitatem, et reditum precatur. Vale. Venetijs.

IVLIO POGIANO, Romam.

QVA'M *libenter, & quàm sæpe de te cogitem, Pogiane doctissime, conscius ipse mihi sum: mea uero quæ sit, ac fuerit semper, ubi temporis ratio tulit, de tuis uirtutibus oratio, cum honestos, et graues uiros, ijs, quibus ipse excellis, doctrinis excultos, habeam testes, non conabor tibi litteris exponere. nec me tamen amori erga te meo, quem fateor impetrare a me posse omnia, tribuere quidquam in te laudando uelim existimes. tua me scripta, in quibus excellentem quandam eloquentiæ præstantiam elucere uidi, maxime uero præclara illa pro illustri Rhodiorum Equitum societate ad Pontificem habita oratio, quam efferre laudibus nunquam desino, in hanc sententiam facile perduxit. Accedit humanitas, probitas, opinio de me tua, nec ea significata obscure, sed æternis ingenij tui testata, atque expressa monumentis: ut, si nihil ipse, contra quàm adhuc laboraui, memoria dignum præstem, me tamen ex testimonio tuo posteritas ignorare non possit; sin aliquid a me sum, tibi tamen debeam plurimum, cuius ad eam, quæcumque de me est, existimationem accedat auctoritas. quòd si te antea, naturali quadam animi mei propensione, & communi erga omnes, qui optimis in artibus cum laude uersantur, officio, non mediocriter*

criter diligebam: nunc, propria cum addantur in me merita, nisi totus amore flagrem, ac studio tui, nisi, quam excelso in loco sitam uideo, illustrari etiam magis omnium præconijs tuam laudem exoptem; malam referre gratiam litteris ijs, quarum consuetudine ad humanitatem excolimur, & omnino hominem ex homine uidear exsuere. quanquam, mi Pogiane, non ita mei dissimilis esse possum, ut agnoscam ea, quæ tu in illa omnium elegantissima epistola, ad eximiæ tum indolis, tum etiam uirtutis adolescentem Octauianum Magium proxime scripta, uerbis ampliffimis in me contulisti. scilicet ego in eloquentia magnus, quis, & qua in arte? illa quidem, ut res indicat, omnium difficillima, ipse autem uix mediocri instructus ingenio, otio certe, sine quo ne summis quidem ingenijs ualde proficitur, nunquam abundans, aduersa etiam per annos multos modo ualetudine, modo fortuna uexatus. sed abfuerit nihil eorum, quæ laudem in aliena lingua cupientibus requiruntur: me tamen uobis, qui Romæ in ista luce, in summa omnium uirtutum ingeniorumq. præstantia uiuitis, qui pedem quotidie ponitis in uestigia clarissimorum uirorum, qui spiritum ducitis e Romano illo cælo, seminibus eloquentiæ referto, anteponendum esse nunquam duxi; fortasse, ut comparari aliquando possem, operam dedi. sed hoc quidem non dum contigit, ac uereor, ut contingat unquam. me enim in hoc studio, quo mirifice delectabar adolescens, rei familiaris

liaris occupatio non sinit esse diligentem. ætas etiã nescio quo modo gloriæ cupiditatem, si qua fuit in nobis, uidetur extinguere: qua sublata, non minimum languescit industria. Contra uobis, ab omni cura expeditis, tibi præsertim, non ætate minus, quàm ingenio, florenti, quotidianum esse cum libris usum, & cum omni liberali doctrina, non ignoro. Quanti uero illud est, quo quidem nos caremus, locorum admonitu excitari ad decus? quanti etiam illud, haurire aliquid posse omnibus horis ex mutuo sermone, præcipue uero ex perennibus illis, uberrimisq. optimarum scientiarum fontibus, Octauio Pantagatho, & Gulielmo Sirletto, familiarissimis tuis: a quibus, ut opinor, æque diligimur; sed æque tamen eorum doctrina frui per interualla locorum mihi non licet. itaque tot, ac tantis, quæ suppetunt uobis, destitutus adiumentis, tantum abest, ut glorioſi palmam certaminis audeam sperare, ut hastas etiam non inuitus abijciam, qui præsertim facile futurum intelligam, ut ad te, quem plane in oculis fero, & a quo mutuam mihi tribui uoluntatem libenter credo, primæ partes in cognitione, & usu Romanæ linguæ omnium iudicio deferantur. Quare primum illud te rogo, ne mihi tua prædicatione, quæ tota, ut ego interpretor, ab amore proficiscitur, plus oneris imponas, quàm mea sustinere possit infirmitas; existimesq. non minus me moleste ferre, si quando mihi falsa laus affingitur, quàm non nullos, cum uera detrahitur: deinde, si ego abs te in

mea

mea laude dissentio, ne propterea meum in tua iudicium improbes: quod, ne si quidem ipse prorsus a me dissentias, immutare, cum multis iam patefecerim, aut uelim, aut possim. Vale, & Sirletto nostro, ac Panthagato meo, uel potius utrique nostrum dic salutem meis uerbis plurimam. Venetijs.

HORATIO VRSINO, Romam.

VT *uideo, Magius, amores utriusque nostrũ, optimus adolescens, nec litteris tantum, sed humanitate etiam perpolitus, exquisitum ad conglutinandas amicitias tenet artificium. nam ille me, primũ, iam antea commotum ea fama, quæ de tuis laudibus percrebuerat, suo testimonio uehementer in tui beneuolentiam impulit: deinde, ut integrum officij sui fructum ferret, te quoque de meo erga te studio litteris admonendum putauit. quod etsi præter opinionem meam potius, quàm contra uoluntatem, factum esse confiteor: tamen eo mihi nomine abs te gratias agi, molestè ferrem, nisi epistola tua, distincta luminibus ingenij, index amoris in me tui, quo equidem antiquius habeo nihil, omnes animi mei partes ea uoluptate perfunderet, ut molestiæ locus esse non possit. aderat, cum eam attulit Magius, legitq. me concedente, semel & iterum Carolus Sigonius; qui quantum iudicio, & eloquentia ualeat, neque tu, nec, ut opinor, iam ignorat*

quisquam. is ornauit ingenium tuum diuinis laudibus, me prorsus assentiente: nam quid, Magio, dicam? qui te, qualem ipse antea in omni sermone prædicauerat, talem nobis uideri, mirabiliter ob eximiam in te beneuolentiam, fortasse etiam iudicij sui caussa, lætabatur. Nimirum habet hoc nobilitas, ut, quamcunque se in partem dederit, insigne quiddam præstet. sed, quo libentius de spatio curriculoq. maiorum plerique deflectunt, eo præstantiorem apud omnes homines & gloriam, & gratiam, si qui cursum tenent, assequuntur. quod tibi gaudeo contigisse: qui cum multis tum naturæ, tum fortunæ donis abundares, natus in ciuitate, orbis terrarum olim domina, nunc religionis, pietatis, iustitiæ domicilio, ortus ex ea familia, cuius nomen præclaris partum & studijs, & factis, multis iam sæculis per omnes gentes fama disseminauit: tamen, quasi hæc ad te non pertineant, id agis, ut una te nobilitet uirtus, &, quantum honestatis a maioribus tuis accepisti, tantum ipse posteris relinquas. quod etsi difficillimum est, præsertim his temporibus, cum aduersentur multa, &, ut uides, ad inania quædam, neglecta solida gloria, mores incubuerint: tamen a te, freti prudentia, & ingenio tuo, freti etiam constantia, summa omnia exspectamus. Quæ porro laudabilior industria, quæ cura præstantior, quàm quæ in animi cultu consumitur? cum scilicet id quærimus, ne quando impendentem fortunæ uim, optimarum artium præsidio

sidio uniti, pertimescamus; ne iactemur huc, & illuc, uel cupiditate, uel metu; sed in tantis uitæ, tempestatibus, tranquillissimo, ac iucundissimo litterarum portu perfruamur? quæ qui non uidet, nec de adipiscenda uirtute, quæ rationis absoluto est, assidue cogitat; næ ille eo ipso rationis munere, quo uno ceteris præstamus animantibus, indignus est. quod equidem semper sensi; licet, quò contendi, non peruenerim. te & sentire idem, & posse consequi quod uis, intelligo. quòd si de præmijs cogitas; quæ proposita sint, uides, æternum decus, & bonorum amor: quem debes omnibus rebus anteponere: equidem in eo summam felicitatem ab adolescentia constitui. ex quo quanti faciam amicitiam tuam, quem nemini aut probitate, aut studio liberalium doctrinarum audio concedere, facile potes intelligere: idq. ut re ipsa aliquando experiaris, operam dabo. Vale, & Iulium Pogianum, familiarem tuum, præstantem omni laude uirum, ac Hieronymum Lippomanum, eximia spe summæ uirtutis adolescentem, salutes, rogo, meis uerbis diligenter. Venetijs.

OCTAVIANO FERRARIO, Mediolanum.

NOLI putare, me tantum amici tui προβλήματι tribuisse, ut adhuc rem ducerem. nam, etsi de illius ingenio, doctrinaq. semper optime sensi,

idq. primum litterarum tuarum testimonio, post etiam iudicio meo commotus: tamen de tuo libro ita iudico, nihil fieri posse non modo eruditi: quo meam de studijs tuis opinionem æquauit industria tua, uerum etiam elegantius: quod ab excellentibus in philosophia uiris, qualem te iam omnes prædicant, hodie non admodum exspectatur. Quid igitur obstitit, cur nō aggrederer? caussam si quæris; de quate, si res pateretur, cælatum uellem: pituita, repente commota, satis per se molesta, mox etiam, cum tussis accessisset periculosa, moram iniecit: biduum iacui, medico non admisso, accurata uictus ratione contentus: in qua tu quantum ponas, ignoro: ego utilissimam experior. nunc, quæ supersunt morbi reliquiæ, do operam, ut eas depellam. quod eadem, ut spero, abstinentia consequar. Filio iam, et domesticis omnibus recte est. De gaudio Ciceronis ex Hirri repulsa, scripsisti diligenter, & præclare: sed me oratio ipsa, ad latini sermonis consuetudinem reuocata, non libenter a te dissentientem, in aliam tamen sententiam deducebat. siquidem, interesse, coniungit potius, quàm dirimit. itaque, quod nostra interest, idem ad nos pertinere, licet dicere. et, si hoc; sequitur illud, ut indignatio nō distet ab inuidia; cum τὸ νεμεσᾶν intersit τῷ φθονεῖν. sed alucinor fortasse: et hæc tu omnino melius, qui soles interiora perscrutari. Liber tuus, quēadmodum ex paginis, et diebus rationem duco, uideo fore, ut idibus Sext. aut plane abso-

absolutus ab operarijs nostris, aut inibi sit. itaque, uelim significes, quot ad te eius exempla, & cui da ri[illegible]lis. chartam probabis: habet enim amplitudi nem, & elegantiam: spero, item reliqua. mitterem Io. Antonio, bibliopolæ uestro; sed homo est, quod inter nos dictum sit, paullo ad rem attentior, quàm uellem. nisi remittat aliquid de sua consuetu dine, uix puto inter nos posse conuenire. ueruntamen quid ad nos? utamur alio, qui se præbeat æquiorem in transigendo, deinde bonum uirum in fide præstanda. quod totum prudentiæ tuæ committo. *Vale. Venetijs.*

EIDEM, Mediolanum.

Ego uero nihil minus uolo, quàm, nisi uacas, a te responderi. nam, etsi mirifice delector ingenio tuo, cuius imaginem in ijs, quæ a te scribuntur, epistolis magna sæpe cum animi mei iucundita te contemplor: tamen, ne me putes in ea hæresi esse, quæ ad se ipsam refert omnia, aliorum causſa minimum laborat. cogito ualetudinem tuam: cogito maximarum doctrinarum studia: amicis, & propinquis horæ dandæ sunt: inuitat humanitas; pietas cogit: cur ego te ista uelim deserere tam laudabilia, tamq. necessaria, studium ut expleas meum crebritate litterarum, quod expleri tamen nullo modo potest? De libro, teneo iam quid uelis. typis, quos probas, et charta, qua uis, utemur. initium

tium fieri ante quàm redierit is, qui totam officinæ curam sustinet, omnino uix potest. erat autem in Forum Iulij, sui negotij caussa, profectus. eius porro diligentiam, tum in charta, tum in toto impressionis munere, utilem, et necessariam esse, sæpe sum expertus. quo æquius hoc, quidquid spatij interponitur, uterque nostrum ferre debet. atque etiam, ne quid cælem, paullo eram conturbatior, ægrotante filio, quem de tribus unum habeo reliquú. O mi Ferrari, quantam tu debes Philosophiæ gratiam, quæ te a tot curis ad iucundissimum uitæ genus abduxit. quanquam fortasse hoc melius: et in agendo positam esse uirtutem, ne tui quidem Peripatetici negant. sed hæc omitto. In pecuniæ permutatione agnosco tuam in me beneuolentiam, pæne dixi liberalitatem. quòd si arcæ meæ consultum æque omnes uellent; quanto mecum ageretur commodius. nunc, mihi crede, secus est, nec me tamen reclamante. Vale. Cruceio, et Capræ salutem plurimam. Venetijs.

IO. ANTONIO TVRONEO, Vrbinum.

SI quisquam est, qui ex aduersa bonorum uirorum fortuna solicitudinem capiat; eorumq. mederi studeat incommodis; eum ego me esse profiteor. sed, cum ad opem ferendam nihil mihi suppetere præter uoluntatem intelligo; sic afficior, ut me ipso mise-

miserius esse nihil putem. quod si antea sensi, certe id in tuo potissimum casu mihi contigisse, nisi uel meam consuetudinem ignoras, uel ignorari a me tuum ingenium, tuam probitatem putas, debes opinari. Quanquam cum recordor, et eadem sæpe accidisse optimis uiris, et ubique uirtutem honestissimum habere domicilium; nec fieri nunquam, ut calamitas etiam gloriæ sit; nec ullum in te dedecus, aut facinus, turpe conferri; cum hoc æterna naturæ lege, unde humanæ leges, tanquam ex archetypo, describuntur, sancitum esse uideatur, ut uim ui liceat repellere, & sua cuique incolumitas prima sit: hæc, inquâ, memoria, et cogitatione dum pertracto; id quod, quasi solatium quærens, sæpe libenterq. facio; lenitur aliquantum doloris acerbitas, atque etiam tibi, quantum licet, in medio dolore gratulor: cui nisi loci mutatio grauis est; cetera, quæ uideris amisisse, leuiter ferenda esse censeo.

In loco autem quid te torqueat? species urbis? at ea, quæ ad oculos pertinent, nemo unquam sapiens neque in malis, neque in bonis esse duxit: et ego, qui longe a sapientia dissto, hæc tamen prorsus non amo inania, solitudine fruor, quantum possum, in hac mihi uiuo, & Deo: quod unum est beate uiuere. Amicorum consuetudo? quid? absentes non diliguntur? non, si uolumus, & quoties uolumus literarum sermone coniungimur? equidem, postea quàm discessisti, nescio quo modo crebrius etiam, quàm cum aderas, de te soleo cogitare: et mihi sci

to

to amicorum ſpectra, præſertim quos uirtus, & integritas commendat, eſſe iucundiſſima. ſin utilitatem aliquam, tuis neceſſariam rationibus, cogitas; non dubito, quin iſtuc, quidquid iacturæ factum eſt, breui maioribus etiam commodis reſarciatur. Nec uero, ſi me audies, utilitatem ullam cum ea doctrina conferes, quam tu auges quotidie in iſto otio, neminem curans, præter te ipſum: quod hic certe non contigit. magnum eſt, ſtudia poſſe colere quæ uelis, et quantũ uelis; tibi uni ſementem facere, tibi uni fructum colligere. at quem fructum? cui nec imber immoderatus, nec æſtus, nec ulla calamitas noceat, nec ſuauitatẽ detrahat, ſed augeat, quæ cetera omnia corrumpit, dies. Quòd ſi tibi, multorum philoſophorum exemplo, uitam in patria ducere, ob doctorum hominum infrequentiam, non perplacet: an dubitas, qnin te iſta cura nos amici tui, ſi quid noſter in te amor, ſi quid pietas ualebit, aliquando liberemus? quod tamen eiuſmodi eſt, ut non tam lætandum uideatur, cum euenerit, quàm non dolendum, ſi ſero, uel ſi etiam nunquam eueniat. nos enim in delectu rerum ſæpe fallimur: errore mentis tanquam ſalutaria, quæ noxia ſunt, adſciſcimus: unus euenta rerum proſpicit, unus igitur noſtra conſilia gubernet, ac moderetur Deus. cui ſi te totum permiſeris; ſi minimum in te ipſo, in eo poſueris omnia: mihi crede, ex iſtis moleſtiarum fluctibus emerges; nihilq. poſthac aut mali metues, aut boni fruſtra cupies: multa etiam, quæ

non

nec cupies, nullis accersita laboribus, aut studijs, ad te sua sponte confluent. Ego tibi opera, cura, diligentia, quæ nunquam in me desiderabis, fortasse etiam consilio prodesse aliquid possum: Rasarius, qui publicam personam gerit, etiam auctoritate adiuuabit; quem licet existimem, quantum ualet, tantum tua caussa uelle; tamen, suadeo, litteris eum interdum appelles; rogesque, ut respiciat fortunas tuas, & aliquid eis, atque adeo multum cogitationis impertiat. Caluino, sanctissimo uiro, mihiq. uetere beneuolentia coniunctissimo, amoris, et studij erga te sum ipse optimus testis: sed ætas iam obstat, quo minus ea, quæ res postulat, obire, & exsequi possit omnia. itaque, nisi me fallit opinio, totum in Rasario est. nam ego, ut scis, uel infirmitate ualetudinis, uel diuturna iam consuetudine, et uoluntaria quadam desidia, loca publica non admodum frequento: quo familiaritates intermitti, et ex eo amicitias, si quæ penitus uirtute nõ hærent, paullatim dissui necesse est. testimonium tamen iudicij de te mei nullo loco deerit. et de doctrina quidem, ut spero, fidem faciet oratio nostra: eloquentiam uero, in qua tibi quantum tribuam, cum alij, tum, omnium modestissimus, et ingeniosissimus adolescens, Franciscus Vianellus a me sæpe audijt, tua scripta facile probabunt. Vale. Venetijs.

Federico

FEDERICO GALLO. Vrbinum.

ITERVM iam te purgas, quòd in discessu tuo, menses fere quattuor abfuturus, ad me non adieris, quem, ut opinor, tui cupidum ac peramantem cognoueras. ego autem, etiam si repentinam illam discedendi necessitatem litteris minus excusasses; tamen, uide, quàm faueam amicitiæ nostræ, et quàm non stricto iure tecum agam; nunquam mihi persuaderi passus essem, hoc abs te salutationis officium uel nostri obliuione, uel contemptu, uel ulla omnino inhumanitate tua fuisse prætermissum. quare accipio excusationem tuam: speroque, te operam daturum, ne utaris ea posthac: idq. mihi scito fore iucundissimum. nam, cum semper dilexerim plurimum, a quo primum die mihi cognitus est, parentem tuum; cui te cupio, & spero simillimum fore in ijs artibus, quibus honestius, aut gloriosius esse nihil potest: tum uero studia tua, ingenium, quiq. lumen, et ornamentum ingenij sunt, mores ita me tibi adiunxerunt, ut omnibus te laudibus, libenter cumulem, nihil de te, quod indecorum, aut turpe uideatur; ne suspicari quidem uelim. Equidem mirifico tenebar desiderio tui, tum, ut mandata darem, de quibus ageres cum parente tuo; tum etiam, ut, quo tibi studiorum genere totam ætatem in patria traducendam statueres, a te ipso

ipſe cognoſcerem: ut uel ex optima tuorum conſilio rum ratione uoluptatem caperem; uel, ſi quid contra ſentirem, indicarem ſententiam meam. quanquam, cum domi habeas, unde diſcas, et unde præclara quæque ſumas; neque te meis, neque cuiuſquam egere præceptis intelligo. ueruntamen uerus amor latere non poteſt, oſtentat ſe, ubi etiam minime opus eſt. Ac tu quidem percommode feceris, ſi, quod coram non licuit, fortunæ potius culpa, quàm tua, id tibi agendum per litteras exiſtimabis, ut aliquid de quotidiana tua tum lectione, tum etiam, ſine qua lectio pæne inanis eſt, ſcriptione ſignifices. non enim te puto uel deſidiæ quidquam loci relinquere, uel ijs leuitatibus, in quibus plerique adoleſcentes inſaniunt, operam perdere. ſcis, quod ſapientiſſimi homines prodiderunt, imitatricem boni uoluptatem falſa ſpecie decipere, illecebram eſſe turpitudinis, eſcam malorum omnium, qua capitur ætas improuida, nec ſe captam ſentit, niſi cum imprudentiæ pœnas luit. atque hoc in genere labi, et errare, cum ceteris turpe ſit, ijs uidetur eſſe turpiſſimum, quibus ad amplectendam honeſtatem præcepta non defuerunt. et, præcepta ſi ualent, quæ tibi ego, pro meo in te ſingulari ſtudio, deeſſe non patiar: quanto plus ualere exempla æquum eſt, præſertim quæ poſita ante oculos ſunt, quæ tibi nunquam intueri non licet, quæq. familiæ tuæ quantam quotidie laudem pariant, facile poes intelligere. itaque non a te mediocre aliquid,

ſed

sed summa omnia exspectari, nec exspectari solum, sed exigi etiam quasi debita, debes cogitare. quæ si præstas; lætitia quidem parentes tuos, quibus potissimum, & patriæ natus es, afficies incredibili; te ipsum autem perpetuis instrues, maximisq. bonis; nec illa timebis externa, quæ casus, et fortuna inuehit; sed, a te ipso pendens, nullis obiectus iniurijs, firmissimo artium optimarum præsidio munitus, uitam deges beatissimam, æternaq. posteris tui nominis memoriam relinques. Vale. Venetijs.

OCTAVIANO FERRARIO, Mediolanum.

O PRAECLARAM παλινῳδίαν. *at ego, tuarum litterarum memoria, contuleram in eum perpetuo quodam studio, quidquid præstare poteram officij, operæ, diligentiæ. nec me tamen pœnitet, eò processisse, unde nunc tu ipse pœne reuocas. mutare autem consuetudinem, præsertim in bene merendo, uix licet. nam illa superiora, si doctrinæ non uis, in quo me fefellit opinio, humanitati certe dedimus. nunc dandum esse aliquid constantiæ, ne nostrum damnemus institutum, profecto uides. uerum absit iam hoc argumentum a litteris nostris: ualeant ea, quæ iucunditatem non habent, quam equidem non modo ex tuis elegantissimis epistolis, uerum etiam cum ipse ad te scribo, capere mirificam soleo. nihil est tanti, quod cum sermonibus*

nostris

nostris permutari debeat. nec, de nobis ipsis quod scribamus, deesse unquam patietur mutui amoris abundantia. Et, ut ad meas ineptias redeam, ego de, interest, cum generandi casu, quale est, τὸ μεσὸν interest τοῦ φδονεῖν, quod sine dubio coniungit, intellexeram: at tu exempla recitas cum dandi casu: quæ disiungunt illa quidem, sed ad locum Ciceronis, ut ego sentio, nequaquam pertinent. nō enim te fugit, ubi cum uerbis diuersa nominum societas est, ibi sententias quoque uariari. De libris tuis, quos bibliopolæ committas, dedi negotium homini domestico, ut a peritis de ratione uecturæ cognosceret, eosq. quamprimum istuc mitteret. quod ille, ut est omnibus fere iucunda negligentia, fortasse non dum fecit. urgebo litteris, & mandata renouabo. Suilla farcimina curaturum te significas; in quo amo uoluntatem tuam. quod autem addis, non ante, quàm extremo mense; ne, cum recentia sint, inclusa corrumpantur; consilium probo. et, quoniam uestra istius generis opsonia, qui palato sapere putantur, sine exceptione laudant; nec artes quæstuosas officinæ temere dediscunt; puto fore suauissima. Sed audi, quod esse totum aliud intelliges, id est aliquanto magis ad me pertinere. κακοσόμαχοι sumus, & cruditate laboramus: id quidem a pueritia: sed auxit uitium assiduus litterarum usus: quo adempto, quæ nobis, qui uulgaria contemnimus, delectatio, uel potius quæ uita superest? quare ignosce, si mihi non impe

ro: quod ne tu quidem, opinor, facis. quæsitum inter medicos est, ecquid adiumenti aquæ sulphureæ potus afferre posset. uarie sentientibus, recusaui; ne, quod aiunt, de sorte etiam in dubium uenirem. de gutta capiti instillanda sermo fuit. ne hoc quidem placuit: ne memoriam periclitarer. uentum denique ad uictus rationem. præbui me facillimum, quidquid uellent. in primis radicem probarunt, quæ irios uocatur: quam condiri apud uos egregie, fertur. eam igitur, quod tuo commodo fiat, uelim perquiras, inuentamque, & mediocri uasculo diligenter inclusam cures aliqua ratione perferendam. quidquid erogaueris, bona fide, cui uoles, hic numerabitur. Alexandri ὑπόμνημα, non dum ab eo, cui frater commodauerat, extorqueri potuit. nec ego ursi uehementer, postea quàm, non ab Aphrodisiensi, cuius in eo libro mentio fit, sed a posteriore Alexandro scriptum cognoui: quod etiam χαρακτὴρ declarat. Vale, & Cruceio, Capræque, communibus amicis, familiaribus tuis, quos utinam aliquando complectar, salutem plurimam. Patauij.

IO. BAPTISTAE RASARIO, Venetias.

Amo te uehementer de Ferrarij epistola: quæ mihi ita placuit, ut nihil unquam legerim libentius. sane causam suam diligenter agit, & mihi

hi quidem egregie probat. quanquam multis iam annis eam imbibi animo de illius ingenio, doctrinaq. opinione, ut errare nihil credam, si quis multorum rationibus unam eius auctoritatem anteponat. quam tibi quoque sententiam probari, cum intellexerim antea; cumque, ut uere dicam, hoc hoc ipso nomine plurimum accesserit ad beneuolentiam in te meam: cupio te nũc ne leuissime quidem a te ipso dissidere; idq. mihi tum facile, pro eo iudicio, quod de tua uirtute semper habui, tum etiã, pro meo erga Ferrarium singulari studio, libenter persuadeo. Sed, ut redeam ad epistolam; uides, quàm erudite, quàm ingeniose disputet; quàm tecum amice, quamque, ut apertus nec ulla tectæ simulationis labe suffusus eius animus est, ingenue, & simpliciter agat. alienatæ uero a te uoluntatis, cum caussa nulla subsit, ne signa quidem ulla in eius litteris mihi uideor agnoscere. de quo quia te non nihil ex epistola tua sensi laborare; nec iniuria: uetus inter nos amicitia fuit, eritque, ut spero, uitæ æqualis, maximis illius in te meritis, ex tua mihi prædicatione cognitis, non uulgaribus tuis in illum officijs cultu: purgabo te apud eum primis litteris accuratissime; nec ab illo probata damnasse, aut omnino in dubium reuocasse, sed quæsijsse non nulla tanquam a magistro tuo, ueteremq. in eo consuetudinem retinuisse, si uolueris, ostendam. non dubito, quin, si qua ei de tuo sensu, quod equidem uix opinor, suspicio hæsit, amoueat, ac se tibi quã-

primum restituat. noui hominis lenitatem: beneuolentiam in te uidi: isq. meæ in te beneuolentiæ fons, ea primum origo fuit. nec enim, quæ de te olim ad me scripserit, possum obliuisci, nec, si possim, uelim. Illud a te, mi Rasari, si quid nostra etiam caussa uis, etsi necesse non arbitror, tamen uehementer peto, &, si pateris, rogo, non ut optimum uirum, doctissimum hominem, Ferrarium, tuæ laudis auctorem, quando is tibi ad philosophiã aditus aperuit, uiamq. muniuit, obserues, ac diligas; quod a te fieri, certo scio; sed ut in omnibus officijs, quæ ad illius non modo dignitatem, sed etiã uoluntatem pertinebunt, certare mecum uelis. in quo te mihi parem esse percupio, uinci nunquam patiar. Vale, & Magium nostrum, singulari adolescentem ingenio, tibi pro tua doctrina, mihi pro meo in eum non mediocri studio deditum, salutata. Patauij.

HAEC dictaui, ut soleo, filio meo. nam, ut scriberem ipse mea manu, neque per medicum licebat, nec sane stomachi ferebat imbecillitas.

ANTONIO ROLANDO.

STVDIVM tuum in exhauriendis mandatis meis, celeritas in rescribendo, quorum ego a te alterum pro nostra coniunctione exspectabam, alteram autem pro tuis occupationibus postulare uix audebam, magnam habent significationem amoris

ris in me tui: cui quidem, si paribus non licebit officijs, pari saltem ut amore respondeam, operam dabo: nec dubito, quin consequar: atque etiam, quod mihi uel iniurato uelim credas, me iam esse consecutum intelligo. qui enim, tua quæ fuerint erga me officia, meæ quæ sint partes, aut ignorare possum, aut non assidue cogitare? Ego, Rolande, quo primum die, cum lectissimo adolescente, familiari tuo, itemq. meo, Andrea Duditio, accessisti ad me, dilexi mores tuos, in quibus ingenui multum pudoris, qui probitatis index est, multamque prudentiam elucere uidi. paucis diebus, cum de nostris delectationibus, id est de communibus litterarũ studijs colloqueremur, probasti mihi ingeniũ, doctrinamq. tuam, & ad meam de te opinionem, Duditij testimonio excitatam, plurimum addidisti. postea facile inter nos exorta familiaritas: uel quòd multis in rebus nostri sensus congruere uiderentur, & latentis quædam naturæ uis animos utriusque coniungeret: uel quòd assiduitas tua pæne quotidiana, ususque domesticus nihil amicitiæ nostræ deesse pateretur. Me deinde Venetias rationes meæ, te non ita multo post Lutetiam uocarunt studia tua. manet amor tamen, in me quidem is, qui fuerat præsente te, uigetq. memoria tui, nec locorum, aut temporum interuallis unquam euanescet. quòd nisi me tuæ laudis magna quædam cupiditas teneret; angerer, quòd abes, &, ut audio, abfuturus es: sed, uersari te in ista eruditorum ho-

minum celebritate, frui consuetudine, doctrinaque Hadriani Turnebi, quem iam pridem omnes cantant, ego orno, quantum possum, in sermonibus meis, nisi uehementer gaudeam; te non amem, nec, quem ames ipse, quod in primis cupio, dignus sim. Quare, nostra etiam caussa contende, ut, quo consilio Lutetiâ petiuisti, id quammaxime, quamq. licet celerrime consequaris. refer ad nos illa præclara, quorum gratia discedendum tibi a tuis, perferenda longi itineris incommoda, asperrimarum alpium perpetuis obsessa niuibus iuga non sine magno periculo superanda existimasti. Quo de genere tecum agam breuius; quia, sensus cum optime tuos habeam cognitos, non dubito, quin sæpe tibi ueniat in mentem, ex ista urbe, quò, tanquam ad amplissimum artium ingenuarum mercatum, libenter omnes confluunt, inanem redire, quàm non deceat. Quòd si te, studio cognitionis incensum, cetera, quæ istic habes plurima, liberalium doctrinarum adiumenta deficerent: unus tamen idem ille, quem paullo ante nominaui, qui præter ceteros cũ litteris humanitatem, græca cum latinis, antiquæ philosophiæ scientiam, quod e scriptis eius facile cognouerim, cum elegantiore doctrina coniunxit, unus, inquam, tibi instar esse omnium Turnebus, unus & suo te commouere exemplo, & suis adiuuare plurimũ documentis, consiliisq. posset. cuius ut a latere, quoad hominis permittet humanitas, ne unquam discedas, & istam urgeas occasionem,

diuin-

diuinitus datam, adipiscendæ uirtutis, si tu is esses, qui naturam humanam sola perfici uirtute nescires, hortarer etiam atque etiam: idq. libenter tribuerem amicitiæ nostræ: sed cauendum intelligo, ne γραῦς ἀδύνας; cum tu ibi sis, unde ad alios præclara instituta, unde laudabilis uitæ ratio, & sapientia fere manat omnis. Viam, et rationem latine scribendi, obsecro, mi Rolande, cur a me petis, cum is, quo ego uno magistro sum usus, & tibi, & omnibus Cicero pateat? an tu me uel huius generis recõditum aliquod tenere artificium putas, a quo longe absum, uel, si tenerem, posse fieri, ut ab ullo, præter quàm ab hoc ipso, cognouerim? nec tamen, utiliter quædam præcipi, & ad artem posse redigi, negabo: sed mihi ne tantum oneris imponis, cui nec a domesticis curis otij multum est, & id ipsum, quod est, uel amicis officij causa, uel ualetudini necessario tribuitur? Scripsi olim de meis exercitationibus, nescio quid, a nobilissimo uiro, bonarum artium patrono, Stephano Saulio rogatus: & fortasse digitum ad eum fontem intendi, quò si accesseris, non dicam equidem istam eloquentiæ sitim explebis, sed, ut arbitror, nihil inde non purum, nihil inquinatum hauries. extat ea, cum aliis edita, epistola. si uidebitur, leges: aut, si legisti, & quæris amplius; a me cur exspectes, quem respirare negotia non sinunt, hoc quidem tempore non est: pete ab istis, qui uacant, optimis & scribendi, & iudicandi magistris. De Laertio, &, quod egi

sti, pergratum est; et, quod actutum te ô dis, id si præstabis, maximam inibis a me gratiam. Turnebus, ut me plurimum diligat, quod certe mu tuo faciet, exopto: plurimũ ut mihi tribuat, quod litteræ tuæ significant, non postulo. quid enim ego sum? aut, si esse aliquid uideor, præ illo tamen quid sum? non enim χάλκεα χρυσείοις unquam cõferam, ne cum Homerico Glauco errem; sed χρύσεα χαλκείοις anteponam semper. Ille est, cui iure omnia tribuantur, qui iam peruenerit eò, quò nobis adspirare non licet. Saluta eum meis uerbis, cum ueterrimo amico meo, spectatæ uirtutis, & industriæ uiro, Carolo Stephano. Vale. Venetijs.

CAROLO SIGONIO, Patauium.

EGI *diligenter, quod mandaueras. præcisè negauit, ac uisus etiam non nihil molestè ferre. sed, mihi crede, huius generis pæne magistro, uestri sensus non congruerent. nihil morosius. o multa in omnibus intolerabilia: quæ nobis tamen, mi Sigoni, qui a libris nescio quid plus, quàm ceteri, sapere didicimus, ferenda sunt. quanquam tibi quidem, pro tua prudẽtia, atque etiam pro superioris uitæ perpetua consuetudine nihil difficile. Sed, Patauij te nunc esse, in celeberrimo Italiæ theatro, ubi spectantur, et notãtur acerrime, quidquid agas, quidquid dicas, & sæpe mihi, nec unquam sine aliquo me-*

metu mentem uenit. sic sunt, qui amant: omnia cupiunt, omnia timent. Vides, quo te in loco tua uirtus, quanta omnium exspectatione, constituerit. nihil mediocre præstandum est: nec, ut cum alijs, quibus te iam doctrina, industriaq. antecelluisse omnes iudicant, sed ut tecum ipse certes, teq. ipsum, si licet, uincas, omniq. laudis genere cumules, elaborandum. quæ, cum, ad quem scribam, considero; & cum mihi singularem tuam rectissimis in studijs cupiditatem, ac diligentiam propono; miri fice lætor; nec me tamen pœnitet hoc nostræ necessitudini tribuisse, ut ea legas a me scripta, quæ minime necessaria duxerim. Hesternum diem puto te mutuis cum Pace Scala sermonibus iocundissime traduxisse: quem uolo a te amari plurimum: uel quòd ab illo te quoque amari plurimum sensi: uel quòd eo nihil humanius, nihil amabilius. præterea, quod te uehementer mouebit, multis nominibus ego illum in oculis fero: nec in eo riuales habeo paucos. Faloppio nostro si discessum meum excusaueris, cum uxoris morbus urgeret; gratissimum erit. nec tamen diutius hic me commoraturum puto. tanti nihil est, ut uobis carere possim. Interim uale, et, si uacat, scribe, non accurate, sed, ut ego nũc, quidquid in buccam: ne pereat fructus nostrorum sermonum: quem si litteræ restituent; haud nullo tecum leuius absentiæ tuæ desiderium: cuius ignicu lum, e cubiculo meo cum discederes, sentire cœpi: nec deinde tuum spectrum discessit ab oculis meis. Venetijs.

PAVLI MANVTII

MARCO ANTONIO MVRETO, Romam.

GAVDEO, mi Murete, quod profecto etiá me tacente existimas, te nauare operam regibus, ingeniumq. tuum, qaod ego semper unice dilexi, extulíq. laudibus, a tanto Pontifice, & ab uniuerso Cardinalium Collegio uehementer probari. nam si qui aliter sentiunt: quanquam quis est, qui aliter sentire possit? ueruntamen si qui fortasse reperiantur, quos liuor impediat, quo minus recte ac sincere iudicare possint; de ijs laborandum non erit: cũ te præsertim ille noster, quem sequuntur multi, sed ille præter ceteros, qui nobis quasi μητέρα ζῆν debet esse, non mediocriter ornet, atque diligat. Hæc altera tua oratio priorem illam uel æquat, uel uincit, sententiarum, uerborum, ordinis præstantia. quo in officio, ac munere cupio te pergere. simul enim perges in expedita, maximeque directa gloriæ uia, per quam processisti iam longissime, nemine præcurrente, me fauente plurimum. De tua in me beneuolentia, cum recordor meam, dubitare non possum: meum in te animum expertus iam es: eundem si & esse nunc, et perpetuo futurum arbitraris; non fallam opinionem tuam. nam & mea non solum consuetudo, sed etiam natura ita postulat: & tu perficis eas laudes, quarum principia me olim,

olim, ſpectantem id, quod præstare te nunc uideo, in tui amorem impulerunt. Habeo summas gratias, quas agi a te cupio, Archiepiſcopo Beccatellio: eumq. meo nomine, ut quàm licebit officioſe, quamque plurimum ſalutes, ualde rogo. Duditius, ut ſcribit ad amicos, floret honoribus in patria, carus Imperatori, iucundus omnibus. noſti humanitatem, & ingenium: doctrinam auxit a diſceſſu tuo, quantum uix credas: itaque ſumma omnia de illo adoleſcente ſperare nobis licet. Duareni obitu, de quo heri primum a Germano homine, qui ex Gallia recens uenerat, accepi, damni plurimum in iure ciuili factum eſt. equidem dolui uel tua cauſſa, quòd eum a te amari ſenſeram. quanquam hæc, ſi ferret humanitas, prorſus dolenda non eſſent. quid enim proficimus? angi quidem grauius, neque communis condicionis neceſſitas concedit, & uitæ commutatio, breuiſſimæ cum æterna, miſerrimæ cum beatiſſima, ualde uetat. Ego nunc, quod acceptum diuinæ benignitati refero, quodq. tibi puto fore iucundiſſimum, ualetudine utor ſatis commoda, oculis quidem optimis, quod aliquot annis non contigit. itaque, cum otium non ferrem, (ſcis enim me quieſcere non poſſe) commentarios in reliquas Ciceronis epiſtolas cœpi texere: &, ut initia ſunt, prorſus induſtria non οἴχεται. abſolui, ut mihi quidem uidetur, maiorẽ partem, id eſt tres primos libros, &, extra ordinem, octauum. in quibus, ut dixi iam, niſi me communis φιλαυτία decipit, non uidetur

detur opera male collocata. Habebis in Pausula de Petro Fabro, tuo dicam, an meo? ita me triduo cœpit, sibiq́. deuinxit ingenio, humanitate, prudentia. plane uixi, quàm diu mecum fuit: nec mediocri sum amore discedentem prosecutus: næ tu, si nihil præterea mea caussa uelles, qui & uis, & egisti iam plurimum, tamen hoc uno munere, quòd auctus per te sum tam ornati adolescentis amicitia, meis omnibus in te studijs, quæ tu merita uocas, optimam gratiam retulisti. Vale. Venetijs.

HIERONYMO CAPILVPO, EPISCOPO FANENSI.

SANE *postulabat mea peruetus in te obseruantia, ex ingenij tui præclaris orta monumentis, ut aliquid ad te litterarum darem: sed me dignitas tua semper, & persona deterruit, uerentem, ne, talem uirum, tantarum rerum occupatione distentum, inanibus appellare litteris, pudentis hominis non esset. nunc, ut uere dicam, pæne accuso modestiam meam, quòd, dum cogito ad te scribere, nec tamen consilium explico, interea tua fecit singularis humanitas, ut anteuerteres. quanquam cur ego apud te, maximarum uirtutum laude præstantem, ad quas mihi adspirare nõ licet, plus residere officij moleste feram, cum præsertim hoc ipsum amoris in me tui, quo equidem antiquius nihil habeo, non obscurum argumentum esse uideatur. Quocirca, ut inter-*

interdum me pudet pudoris mei, quòd nihil ad te scribere sim ausus, cum tamen maxime cuperem: sic ista tuæ uoluntatis erga me declaratione, istis etiam laudibus, quibus me ornat epistola tua, mirifice delector. noli enim existimare, si quid unquam meis laboribus, ac uigilijs non contemnendum præstiti, me fructum ullum, aut mercedem præstantiorem exspectasse, quàm quæ ex tuo, tuiq. similium iudicio, ac testimonio percipitur. quod si assequor, triumpho. sin, quod suspicari facilius possum, ita me laudas, ut quasi deficiente in cursu tua uoce impellas: ne sic quidem uulgari me munere obstringis, cum ad cohortandum, atque incitandum, si ulla res, certe tua plurimum ualeat auctoritas. itaque enitar, ne tu me nõ bonum tuarum litterarum interpretem fuisse putes. incumbam enim paullo acrius ad ea, quæ qui possidet, iure laudem fert. Tibi uero, quòd ad me tam humaniter scripseris, quodq. ultro ipse mihi diu exoptatum ad tuam amicitiam aditum aperueris, si, quam debeo, gratiam referre non potero, habebo saltem, ut priores officij partes re potius tibi, quàm studio et uoluntate concedam. *Vale. Venetijs.*

NICASIO CASLETANO.

QVANTVM *mihi uoluptatis attulerant litteræ tuæ, summæ tum humanitatis, tum etiam doctrinæ notis insignes: tantum postea doloris, ac mo-*

moleſtiæ, erepta ab aduerſam ualetudinem reſpon
dendi facultate, ſuſcepi. non enim aut is ego ſum,
cui quidquam prius officio ſit; aut eum te eſſe ex
Duditij litteris cognoui, cuius amicitia contemnen
da potius, quàm appetenda uideatur. ſed omitto
Duditij uel teſtimonium, quod apud me ponderis,
ſicuti debet, habet plurimum, uel uoluntatem, cui
libenter omnia tribuerem: ipſa, quam ad me miſi-
ſti, epiſtola, quid eſt, quod impetrare non poſſit?
ſcripta primum humaniſſime, cum beneuolentiam
in me tuam ſignifices, meam exoptare uidearis:
deinde ita eleganter, ac diſerte, (ne uiuam, ſi men
tior) ut ego tibi in hac eloquentiæ laude comparem
ſane pauciſſimos, anteferre debeam neminem. Qua
re, cum iſtam animi tui ſingularem in me aman-
do, atque etiam laudando liberalitatem libenter
amplector: tum uero, me tibi parem in utroque uo
luntatem reddere, idq. non tam officij tui magnitu
dine prouocatum, quàm iudicio facere, uelim exi-
ſtimes. Tu uideris, quid de me ſentias, et quo me
loco reponendum ſtatuas: non enim ita laudem
aſpernor, præſertim quæ ab ijs, de quibus bene om
nes exiſtimant, proficiſcitur, ut quam de ſtudijs
meis opinionem ſuſcepiſti, eius deponendæ, aut im
minuendæ, tibi auctor eſſe unquam uelim. Ego,
quod ad me attinet, ſi qua tui dabitur facultas or-
nandi, plena manu tuas uirtutes ad cælum tollam:
ſtudio quidem, & amore ne uincar, et enitar, ut
ſoleo, diligenter, et, ut ſpero, conſequar. præſen-
tem

tem, licet mutui sermonis suauitatem longinquitas aufert: litteris tamen, si ualebo, quod adhuc non contigit, ne prorsus abesse uideamur, operam dabo. Vale, & Duditio meo salutem. Venetijs.

IVLIO BELLOGRADO, Vtinum.

AMABAM te antea, mi Iuli, quòd esses eo patre natus, cuius excellentem probitatem, atque doctrinam non præsentes modo, sed longinqui etiá prædicant, ego summam in me humanitatem sæpe sum expertus: nunc, ista indole, isto te ingenio præditum esse cum intelligam, ut paternam uirtutem, tanquam amplissimum patrimonium, non modo conuersare, uerum etiam augere possis; an dubitas, quin omnia in te studia libentissime conferam? quibus addam officia, cum licebit: &, ut sæpe liceat, exopto. Perge, adolescens egregie, mihiq. carissime, in isto ad laudem cursu. uiam iniuisti, quæ te ad immortalitatem feret, directam, expeditam, a uulgi erroribus longe remotam. quo tibi nomine gratulor, mihi gaudeo plurimum, et, ut perpetuo gaudeam, futurum confido. species enim uirtutis eximia, quo propius eam aspexeris, eo te commouebit magis, & amorem sui mirabilem excitabit. interim contemplare actiones prudentissimi uiri parentis tui: ad eius te imitationem totum finge, atque conforma; ut haurias ab eo laudem tuã, quam

quam capere uberiorem ex nulla disciplina possis. Me uelim existimes omnibus de te maxima polliceri, & in te amando, si patrem excipias, nemini concedere. Filius meus te sibi maioris fratris loco ducit; nec ullum tui ornandi, quantum in ipso erit, locum prætermittet. Vale.

HIERONYMO SERIPANDO, CARDINALI CREATO Romam.

A QVO primum tempore aliquid sapere, id est a uulgi opinionibus dissentire cœpi, semper ita iudicaui, multo esse optabilius, multoq. præstantius, consequi uirtutem ipsam, quàm ornamenta uirtutis. itaque nunc, allato de tua dignitate nuntio, quem hic ingenti lætitia boni omnes excepe-runt, non sane tua caussa magis, quàm antea, pro communi quidem Ecclesiæ bono, cui tantum ex honore tuo præsidij, tantum splendoris accesserit, magnopere sum lætatus. tu enim is es, cuius animus hæc humana nunquam spectauerit, semper omnem spem, omnemq. gloriam, ac felicitatem in uno Deo, et in illa cælesti uita, recte, ac laudabiliter agentibus proposita, collocarit. cui sunt occultæ mirabiles illæ tot annorum cogitationes, actiones, conciones tuæ? quæ si obscura fuissent, uno illo facto illustrarentur maxime, cum illa præfecturæ generalis insignia, quæ libenter omnes assumunt, multo

munsciose libentius deposuisti. Quocirca non equidem magis, quia nunc Cardinalis es, quàm quia semper ita uixisti, ut Cardinalium Collegio dignissimus esses, et mihi, & omnibus lætandum intelligo. nec uero singularem, ac diuinam Pij IV. Pontificis Max. sapientiam admirari, et efferre laudibus unquam desinam, qui uexatam assiduo prauarum opinionum impetu, nec mediocri periculo fluctuantem Christianæ reip. nauem, auctoritatis, et doctrinæ tuæ pondere constituendam putauerit. itaque non iam illas a septemtrione horribiles procellas, a quibus antea naufragium impendere uidebatur, posthac timebimus. Pio IV. gubernante, quod utinam diuina benignitas diuturnum esse patiatur, tua Seripande, tuorumq́. similium ope, summa tranquillitate perfruemur. id & speratur, iam indicto Concilio, quod unicum tantis malis eximia superiorum Pontificum sapientia remedium inuenit: &, mihi quidem si contigerit, ut ad eam diem spiritum ducere liceat, cum sublatas in perpetuum exitiosi dissidij caussas, unam in communi salute uoluntatem, unum gregis uniuersi pastorem, ac moderatorem uideam; satis me uixisse arbitrabor, & plane lætus ex hac uita discedam. Interim fruar exspectatione; & tibi, tuisq́. uirtutibus, quas omnes laudant, utinam imitari multi uellent, eam, quam debeo, obseruantiam, beneuolentiamq́. præstabo. Vale. Venetijs.

ALOYSIO ESTENSI, CARDINALI CREATO, Ferrariam.

MVLTA, & magna Principibus uiris, inter quos, Aloysi præstantissime, tua præcipue nobilitas elucet, ad studium eximiæ laudis adiumenta suppetunt: quæ si comitatur uoluntas, excellunt facile, sic, ut ad immortalitatis præmia, cum quibus non opes, non imperia sapientes comparant, expedita quadam, & quasi compendiaria uia perueniant. Hoc tibi contigisse, cum omnes antea faterentur, grauissimum accessit Pij IV. Pontificis Max. testimonium, qui te, diu expetitum, pæne recusantem, non rogantem quidem certe, in amplissimum Cardinalium Collegium, ipso maxime comprobante Collegio, summa bonorum lætitia, proxime cooptauit. Restat, quod futurum nemo dubitat, & tua superior uita pollicetur, ut istum honorem pro tua, maiorumq. tuorum dignitate administres. quod facile consequeris, si te, quidquid statues, quidquid ages, Cardinalem esse cogitabis, id est ex eo Ordine, unde maximi, ac præpotentis Dei Vicarij, rectores humani generis, Pontifices deliguntur. Locum tenes, quem summa dignitas illustrat, & in quo nullum neque dictum, neque factum obscurũ esse possit. nec tibi aut a natura quidquam, aut a fortuna denegatum est, quo minus amplissimo

plissimo te dignum sacerdotio præbeas. operosum aliis, & perdifficile sit, ut est omnino, ac semper fuit, recte, & laudabiliter agere: Aloysio Estensi, in tanta ingenij, animique præstantia, tam propensa ad honestum uoluntate, tantis etiam opibus, quis aditum ueræ laudis non patere, quis æternæ iter gloriæ non esse facillimum existimet? Gaude igitur tam excellenti bono; & incumbe totus in eã curam, ut antiquum familiæ tuæ decus, per tot sæcula, tot Ducum, tot Regum, & Imperatorum uirtute partum, non tueare solum, uerum etiam uehementer augeas. nam nunc quidem eo tantum nomine tibi gratulamur, quòd simul cum isto honore præclaram sæpe exercendæ uirtutis occasionem accepisti. cumulabitur lætitia, & erit aptior gratulandi locus, cum hæc honorum insignia, quæ multis oneri fuisse constat, iustitia, pietate, omnique beneficentiæ genere ita sustinebis, ut & optimi Pontificis iudicio, & bonorum exspectationi, qua nulla maior unquam fuit, egregie satisfacias. quod euenturum breui, omnes confidunt: ego, pro meo in te singulari studio, quasi iam euenerit, præsenti gaudio cupiditatis meæ fructum capio. Vale. Venetijs.

IO. BAPTISTAE SARACIO, Ferrariam.

SEMPER equidem existimaui, quod tu quoque sentis doctissime Saraci, non minimum fortu-

næ præstare uirtutem; in qua etiam una satis esse ad bene beateq. uiuendum putarunt multi: tamen incidunt quædam tempora, cum ipsi etiam habenda fortunæ gratia uideatur. quod mihi nunc gaudeo contigisse. nam cum, aliquot abhinc annis, consentiens multorum sermo, eximias ingenij tui suauitates assidue prædicantiũ, in eam me uoluntatẽ, ac mentem adduxisset, ut diligerem te uehementer, & colerem: casu accidit proximis diebus, ut auctoritas tua, magnis atque perpetuis erga Principes tuos meritis, uirtutibusq. parta, expedire me hærentem, atque impeditum per difficili negotio posset. hoc ego fortunæ meæ non uulgare beneficium esse duco. alterum est tuæ uirtutis, quòd, cum tibi meam cupiditatem uir egregius, omniumq. humanissimus, Paulus Sacratus ostendisset, contulisti statim ad rationes meas studia tua, spemq. nostrã, iam prope languentem, atque abiectam erexisti, & confirmasti promissis primum, deinde etiam officijs tuis. quo quidem in me singulari merito, quibus tibi uerbis gratias agam, plane non reperio. uincit enim, uincit prorsus, optime Saraci, ingenium meum humanitas tua. sed hoc ipso fit uirtus illustrior, cum in eos beneficia conferuntur, qui satisfacere non modo ipsa re, sed ne uerbis quidem ullo mõdo possint. quod tibi persuasum esse quis dubitet, qui consuetudinem bene merendi tuam, a præstanti quadam natura ortam, liberalium doctrinarum studio mirabiliter auctam, cognouerit? ue-

runta-

rumtamen, quando mihi non simul cum facultate uoluntas quoque eripitur remunerandi, non nihil in molestia gaudeo, & fruor tacitus officij conscientia, nec tamen futurum desspero, ut, quæ mihi nunc ad grati animi significationem deesse uerba sentio, eadem aliquando abundent, in tua benignitate apud alios prædicanda. Interim sine me hoc impetrare ab humanitate tua, ut multo maiorem esse putes obseruantiam, ac beneuolentiam in te meam, quàm ullo unquam a me exprimi, ac declarari officio possit. quod si, ut spero, facies; mihi crede, præsentem gratiam, quam ex primis Sacrati mei litteris absolutam exspecto, haud paullo maiore gratia cumulaueris. Cupio, nisi graue est, a te salutari meis uerbis Ioannem Baptistam Pignam, & Franciscum Seuerum medicum Argentensem. Vale. Venetijs.

PAVLO SACRATO, Ferrariam.

Solet interdum euentus esse gratior, quàm caussa, interdum etiam caussa, quàm euentus. me delectauit utrunque pariter in litteris tuis. nam, et ut latine ad me scriberes, homo tum domesticis curis, tum etiam sedandis, ut audio, multorum controuersiis assidue distentus, certe amor impulit, atque humanitas: & epistola tua ita mihi ornate, ita copiose omnes non modo animi, uerum etiam

ingenij tui partes expressit, ut nihil unquam legerim libentius. Ego tibi antea, optime Sacrate, tribuebam sane multa, quæ pauci consequuntur, prudentiam, integritatem, doctrinam, maxime uero præstantem quandam ad excolendas officijs amicitias & uoluntatis, & naturæ propensionem: istam uero orationis exornandæ facultatem, quæ cum multi temporis, magnæque uidetur esse industriæ, tum uero, ut ego sentio, atque usu etiam didici, ab intimo quodam, planeq. recondito depromitur artificio, uix putabam tibi inter diuersa plane studia posse contingere. sed uidelicet id me fefellit, quòd ingenium tuum communibus metiebar exemplis: nec mihi ueniebat in mentem, auunculi tui Cardinalis, Iacobi Sadoleti, præceptis, & consuetudine domestica aditum tibi ad omnem gloriam esse patefactum. nam cum ille cunctis uirtutibus, quas laudabit posteritas omnis, assequetur fortasse nemo, bonorum, ac sapientium iudicio uirorum excelluerit: hac tamen in primis latine scribendi laude ita floruit, ut ueteres illas propemodum æquauerit, nos quidem, per eandem uiam cupientes excurrere, longe reliquerit. sed, ut ex epistola tua conijcio, conseruabis hoc quasi patrimonium, familiæ uestræ proprium; & hæc tibi communis hereditas erit cum patrueli fratre tuo, Paulo Sadoleto, quem omnes homines ad egregia quæque natum intelligunt. Equidem in hoc mihi ipse plurimum gratulor, qui tibi harum litterarum, quibus nescio

an

an quidquam non modo humanius, uerum etiam ornatius esse possit, causſam dederim. nam Ioſephum Faſinardum, quem ob eius doctrinam, & mores egregios uehementer amo, oblitum arbitror modeſtiæ ſuæ, cum de me loqueretur, & utrunque ueſtrum in eo conſenſiſſe, ut ille, te libenter audiente, pro ueris falſa narraret, aut certe ueris plurimum affingeret; tu illi, plena manu, ut ſæpe prodigus amor eſt, ea, quæ prorſus non agnoſco, in me conferenti, pro tuo in me ſtudio libenter, & facile crederes. utinam quidem, qui uobis nunc eſſe uideor, is aliquando eſſe poſſim: quod quia ſperare non licet, ne cur optem quidem eſt. Meus in te animus (quid enim præterea pollicear?) officio erit, mihi crede, ſingulari: quæq. a te in meis rebus opera, atque beneuolentia nauatur, perpetuo quodam erga te ſtudio ita compenſabitur, ut mihi nemo omnium, excepto amore domeſtico, te uno carior, aut iucundior unquam eſſe poſſit. Franciſcus Morandus, cuius ego contubernio, & quotidiana conſuetudine mirifice delector, uir egregius, nec iuris tantum ciuilis peritia, ſed poetica etiam laude, & litterarum elegantia uehementer excellens, mutuo te diligit, &, qua ego tuis uerbis eum ſalute impertiui, eandem tibi ut eius nomine his litteris adſcriberem, diligenter mandauit. tu ſaluere plurimum a me iubeas Io. Baptiſtam Saracium, deditum ſemper optimis diſciplinis, maximeque cupidum ornandæ uirtutis, itemque Franciſcum Seue-

rum Argentensem, quem uidi nunquam, amo tamen sic, ut te mihi riualem esse uix patiar. Vale. Venetijs.

FRANCISCO ROBORTELLO, Bononiam.

MAGNAM habeo gratiam Hieronymo Seripando, optimo Cardinali, omniumq. uirtutum gloria præstantissimo, quòd ab aliqua nos obtrectationem uirtutis exorta simultate ad summam beneuolentiam, coniunctionemq. traduxerit. te quidem cum eximia doctrinæ opinione, quam apud omnes merito cõsecutus es, humanitatis laudem uelle coniungere, tum mea caussa lætor, qui tua consuetudine nimium diu molestissime carui, meæq. in te perpetuæ uoluntatis ipse mihi egregie sum conscius; tum uero, quòd inter te, & Sigonium meum, uiros tales, et plane duo nostræ Italiæ lumina, non optime conuenire, ferendum uix erat. itaque, cum de nostra auctore Seripando reconciliata gratia ex ipsius Sigonij litteris cognouissem; feci statim, quod meæ partes erant, ut animo te complecterer, meq. tibi, leuiter antea, nec sane mediocri cum dolore immutatum, libentissime totum restituerem. A te peto, non ut me mutuo diligas, quod te iam facere, perpetuoq. facturum certo scio, sed ut officijs etiam ita mecum certare uelis, quibus & cupide uincam, & uincar tamen non inuitus, ut nihil omnino

nino neque de mea in te uetere obseruantia, neque de tua in me beneuolentia detractũ esse uideatur. quanquam hoc, tua fretus bonitate, et sapientia, cum sperauerim antea, nunc ut plane confidam, litteræ tuæ fecerunt, ad hominem bene doctum, & utriusque nostrum amantissimum, Raphaelem Cyllenium proxime conscriptæ: quibus in litteris partim de me, quo sum mirifice lætatus, amantissime loqueris, partim etiam typos græcos fratris mei, nescio qua culpa amissos, benignissime mihi pollicetis, ac defers. Ego, mi Robortelle, istam uehementer amo uoluntatem, quam tibi certe emetior: liberalitate uero tua etsi delector maxime, tamen, cur utar, non est; cum officinam satis ampla & pereleganti huius generis copia magnis iã sumptibus instruxerim. tibi tamen, quia de commodo meo tua sponte cogitaueris, quod sine summo erga me amore fieri profecto non potuit, æque debeo, ac si rem omnium maximam meo perneccessario tempore detulisses. quòd si a me paria, ac multo etiam præstantiora in omnibus rebus, quas ad tuæ laudis, tuique commodi partem aliquam pertinere intelligam, studia, & officia exspectabis; nunquam te fallam. atque huius quidem testem promissi, & quasi loco fœderis, quod a me uiolari nunquam patiar, hanc esse apud te epistolam uolo. Camillum Palæottum, cuius excellentem humanitatem, coniunctam pari uirtute, non dubito quin præclare cognitam habeas, & communem

ami-

amicum, dignum Romulo parente filium, Pompilium Amasæum, rogo te, salutes meis uerbis diligenter. Vale. Venetijs.

ALEXANDRO CRISPO.

HABET hoc uirtus, ut amicitias nullo intercessore conciliet. itaque, cum de studijs tuis, & incredibili quadam ad liberales artes uoluntatis propensione ex Sabastiani Leonis, familiaris mei, litteris cognouissem; dilexi te statim, idq. ut intelligeres, uehementer optaui. nunc, quando opinionem meam de ingenio tuo susceptam epistola tua confirmat; ego quoque aliquanto magis ad te amandum impellor. quòd uero etiam in amore mihi respondeas, tuamq. operam, curam, & auctoritatem nullo unquam loco defuturam promittas: utrunque facio plurimi, & esse perpetuum cupio. quod ut confidam, tua probitas facit, multorum sermonibus, præcipue uero Leonis nostri testimonio comprobata. Hic ego hortarer, pro mea in te summa beneuolentia, ut acrius te ad omnem laudis cupiditatem incitares. sed neque industria tua cuiusquam indiget præceptis: nec te res ulla magis ad gloriam accedet, quàm nobilitas tua, quam, non dubito, quin sæpe mente & cogitatione contempleris. tantum igitur te rogabo, ut istum teneas, quem cæpisti, cursum, nec te unquam aut uoluptas, quæ adolescentibus maxime suis blanditijs,

&

& ficta boni specie pernicioſas inſidias tendit, aut fucatus rerum humanarum ſplendor a ſtudio uirtutis, id eſt a uera, ſolidaq. gloria deducat. Vale, & Leoni noſtro, doctiſſimo atque optimo uiro, dic ſalutem meo nomine plurimam. Venetijs.

SCRIPSIT HANC ROGATVS AB AMICO.

CVM in ſummis moleſtijs, quibus me fortaſſe immerentem fortuna uexat, quæ quidem tibi ſatis notæ ſunt, unicum mihi ſolatium fuerit beneuolentia tua, quam opinabar me ſingulari quadam ac perpetua erga te obſeruantia, & ſtudio quodam incredibili conſecutum: eo me ſolatio magna ex parte priuatum eſſe, ex eo ſermone, quem habuit mecum proxime Druſus tuus, uehementer doleo. quod quidem eo patior acerbius, quia, ſi poſſet augeri amor in me tuus, augeri potius debere pro mea in te egregia uolũtate, maximisq. ſtudijs, exiſtimabam. quid enim, a quo primum tempore aditus mihi patuit ad amicitiam tuam, de te ſenſerim, ipſe mihi optime ſum conſcius: quid uero prædicauerim, teſtes habeo, non leuiſſimos homines, ſed præſtantes uiros, eosq. minime paucos, quorum auctoritas, & probata uita uel ſine iureiurando facile fidem facere poſſit. quæ cum recordor, magnam ex officio meo uoluptatem capio: propterea

rea quòd nihil unquam mihi grati animi memoria iucundius nec est, nec unquam erit. et quanquam animum tuum non nihil immutatum Drusi uerba significabant; cum ego perpetuitatem amoris tui exspectauerim; eamq. tanti fecerim, ut ex omnibus rebus humanis nihil pæne pluris æstimauerim. tamen, non ut animatus nunc in me sis, sed ut antea fueris, in omni mea uita iucundissime cogitabo; quæq. in amicitia colenda a doctissimis uiris cõstantiæ tributa laus est, eam ut omnino consequar, enitar quantum in me erit: non quòd tua uirtus cuiusquam hominis laudationem, uel tua fortuna cuiusquam opes, aut merita desideret: sed profecto apud sapientissimos homines, quem ego te in numerum refero, significatio bonæ uoluntatis, etiam si merita non habet, pro meritis tamen est. Te uero, Principem egregium, omniumq. uirtutum apud omnes homines, maximeq. apud omnes Principes opinione florentem, præterea ista ornatum dignitate, quæ ad omnem laudem tacita quadam cohortatione uidetur impellere, figmentis commoueri hominum improbissimorum, & alienis fortasse bonis inuidentium, prorsus æquum non est. Quid enim? an ego tam prauus esse possim, ut optimo uiro coner unquam in sermone detrahere? an tam stultus, ut, qui mihi multis rebus prodesse, multis etiam obesse possit, eum indignissimis lacessam iniurijs? an tam ingratus, ut, cuius erga me summam humanitatem, ac benignitatẽ senserim, de eo quid-

quam

quam cogitem, aut etiam loquar iniquius? Quid honor meus? an apud me nullius est ponderis? ille uero mihi uel ipsa uita carior adhuc fuit, eritq. in posterum. ita sum a puero educatus, ita natus: ita etiam didici ab exemplis maiorum meorum. an igitur honor meus tantam ferre posset inconstantiam? ille certe cum omnes maculas, tum hanc, quæ turpissima est, leuitatis, & intemperantiæ, respuit, ac reformidat. Quare, si peccarem in te, magne Princeps, simul in me ipsum peccaré. quorum alterum ab officio meo, alterum a uoluntate nimis abhorreret. Quod igitur neque committere debeo, neque possum; id mirarer equidem a te credi; si plane, quæ ad me delata sunt, uera omnia putarem. sed primum haud libenter id credo, quod iniucunditatem, ac solicitudiné affert animo meo: deinde quod indignum uidetur bonitate tua, quam ego, ut maxime omnium habeo cognitam, ita maxime omnium efferre laudibus ubique soleo: postremo, quod cum ipsa ueritate pugnat. Quod autem, quiddam etiam de liberalitate mea glorioſe a me iactatum, comminiscuntur: impudens mendacium est, ac, ne alijs utar argumentis, te ipso teste falsum. nam, fuisse me tui perstudiosum, omnia tibi, tuisque, quæ potuerim, obsequia, atque officia præstitisse, uere dixeris, & multi sciunt: quo tamen ipse nomine gloriari non soleo; contentus ipsa re sum: uerum, fuisse me, cui multa desunt, in te, qui cunctis rebus abundas, liberalem, & de meis

riuulis

riuulis pæne aridis affluxisse aliquid ad tuos liberrimos fontes, certe nemo dixerit; nec, si quis diceret, ego agnoscerem. Hoc igitur uno, quod manifestum esse constat, reliqua, mihi obiecta, refellun tur. patent insidiæ maleuolorum: infirmatur, ut sæpe solet, a se ipsa, & suo quasi gladio iugulatur improbitas. itaque recreor paullulum in acerbissima molestia: ut etiam hoc sperem, si qua uoluntatis tuæ facta mutatio sit, quod quia meritus minime sum, ideo minime possum credere, me tamen ab humanitate tua facile impetraturum, ut te mihi totum restituas. nec enim decet, apud talem uirum, tantumq. Principem, natura bonum, iudicio, & consuetudine optimum, consilijs & artibus locum esse hominum perditorum. quam mihi spem ut confirment litteræ tuæ, peto a te pro mea perue tere non solum erga te, uerum etiam erga tuos omnes obseruãtia. idq. a te tua, tuæq. familiæ summa dignitas postulat. Vale.

PAVLI MANVTII PRAEFATIONES,

QVIBVS LIBRI, AD ILLVSTRES VIROS, AVT AD AMICOS MISSI, COMMENDANTVR.

AD MATTHAEVM SENAREgam, Ambrosii filium, in epistolas Ciceronis, quæ familiares appellantur, præfatio.

TVO ne, *Matthæe Senarega*, an meo dicam felici contigisse fato, ut, relicto *Louanienſi* celeberrimo gymnasio, quò, tanquam ad mercatum bonarum artium, uirtutis & eloquentiæ comparandæ causſa concesseras, *Venetias* te hoc potissimum nomine contuleris, quòd noſtri, ut ipse dicere solitus es, uidendi et cognoscendi mira quædam te cupiditas incenderat? tu quidem, si tuum sensum explorem, uis me hoc tribuere fortunæ tuæ. nam, quòd ita euenerit, non modo ut ad amicitiam & consuetudinem, uerum etiam ad conuictum, & contubernium meum tibi aditus patuerit; in eo, quasi tibi quiddam expetendum contigerit, plurimum ipse tibi solitus es gratulari. de quo, non est meum statuere, uere ne sentias, an secus. at illud meum est, paucis ostendere, cur tu contra mihi carissimus, iucundissimusq. sis, &, quòd nunc in meis ædibus

mecum habites, mecumq. uiuas, in eo ego quoque meæ felicitatis aliquid agnoscam. nam si tu ita de me sentis honorifice, quòd iudicio mouearis: æquis est mihi a te concedi, ut ego de te non minus uere, quàm tu de me, iudicare possim. sin istam tibi de me opinionem peperit humanitas: me quoque non solum natura, sed ipsa iam ratio docuit, præclarum esse humanitate excellere. itaque do me libenter in eam partem, ut homines officijs colam, laudibus exornem, re, si opus est, pro mea tenuitate sustentem. Sed mehercule ego de te, mi Matthæe, a uero animi mei sensu iudico: nihil me gratia, nihil afficit ambitio. Primum, cum aliquoties mei salutandi caussa domum meam uenisses, pellexisti me in amorem tui, comitate morum, & lenitate sermonis: deinde, quod iam non tibi modo, uerum & alijs petentibus negaueram, atque excluseram, ut ego te domo reciperem, eloquentiæq. studijs erudirem, multis precibus usus peruicisti. Nec mihi tamen, quòd tibi, meorum sermonum cupiditate flagranti, meamq. domesticam consuetudinem petenti, satisfecerim, adhuc uenit in mentem pœnitere: quin, quo plus ad nostrum conuictum accedit temporis, eo maiorem e tuis moribus, tuisq. studijs haurio suauitatem. non enim tam hoc in te laudo, quod certe in adolescente summa laude dignum est, quòd a studio doctrinæ non te suis illecebris uoluptas, non commodum, non ipsa ualetudinis ratio deducit; quàm illud & admiror, & prædicare satis

tis pro dignitate non possum, quòd in tuis cogitationibus hæc tibi prima est, et antiquissima, ut Deum optimum maximum, a quo uno, quæ uere bona sunt, emanant omnia, humanis rebus, quæ fluxæ nimis, infirmæq. sunt, omnibus anteponas. Perge adolescens optime in hoc præclaro diuinoq. sensu. hæc est omnium rerum una nobilissima, una, mihi crede, quæ omnium philosophorum scientias, una, quæ omnium Regum opes facile uincat. quare tu quidem oblecta te, quod facis, eloquentiæ studio; in qua, quo modo principia se dant, futurum augur or ut breui superiorem neminem, aliquando ne parem quidem habeas. sed illud stet in primis, neque unquam excidat, omnium uirtutum pietatem in Deum esse fundamentum. ac uide, quot inde tibi bona fluant. Primum, tuæ saluti consulueris egregie. animi salutem appello, non corporis. decet enim nos æternam potius illam uitam, omni felicitate circumfluentem, quàm hanc, quæ temporum spatijs definitur, miserijs nunquam uacantem, cogitare. deinde, patrem tuum, qui, ut audio de multis, atque etiam de te ipso, humanam prudentiam præ diuina religione nihil esse putat, incredibili uoluptate lætitiaq. perfundes. cui quantum debeas, non ex eo solum intellige, quòd pater est; sed quòd is pater, qui te filium uult esse inter tuos ciues omnire florentem, atque honoratum; qui te consilijs a puero sapientissimis erudiuit; qui te suo exemplo, suis optimis institutis, ac factis ad laudem quo idie

uocat. Tali patri, tam probo, tam tui amanti, tam libenter suas omnes curas in te consumenti, curare debes, ut id, quod reliquum est uitæ, per te sit iocundissimum. quod ita consequeris, si statueris, quibus artibus ideo nunc operam das, ut aliquando ceteris hominibus elegantia sermonis, & scientia rerum antecellas, earum artium infirmam esse gloriam, nisi perpetuo erga summum Deum amore studioq. fulciatur. mihi quidem, cui tu carissimus esse aut uis, aut certe ita uideris uelle, ut mihi persuadeas, magis ulla re placere non poteris, quàm si te in eo, quod instituisti, uitæ innocenter & cum uirtute degendæ studio constantem, tibiq. simillimum uidero. Et, ut iam nunc intelligas, quos in animis hominum amoris igniculos uera uirtus accendat; scis quinctum abhinc mensem mihi tecum nihil fuisse, te mihi nunquam uisum, ignotam mihi tuam faciem, obscurum nomen. nunc, apud me quo loco sis, intelligere te puto. paucissimis diebus ex conuictu consuetudo, ex consuetudine amor, ex amore familiaritas exorta. itaque tecú et sæpissime sum, quod sub ijsdem tectis necesse est; & admodum iocunde, quod ea, quæ in tuis moribus elucet, probitate consequeris. Et quoniam is ego sum, qui, quò me uoluntas ducat a ratione profecta, eò libenter sequar; gessi morem animo meo, tacite hortanti, ut hanc meam ad te amandum propensionem non modo tibi, sed, quatenus ego possim, reliquis etiam hominibus illustri aliquo officio ac munere declarem.

rem. cumq. tul[illegible]set casus, ut hoc tempore Ciceronis epistola[illegible]ares, eæ, quas tu iam legendo et reuolutando triuisti, denuo typis, ut nunc loquimur, essent imprimendæ: peroportuna ad id, quod uolebam, uisa res est. nam, hunc librum si cum tui nominis inscriptione publicarem, putaui me facere quiddam, quod utrique nostrum æque conueniret: tibi, quia ex his primum Ciceronis epistolis ad latinæ orationis elegantiam informamur, ex his primus eloquentiæ quasi succus, qui qualis initio fuerit, permagni interest, ebibitur: mihi, quia, cum hic liber omnium fere uersetur inter manus, circumferet, id quod ego cupio, tuum nomen, & meum de te iudicium, meamq. spem quamplurimis ostendet. quorum alterum est eiusmodi, ut ego tibi nunc ex æqualibus tuis neminem in ullo genere laudis anteponam: altera, cum ætate processeris, ea mihi de te pollicetur, quæ si euenerint, (omnium autem rerum euentus in Deo positus est) uir eris inter uiros maximus, & habebit a te familia tua memoriam nominis sempiternam, patria uero exemplum in ciuitate uirtutis excolendæ præclarissimum. Venetijs, M. D. LIV. mense Maio.

AD CAROLVM PISAVRIVM, Leonardi filium, in epistolas Ciceronis ad Atticum præfatio.

BENEFICIORVM, Carole Pisauri, non eadem omnium est ratio. multi, quid detur,

ſpectare ſolent, ſua quidque magnitudine metiuntur, nihil attendunt præterea: ego potius, quibus de cauſſis, & a quo homine detur, animaduerto; ac, ſi quid in aliquem, aut in me ipſum collatum eſt gratiæ, tanti ſoleo æſtimare, quanti uidetur is, qui contulit, æſtimandus. hinc fit, ut, quæ a patre tuo, uiro ſapientiſſimo, & cum alijs laudibus ornato, tum uero omnium, quos ego in uita nouerim, humaniſſimo, quæ item a patruo, qui nuper magno bonorum omnium mœrore mortuus eſt, Ioanne Maria, Paphi Epiſcopo, excellenti non minus doctrina, quàm bonitate, prædito, diuerſis temporibus in me profecta ſunt officia, ea quanquam ſumma non fuerint, (neque enim tulit occaſio, neque rationes meæ poſtularunt) pro ſummis tamen acceperim, & earum rerum loco duxerim, quas qui poſſident, beati exiſtimantur. fons enim ille, unde manarunt, amor fuit, et cum amore iudicium, quod uterque de me habuit: quod equidem, ſi potero, tuebor officijs: ſtudio certe, omniq. prorſus cura, atque induſtria bonum uirum, meritorumq. memorem præſtabo. quòd ſi liceret ingenium cum uoluntate coniungere; ut alterum alteri reſponderet, & cupiditati uires æquarentur: illuſtrarem beneficia ueſtra; ac fortaſſe efficerem, ut gratia mihi a uobis aliqua deberetur, gratiam perſoluenti. uerum ut, hoc quidem ab infirmitate mea ſperari minime poſſe, non ſolum intelligo, uerum etiam ingenue confiteor: ſic illud facile polliceor, uereq. affirmo;

mo; quid aut iam est in me facultatis, aut erit aliquando, ijs, in quibus assidue uersor, studijs parandis & uigilijs, uelle me id in omni mea uita, quantumcunque erit, seruire totum uestræ laudi, tuæ præsertim; quæ cum a meis præceptis, & consilijs originem duxerit, exornabo eam, tanquam opus meum, quibus potero artibus, qua licebit industria; florentemq. pulcherrimis uirtutibus alumnum disciplinæ meæ cum inspiciam, gratulabor utrique nostrum pariter, fructumq. amoris & studij ueteris in te mei ex tua gloria uberrimum capiam.

Ac tu quidem, mi Carole, cum tibi nasci contigerit ex ea familia, in qua semper uerus honor, & splendor uirtutis enituit, nihil debes humile cogitare, nihil angustum, nihil obscurum, aut inane. excelsa petat animus tuus, ampla, illustria, plena dignitatis, & gloriæ. quò te semper a tua prima puritia mea uox incitauit; quò pater tuus, cuius ad te cogitationes curaq. referuntur omnes, assidue cohortatur; quò denique te uocant maiorum tuorum exempla; quorum nomina nulla dies extinguet, nulla obscurabit obliuio. non enim, si præstiteris ea, quæ a te exspectantur, quæ maxima sunt, nouum in tuam familiam decus inferes: antiqua renouabis, præclaramq. consuetudinem retinebis in tua domo laudis expetendæ, exercendarumq. artium optimarum: quibus instructos, utiles fuisse patriæ ciues, sibi & familiæ glorioſos, de tua gente multos, si annales euolueris, inuenies. Verum, quando

do te sacris addixisti, & illud uitæ genus complexus es, quod est totum in laudabili ratione, totum in præclaris cogitationibus & factis constitutum: non te libera uoluntas, ut alios, ad honestum rectumq. ducit; sed, quo te primum die ad religionem contulisti, eodem die legem ipse tibi imposuisti perpetuæ continentiæ; exclusisti rerum inanium cupiditatem; uelle ad solidam laudem omnia referre, uelle summi Dei gloriam in omni uita, id est tuam salutem, spectare professus es. Quare non tibi monitores, quorum te moueat oratio, exspectandi: ipse te excita, ipse acue, & impelle. multæ sunt propositæ adolescẽtibus uiæ, fallaces, obliquæ, insidiosæ, oculis iocundæ, specie quadam obiecta uoluptatis: in quibus errare quotidie uides, & labi, ducem sequentes libidinem, non rationem, de tuis æqualibus quamplurimos. tu uiam uirtutis ingredere, simplicem, rectam, apertam, principio fortasse difficilem, atque asperam, exitu certe salutarem, et gloriosam. hanc, inquam, uiam, signatam, & impressam uestigijs proborũ sanctorumq. uirorum, si uis ipse tibi carus esse, si uis ipse tibi recte consulere, unam ingredere: aut, si ingressus iam es, curre per eam celeri gradu ad ea, quæ te manent, præmia immortalitatis. Hæc ego, pro meo in te amore singulari, uetereq. erga parentem tuũ studio, scriptis tecum ago, quæ sermonibus & libentius agerem, & sæpius, si liceret. sed, quando te Patauij tua studia, a quibus abduci non debes, me

Vene-

Venetijs mearum rerum ratio, & ualetudinis detinet infirmitas: proficiscetur ad te mea uox, his signata litteris: quæ tecum erit perpetuo, ubicunque fueris, te prosequetur, quocunque ieris. nec uero dubitaui, quin ea tibi paullo gratior esset futura, coniuncta cum Ciceronis uoce, id est cum ijs epistolis, in quibus cum Attico, familiari suo, non minus grauiter, & sapienter, quàm eleganter, & splendide loquitur. fructum, ut spero, capies ex utraque non uulgarem. ego enim, ut uelis optima, te hortor: Cicero uolentem adiuuat: ornat enim eloquentia, consilijs instruit sapientissimis. nam disputat sæpe in his epistolarum libris, sermone perquam eleganti, de statu reip. de uitijs Principum, unde fluunt exitia ciuitatum, de uicissitudine fortunæ. qui tibi erit, accurate legenti, sapientiæ fons uberrimus. A me uero munusculum hoc habebis, meæ in te uoluntatis & studij argumentum. exiguum, inquies. fateor: sed uelim spectes animum, non rem: quam tamen ne ipsam quidem debes contemnere: siquidem eiusmodi est, ut tuas, tuorumq. laudes, a me non expressas, sed tanquam tenui penicillo designatas, simul cum beneuolentia mea cunctis gentibus patefaciat.

Venetijs, M. D. LVIII.

Ad

AD BENEDICTVM ACCOLtum, Rauennæ Cardinalem, in orationum Ciceronis partem primam præfatio.

MAXIME *esset optandum, Accolte clarissime, ut, quæ olim a doctissimis uiris magno labore, magnisq. uigiliis sunt elucubrata, ea nostram ad ætatem peruenire omnia potuissent. artium plurimarum scientia, quarum adiumento ad uitam recte instituendam indigemus, non desideraretur. uerum ita casu nescio quo accidit, ut ex ijs scriptis, quæ ueteres illi, homines sapientissimi, reliquerunt, nõ solum multa prorsus interierint, sed etiam, quæ in hanc diem seruata sunt, ita deprauata, ita mutila legantur, ut sæpissime uix, aut ne uix quidem intelligi possint. hoc incommodum pater olim meus magna ex parte sustulit. cuius industria multos excitauit, ut eandem rem aggressi, iacentem litterarum laudem pro suis quisque uiribus subleuaret. quod si alij fecerunt, tantum æmulatione gloriæ permoti: certe, cur ego id faciam, hoc plus habeo caussæ, quòd, cum pater studiosis id, quod in hoc genere promiserat, morte præuentus præstare non potuerit, hoc me nomine ita appellant, quasi ad filios soleat non paternæ solum rei, sed uoluntatis etiam hereditas peruenire. hæc me, ut debet, opinio multum mouet, sed auctoritas tua plurimum: quam*

quam ego tanti soleo facere, ut, quamcunque tu probas rationem, ea demum & utilis mihi, & honesta uideatur esse. tu igitur cum ad hoc posterita adiuuandæ studium nos & uehementer, & sæpe sis cohortatus; effeciſti, ut in eam rem tanto alacrius incumbamus, quanto pluris apud me tua, quàm reliquorum omnium, consilia sunt. quòd si labore, studio, diligentia profici hoc genere quidquam potest, ut certe potest: magnopere spero fore, ut neque te officij tui in me admonendo, neque liberalitatis in adiuuando pæniteat. cuius rei quasi specimen erit hæc prima Ciceronis orationum pars; quam ex ueterum exemplarium collatione diligenter emendatam, in manus hominum sub tuo nomine emittimus. nam cum usu, & consuetudine ita comparatum sit, ut, quibus rebus Principes uiri delectentur, in ijs rebus multi suum studium probare uelint; ex quo fit, ut ab alijs canes, ab alijs equos, aut aues nobiles dono dari uideamus: commode me facturum existimaui, si quid ego eius generis ad te mitterem, quod omnibus te præferre uoluptatibus intellexissem. soles enim quotidie fere a grauissimarum artium tractatione, in hæc studia, quæ sibi ab humanitate nomẽ adsciuerunt, quasi in hortum amœnissimum diuertere: ubi te modo oratorum, & poetarum flores, modo dulcium amicorum colloquia mirifice delectant: ut præter id temporis, quod ualetudini dare soles, quod sane pusillum est, hora nulla sit, quam non in litteris, et cum

uirtute

uirtute traducas. qua[illegible] uitæ rationem qui igno
rant, mirantur scilicet [illegible] tibi in aduersis re-
bus fortitudo tanta, [illegible] de animi robur illud in-
quod ne illa quidem ipsa, quæ in rebus humanis t
tuna dominatur, ullo pacto poterit infringere; con
tra cuius uim duplici te præsidio muniueris, artium
maximarum cognitione, et mentis optimæ conscien
tia. hæc est aliarum uirtutum, quæ in te sunt mul-
tæ, quasi princeps, & regina quædam; ut in alijs
neminem tibi anteponere, in hac ne conferre qui-
dem possim. Nam de prudentia, de pietate, de iu
stitia, ne uidear assentari, nihil dicam: ne de libera
litate quidem; quæ tamen ita nota est, ut non, qui
eam laudet, assentator, sed, qui non laudet, male-
uolus existimetur. cum enim hæc dandi beneficij ra
tio eiusmodi sit, ut nulla certior ad laudem, nulla
item magis lubrica uideatur uia; propterea quòd
in beneficijs collocandis plerique fortunam homi-
num spectare solent, ut eandem gratiam, aut etiam
cum fenore recipiant: non est, quòd in hoc te labi
quisquam arbitretur; cum & rarissime contingat,
cuiusquam opera ut egere uidearis, & tu tamen
quamplurimis, ob eximiam naturæ tuæ liberalita-
tem, atque amplitudinem, benigne facere & so-
leas, & possis. et cum de omnibus ad bene meren-
dum natura es maxime propensus: tum uero ipsa
te ratio atque doctrina ita conformauit, ut ad eos
honestandos, qui se ijs artibus, in quibus ipse excel
lis, dedidere, tuum soleas studium libentissime con
ferre.

ferre. quæ quidem humanitas & beneficentia tua non sane uideo qui possit in ullo maior esse, quàm in me tuendo fuit. quæ est enim a te res, quæ ad meũ cõmodum attineret, prætermissa? quis diligentius est adhortatus, ut hanc restituendæ antiquitatis laudem, qua pater meus olim excelluit, pæne afflictam excitarem? quis eam ipsam ad rem perficiendam plura contulit? cum etiam magnis Principibus, tui simillimis, ita me commendaris, ut, iudicij tui testimonio permoti, non minimis ad se præmijs euocarint. Quæ cum recordor, etsi me ipsum probe noui, tamen interdum mihi assentor, & mihi aliquid uideor esse, quòd a te sim ornatus. hæc me inanis ambitio ita delectat, ut illum dolorem, quem ex difficultate capio remunerandi, si non tollat, minuat quidem certe. quanquam tu is es, qui te satis superq. remuneratum existimas, si modo id, quod dedisti, ab eo, qui accepit, intelligis memoria teneri. quo in officio præstãdo, noli credere quenquam esse, qui me uincat. et huius quidem rei confido fore ut aliquando eiusmodi a me signa dentur, quæ nullum cuiquam de mea in te uoluntate dubitandi locum relinquant: nunc earum rerum, quas ipsi quidem hoc tempore possumus, maxima, primum, ut dixi, Ciceronis orationum uolumen in tuo nomine apparebit. omnino neque amplitudine tua, neque ijs officijs, quæ in me contulisti, digna res uidetur: sed, ut spero, muneris nostri tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo subleuabit.

Ad

AD GVLIELMVM BELLAIVM Langeum, apud Subalpinas gentes pro Rege, in orationum Ciceronis partem secundam præfatio.

MAGNI refert, Bellai ornatissime, quo quidque tempore agatur; & ad omnes res non parum habere momentum solet occasio quædam, & commoditas, qua uti dicuntur ij, qui nihil, nisi loco, facere consueuerunt. nam quemadmodum pictorum tabulæ certo loco positæ delectant; eædemq. minus bono lumine constitutæ, non item eorum, qui spectant, oculos tenere solent: sic actiones nostræ, mirum est, quantum oportunitate commendentur: ut interdum plus in tempore, quàm in ipsa re, positũ esse uideatur. quod ego cum semper iudicassem, tamen non sum ueritus, quin tibi, in ijs rebus uel maxime occupato, quas Rex Christianissimus, et post hominum memoriam maximus tuæ fidei diligentiæq. mandauit, hoc ipsum, quod nunc a me proficiscitur, officium futurum esset uel iocundissimum. nam etsi magna tibi est grauissimorum negotiorum imposita moles; quam tu summa tua cum laude, et omnium pæne gentium admiratione sustines: tamẽ in ipsa illa occupatione ita te litterarum tractatio delectat, ut et legas cum uoluptate, quæ alij scripta reliquerunt, et scribas ipse, quæ a posteris cum admi-

admiratione perpetuo legentur. ex quo illud conse-
queris, ut non modo Regis uoluntati seruias, quod
est summa laude dignū; sed etiam posteritati consu
las, quo laudabilius esse nihil potest. itaque tantum
abest, ut a maioribus tuis, omni decore affluenti-
bus, ad te ornandum quidquam haurias, ut etiam in
te sit, quod ad illos redundet. nam si tibi aliunde pe
tenda sit laus; unde plura suppetant ornamenta,
quàm a fratribus tuis, maximeq. ab eo, qui a Pau
lo III. ita est in Cardinalium Collegiū cooptatus,
ut ei summus Pontifex amplissimam dignitatē non
quasi optatam concessisse, sed quasi debitam persol
uisse uideatur? cui quidem uiro cum ad summam
gloriam nihil desit; cumq. item tibi eæ res abunde
adsint, quibus homines hominibus antecellere ui-
dentur: tamen fit uestra bonitate, & sapientia, ut
uicissim & tu in illius dignitate, atque amplitudi-
ne, & ille in ingenio, atque in uirtute conquiescat
tua. uterque uero magna apud Regem prudentis-
simum, & summo iudicio præditum auctoritate,
magno estis apud omnes nomine, & gloria. nam
tu quidem, quis est tam longinquus, cui notissimus
non sis? non ex præsenti corporis forma, (quanquā
multas prouincias Regis legatus obijsti) sed ex ima
gine ingenij tui; quam ueris simis eloquentiæ colo-
ribus expressam in tuis scriptis licet intueri. in hac
cum & naturæ tuæ bonitas, et uirtutis eximia præ
stantia cernatur: sequitur, ut, ex ea qui te norunt,
ijdem ament. quorū ego in numero tum ita essem,

ut

ut nemini concederem: tamen non est credibile, quantum ad illam ipsam animi erga te mei uoluntatem addiderit Gulielmi Pellicery, oratoris in hac urbe regij, homini præstantissimi, prædicatio. cuius multi, & egregij de tua laude sermones me iá antea commotum impulerunt, ut ex orationibus Ciceronis, cuius tu libros e manibus dimittere non soles, alteram partem cum tui nominis inscriptione diuulgarem. qua in parte ab erroribus, & mendis uindicanda quantum operæ, studijq. posuerim, mihi ipse sum testis; quantum autem profecerim, & tu, & alij iudicabunt. tibi quidem, si consequar, ut nostra diligentia probetur; sane meos labores non exiguo compensatos esse fructu existimabo.

AD ALEXANDRVM CAESARINUM, Cardinalem, in orationum Ciceronis partem tertiam præfatio.

BENE *mereri de litteris, etiam si utilitas præterea consequatur nulla, tamen præclarum in primis, atque egregium esse semper duxi: quanquam utilitatem spectare si uolumus, ea demum summa est, quæ ex hoc genere percipitur. fructus enim in posteritatis memoria, & prædicatione positus est, quem nemo unquam sapiens non præstantissimum esse iudicauit. sed hæc bene merendi ratio duplex uidetur esse. nam & qui aliquid ipsi scripserunt, et qui*

qui alios uel cohortatione, uel præmio, ut scriberent, impulerunt, litteris opem tulisse existimantur. quæ duæ res eiusmodi sunt, ut, qui alterutram commode faciat, ei scilicet a studiosis omnibus gratiæ sint agendæ; qui utranque, ne haberi quidem satis possint. Atque hanc laudem, ne apud ueteres quidem sæpe accidit, ut unus consequeretur: propterea quòd qui ea uirtute, atque fortuna fuerunt, ut & ingenio posteris prodesse possent, & opibus, ut idem facerent, multos adducere; alterum facile fecerunt, ut eos, qui doctrina, & eloquentia ualerent, ad iuuanda litterarum studia excitarent; alterum facere, ut ipsi monumentum aliquod industriæ suæ relinquerent, propter rerum gerendarum curam non ita potuerunt. quod item nostris temporibus usu uidemus euenire. nam neque multi sunt, qui præstare utrunque possint: &, qui possunt, ijs fere, cum uelint, non conceditur. cuius generis exemplum; ne id, quod adest, aliunde quæramus; concede quæso, Cæsarine præstantissime, ut a te summam; & sine me hoc impetrare a modestia tua, ut ea, quæ sentio, de te dicam. certe enim, qui maiorem aut iuris ciuilis, aut sacrarum litterarum cognitionem sit consecutus, neminem esse constat. neque tamen hæc studia, quæ humaniora appellantur, quæ nos adhuc secuti sumus, contempsisti; in quibus etiam diligenter uersatus es, ut illa superiora, quæ quibusdam ipsa per se nimis horrida uidentur, eloquentiæ pigmentis, cum uelles, atque etiam

quantum uelles, illustrare posses. est igitur in te ipso, unde posteritas adiuuetur. nec, ut arbitror, uoluntas deest: sed otium eripiunt maximarum rerum occupationes. nam quia tua uirtus non humili, neque obscuro loco latet, sed quasi in specula quadam excelsa, atque illustri posita est, unde opem ostetare bonis omnibus uidetur; iccirco homines accurrunt ad te, uel ut consilium, uel etiam ut auxilium petant. itaque negotijs a litterarum tractatione distractus, ex duabus rationibus, quibus initio bonas artes adiuuari posse dixi, alteram inuitus omittis, cum ipse nihil scribas; alteram studiose amplecteris, cum ijs, quos industria uides excellere, nulla re desis. quamobrem Hieronymus Ferrarius, qui se iam pridem tibi addixit, homo & ingenij, et iudicij laude præstantissimus, cum alia, quæ a te habet, prædicare solitus est, tum illud uel maxime, quòd domi tuæ uiuens, te permittente, atque adeo libente, totum diem in litteris ponit, & otio fruitur tanto, quantum deserta in regione uix esset. cuius ex ingenio qui fructus percipiuntur, qui certe maximi sunt, ij sane tuæ liberalitati referuntur accepti. a te habemus, quæ Ferrarius in ueterum scriptis uel correctione restituit, uel explicatione illustrat. a te emendationes in Philippicas Ciceronis orationes, quas ille plurimas, atque optimas ad me misit, quæ iam iamq. edentur, a te inquam omnes sunt. itaque etiam eas ipsas orationes, ut a Ferrario, id est a te, restitutas, & quæ præterea

rea in hoc tertio uolumine continentur, in quibus ipsa quæ male affecta erant, multa sanauimus, tibi inscriptas, atque dicatas emittimus; ut, quod beneficium habemus maximum, eius beneficij auctorem agnoscamus, & huic libro summum ornamentum, Cæsarini nomen, apponatur. quare etiam id, quod iam pridem optaui, fortasse consequar, ut, quàm præclare ego de te sentiam, cum intelligas, tu me eum existimes, quo in amicitiam, uel potius in clientelam tuam accepto, non pessime sensisse uidearis.

AD IOANNEM MONLVCIVM, Christianissimi Regis consiliarium, eiusdemq́. apud Venetam Rempublicam oratorem, in Ciceronis oratorios libros præfatio.

QVOD *te non fugit, Monluci sapientissime, præstare omnes ceteris hominibus, sed alius alia reuult. non enim uniusmodi sunt nostræ uoluntates; sed, quoniam ex animo, qui uarie afficitur, tanquam ex typo effinguntur, ipsæ quoque uariæ sint, & multiformes, necesse est. ergo non eadem omnibus prima sunt. Quoniam uero ex ijs, quæ appetuntur, necesse est aliquid excellat, ut de multis optabilibus unum optabile maxime sit: quid sit id, quod ego ceteris præstare putem, si de me quæratur;*

tur; dicam, id, quod qui assequuntur, eorum in po testate sensus omnium, animiq. sunt. id autem e dubio eloquentia est: quæ tantum possidet dignitatis, ut infra uel eorum fortunæ, quorum imperi n prouinciæ nutumq. sequuntur, me quidem iudice constituantur: cum ita accidat, ut ab hac quamcunque in partem uolentes ducamur, illis inuiti sæpe pareamus. Sed quoniam, quo loco posita laus est, eum locum maximis difficultatibus Natura circumsepsit, ut perueniendi facultatem pauciſſimis relinqueret: non est, quare nobis in mentem ueniat mirari, cur neque diuturna, neque in multis perfectæ fuerit species eloquentiæ. illud uideo, cum in hanc cogitationem mentis aciem intendi, bene dicendi gloriam duabus rebus ali maxime, otio, & libertate. itaque in urbe Roma, quæ bonorum oratorum quasi fecunda genitrix partus edidit uberrimos, neque ante secundum Punicum bellum, neque post Cæsaris dominationem magnopere fuit, quod in hoc genere probares. Hannibale uicto, hostis Italiæ terribilis nemo fuit. tum in urbe securitas, tum summa tranquillitas orta: tum seditiosorum hominum ingenia popularibus concionibus acuit ambitio. conciones, inquam, eloquentiam pepererunt: nisi quid me fallit ratiocinantem: ratiocinor autem sic, & per hos quasi gradus interrogationis adscendo. Eloquentiæ quod summũ fuit propositum præmium? consulatus: qui summus honor fuit. consulatum quis mandauit? populus. populum

ium quis te uit? concionator optimus. ergo a concionibus extitit orator. idemque, sublatis concioni bu.. nullus fuit. cum enim ciuilibus armis oppressa respublica iaceret; uetus consuetudo periisset; a populo, cuius potestas uniuersi translata ad unum esset, non iam magistratus, non præfecturæ peterentur: eloquentiæ, quæ populi gratiam honorum spe quæsierat, inanis omnis & superuacanea fuit exercitatio. sic oratoria facultas, summorum hominum studijs exercitationibusq. culta, cum a duobus Gracchis ad C. Cæsaris ætatem, hoc est per annos centum fere ita uiguisset, ut nihil unquam fuerit illustrius; non effugit rerum humanarum commune fatum: quas ubi ad summum siue industria, siue natura perduxit, retro fere præcipiti lapsu reuoluuntur. Imperatores deinde multi rem Romanam exceperunt: quorum ætatibus uestigium ueteris eloquentiæ nullum agnoscerес. quid post? multo minus. nam, imperij sede in Græciam translata, crebræ uastationes Italiæ consecutæ; cum influentes barbararum nationū copias reprimeret nemo. tum non eloquentia modo, sed ipsa pæne litterarū memoria funditus deleta, nec suus est bonis disciplinis honor, nisi multis post sæculis, restitutus. patrum denique, aut auorum nostrorum memoria, cum exteros mores Italici cæli temperies aliquando ad humanitatem deduxisset, paullulum oculos litteræ sustulerunt. doctrina primum, serius enituit eloquentia: nec mirum: doctrinam enim sine

eloquentia laudamus; eloquentem sin. doctrina re
cte intelligens nemo dixit. nunc in oratorum nomi
ne, quod eximium semper fuit, nihilo minor, at-
que haud scio an etiam maior, quàm priscis illis
temporibus, dignitas, et amplitudo est. mittuntur
a Regibus ad Reges, aut ad liberas ciuitates, qui
non de stillicidijs agant, non de iure fundi; quarum
rerum controuersias qui perite, & copiose discepta
runt, scimus olim habitos esse eloquentes; sed ea
tractent, quæ prudenter disputata, otium gentibus
constituere, dignitatem imperij conseruare, termi
nos proferre possunt. hoc qui præstat, eum ego ue-
teribus oratoribus non comparo solum, sed etiam
antepono. illi causas agebant primum apud iudi-
ces sorte ductos, deinde apud eos iudices, quibus de
aliena re, non de sua iudicantibus persuadere ora-
tor siue hoc, siue illud haud magno negotio posset.
nunc agitur in consilio lectissimorum uirorum: agi
tur ijs de rebus, unde ad eos ipsos, qui iudicant,
maximum potest siue emolumentum, siue damnú
redundare; cum & de publica re iudicent, et in pu
blica, extra quam nihil est, priuata cuiusque conti
neatur. his probare quæ uelis, eo maioris ingenij
uidetur esse, quo difficilius ab artificio capitur pru-
dentia. itaque, cum hoc multi uoluerint, magnum
decus, atque ornamentum est eorum, quibus conti
git, ut possent; qui sane pauci sunt: maximum ue-
ro, si cui tantum aut natura dedit, aut exercitatio
doctrinæ, ut inter hos ipsos emineret. qualem si

quis

quis [illegible] Monluci clarissime, hunc ego recte iudicare mihi persuadeam. nam si consideremus, primum a quo missus orator sis, deinde ad quos, tum quibus de rebus missus: ita reperiemus, missum ab eo Rege, qui omnes Reges sapientia uicerit, quoniam quidem omnium unus, quid contra Fortunam uirtus posset, maxime declarauit: ad eam rempublicam, quæ nisi sapientissimorum ciuium copia floreret, semperq. floruisset, profecto neque tanta nunc esset, cum olim minima fuerit; neque tam diu staret, cum ceteræ respublicæ suorum ciuium temeritate conciderint: ijs autem de rebus esse missum, quarum quæ magnitudo sit, ex eorum, ad quos pertinent, opibus apparet; quæ tantæ sunt, ut paucorum imperijs distributus terrarum orbis teneatur. Et cum hæc legatio tibi perhonorifica fuit; tum illud ad tui nominis celebritatem longe maximum accessit; quòd, cum a Principe Turcarum Solymano pacem defessa bellis Europa peroptaret, eaq. sine Christianissimi Regis intercessione desperaretur; unus electus qui tantum muneris obires, acceptis a Rege mandatis, æstate media, summis caloribus in Græciam nauigasti. pacem ut componeres, optabatur: composuisti: hieme summa, difficillimis itineribus, per dispositos equos in Galliam recurristi. Exceptus alia cura, cum de sedandis inter Regem tuum, Regemq. Britannum magni momenti controuersiis ageretur, præfuisti. te consulente, agente, ultro citroq. cur-

sante, abiectis armis pax inter eos firmissimo fœdere constituta. Habes hoc omnino, Monluci, non dico a Fortuna, quam casus & temeritas regit, sed a te ipso, qui ad consilium et rationem omnia refers, ut in tuis actionibus felix usquequaque sis. nimirum sors, quam in rebus humanis dominari quidam sunt opinati, non omnium est æque communis; sed ipsa sibi uirtus propriam fortunam architectatur. non erras, quia non est errare sapientis: et quia sapienter agis, omnia procedunt. bonus etiam orator es, quia bonus uir: ingenium enim probitas commendat; nec minus mouet is, qui dicit, quàm ea, quæ dicuntur. Quòd nisi latinum sermonem in Italia peregrinitas immutasset; næ tu nobis longo interuallo & Crassos, & Antonios retulisses. sed quoniam ea lingua utimur, quam multis coeuntibus linguis generatam corrupta consuetudo peperit: ueteribus Romanis oratione dissimilis, ingenio simillimus, non tu quidem loqueris ut illi, sed ut illi tamen & sapis, & persuades. Quare non fuit ab re, cum ego eos libros, in quibus perfecti formâ oratoris a Cicerone uidemus expressam, mendis antea deformatos, nunc mea correctione expolitos emitterem; non fuit inquam ab re, tuo nomini dicatos emittere; ut, quæ de perfecto oratore traduntur, ea perfecti item oratoris titulo cohonestarentur. hoc cum ita existimassem, quia uidebatur esse aptissimum, feci, & feci eo libentius, quòd, cum tu mihi & multa iam summæ humanitatis officia tri-

tribuisses, et is esses, qui tribuere etiam maiora posses; ego, nisi aliquid, præsertim ubi daretur occasio, retribuerem, uerebar, ne, ex duobus maxime insignibus uitijs, alterutrius infamiam non effugerem, ut uel ea uiderer, quæ á te accepissem, minus meminisse, quod a consuetudine naturaq́. mea alienissimũ est; uel ea, quæ sperari possent, negligere; quod quia superbi esset, abest non modo a fortuna mea, sed etiam a uoluntate plurimum. Venetijs, 1546.

AD BENEDICTVM Rhambertum, in Ciceronis libros de officiis præfatio.

NON *ignoras, Benedicte Rhamberte, sensuum esse quandam in hominibus similitudinem; quæ cum in consuetudine cognita est, efficitur, ut, inter quos id accidit, amor exoriatur. ab hoc quasi fonte multorum amicitiæ manarunt. multos etiam beneficium cum obligasset; cumq́. id, quod acceperant, memoria conseruatum grate animo redderent; idq́. uterque fieri ob ingenij bonitatem, et uoluntatis erga se propensionem existimaret: statim est illam opinionem beneuolentia consecuta. itaque duæ caussæ sunt, quamobrem homines ament inter se: sed hæc posterior, quæ a rebus externis originem ducit, cum illa superiore, quæ a natura proficiscitur, nullo pacto uidetur esse comparanda. illa enim primum habet eam suauitatem, qua, ut opinor,*

nor, & certe nulla maior est, cum eos, quibus utimur, & ijsdem rebus, quibus nos, & æque atque nos affici sentimus: deinde, etiam qui in dando & accipiendo beneficio fructus est, eo non eget. nam si hæc actio bene merendi interdum est, & esse potest in ijs, qui uoluntate non admodum coniuncti sunt, quanto facilius existet apud eos, quorum animi ita consentiunt, ut, quasi natura hortante, eadem res appetere, ab ijsdem fugere uideantur? at uero qui officiorum commoditatibus adducti in amicitiam coierunt; etiam si alter alterũ initio summe diligat; tamen, si quando accidet, id quod accidere sæpe solet, ut ea, qua diligere cœperunt, causa tollatur; certe eorum animi pedetentim in amore languescent. quo in genere animaduertis Rhamberte quàm multi quotidie labantur. de quibus, facile est intelligere, quid sentias, cum ab eorum instituto tua ratio tam uehementer abhorreat. probe enim te, quæ nostra debeat esse in iungendis amicitijs cautio, quæ in ijsdem colendis religio, quod item in omni uita præstandum officium sit, horum librorum, quos nunc tibi inscriptos ad te mittimus, lectio erudiuit. sensi in me ipso; quem ab opibus non magnopere firmum, aut ne firmum quidem, tamen octauum abhinc annum tanto studio es complexus, quantum, qui ab omni re paratissimus sit, remunerando compensare uix possit. cumq. rerum mearũ status, ut sunt humana, interdum mutaretur; memoria teneo, te, nunquam immutatum, eandem

dem semp[illegible]um mihi, tum fratribus meis uolunta tem, a[illegible] beneuolentiam præstitisse. cum uero maior aliquanto inter nos consuetudo esse cœpisset; quod quidem est factum, postea quàm te in nostram ui- cinitatem contulisti: facile sentio, ad meam uitam recte conformandam quanto mihi obseruatio tuo- rum morum fuerit adiumento. collocutiones uero de littteris nostræ quid non dicam delectationis, sed utilitatis habuerunt? equidem, si liceret, to- tos dies uellem tecum ponere. quarum enim ego rerum cognitione delector, earum in omni genere quæ tui sit iudicij subtilitas, intelligo. sed hanc la- tine scribendi rationem, in qua multi nunc uolunt excellere, pauciſſimi possunt, eam uero sic tenes, ut tuis scriptis mihi quidem purius nihil esse uidea- tur. quod eo mirandum est magis, quia tu non, ut alij, diuturno, atque assiduo librorum usu, sed tem porum studio subseciuorum, hoc ut posses, conse- cutus es. nam ut omittam, quòd tibi, cuius fidei atque prudétiæ Veneti senatus arcana creduntur, otium non sæpe contingit: ecqui dies est, quo non ex amicis tuis aut consilio tibi aliquis, aut opera, aut etiam re sit adiuuandus? qua in consuetudine retinenda nimium diligens esse dum uis, accidit sæ pe, ut tuum potius ipse commodum, quàm officij colendi facultatem prætermittas. quo ego me a- ptius facere sum arbitratus, si hæc opuscula, in quibus maxime de officio præcepta traduntur, ad te, quem cognoui esse omnium officioſiſſimum, mit

terem.

terem. genus hoc Rhamberte quoti... m est, quo ego eos, qui de me bene meriti sunt, remunerari so leo. perpende rem, nulla uidebitur: animam resti ce, gratissimum dices.

AD DIEGVM HVRTADVM de Mendoza, Caroli Cæsaris a consilio, & eiusdem apud Venetam Remp. oratorem, in philosophiæ Ciceronis primam partem præfatio.

SVPERIORIBVS diebus, cum domũ tuam uenissem, ut Benedictum Accoltum, qui apud te diuersabatur, honoris caussa uiserem, quem ego hominem, non tam quia Cardinalis est, quàm quia Cardinalatu dignissimus, uehementer observo: casu accidit, cum ego adessem, ut inter uos sermo oriretur ijs de rebus, quæ ab antiquis ignoratæ, nostra patrumq. memoria non solum inuentæ sunt, sed ad summam etiam elegantiam perpolitæ. cuius generis cum Accoltus ita multa commemorasset, ut mihi quidem, credo item alijs qui aderant, facile probaret ueterum solertiæ nostrorum hominum industriam antecellere: suggessisti tu, ne de philosophia quidem, in qua tantopere antiquitatem admiraremur, tibi uideri esse dubitandum, quin ea posset etiam nunc expoliri, atque ornari; si modo, quam quisque linguam a parentibus, atque

que a nutricibus traditam cum lacte simul hausis-
set [illegible] uellet scribere: nunc usu euenire, ut, ex-
terno sermone addiscendo, totam ætatem consuma
mus: quòd si nos a pueritia disciplinarum cognitio-
ni totos dederemus; non esse desperandum, quin et
Platones, & Aristoteles aliquando possent exi-
stere: non enim & cælum hoc, unde spiritum du-
cimus, idem est, quod olim fuit, & hominum inge
nia non eadem esse possunt. praua consuetudo na-
turam peruertit. quæ, tanquam ager, si colitur,
fructus edit uberrimos: si negligitur, exaresçit.
annos triginta ponimus in uerbis percipiẽdis: quan
tulum spatij restat, ut res ipsas consideremus? licet
ad antiquitatem animum referre: num aut Græci
illi philosophi, quorum nomen celeberrimum est,
ea, quæ ab Aegyptijs acceperant, Aegyptio po-
tius, quàm patrio sermone scripta reliquerunt;
aut nostri aliena lingua, non domestica sunt usi, cũ
ea, quæ uel de Græcis sumpserant, uel ipsi pepe-
rerant, in usum posteritatis explicarent? constat,
apud omnes gentes, qui suas cogitationes litteris
mandare uoluerunt, eos fere ijs esse uerbis usos,
quorum significationem matris in gremio cognouis
sent. quod item nostra ætate si fieret, facile contin
geret, quod tu opinaris, Hurtade clarissime, ut in
philosophia ueterum inuentis non nihil, uel etiam
non parum addi posset. neque enim eos, qui fue-
runt, usque eò cogitatione, ingenioque processisse
existimandum est, ut ijs, qui futuri sunt, quod præ-
terea

terea cognoscerent, nihil reliquerint. multa latent adhuc, retrusa, atque abdita in immensita- tæ: quæ eliciet, & euocabit in lucem, si quis inue- stigandis rationibus, & perscrutandis rerum caus- sis ab ineunte ætate suum studium dederit. quod ab ijs fieri commode non potest; uel potius nullo mo- do potest, quibus non ea lingua, in qua alti educa- tiq. sunt, sed ea, qua ueteres utebantur, scribere consilium est. quorum tu si probares institutum, quotusquisque tecum esset in eo laudis genere conse rendus? tenes enim perfecte Latinam linguam, te- nes Græcam, Arabicam, alias præterea. scribis ta men ut in patria tua loquuntur. in quo uideo quid spectes. quod pater tuus egit, ut optime de Hispa- nia mereretur; id tu alia quadam ratione consequi uis. ille enim, cum annum ageret uix dum quin- ctum & decimum, qua ætate milites in exercitu pauci solent esse, omnium approbatione, qui exer citus regeret, electus, Bæthicæ Regem, bis acie fu sum, regno exsuit, et, quæcunque in eius ditione fue rant, Catholici Regis imperio potestatiq. subiecit. Aliam tu ornandæ, atque amplificandæ patriæ tuæ rationem iniuisti. profers enim, quantum in te est, Hispanicæ linguæ terminos; &, ut ea non solum uerbis, & nominibus, sed etiam rebus, & scientijs per te locupletata ab exteris nationibus appetatur, ingenio doctrinaq. consequeris. quod nescio an om- nibus patris tui uictorijs, atque triumphis sit an- teponendum. nam, etsi populos bello superare, &

impe-

imperium augere, præclarum est: tamen mihi cum animo meo consideranti multo melior uidetur esse condicio litterarum, quàm regnorum. hæc enim in unius hominis fortuna posita sunt, & unius sæpe culpa extinguuntur: illæ uiuunt, & uigent quotidie magis, neque ulla temporis circumscriptione terminantur. itaque magni & excellentes uiri, qui bellicæ laudis gloria florerent, cum earum rerum, quas gessissent, memoriam nō satis fore diuturnam sperarent, nisi ab hominibus ingenio præditis celebrarentur; eos, qui id præstare possent, non uulgaribus præmijs affectos, in honore summo, atque etiam in amore semper habuerunt. Quo mihi illorum laus uidetur esse illustrior, qui & res præclaras manu gerere, &, quæ gesserint, litteris custodire ipsi possunt. quo in numero fuit soror illa tua præstantissima femina: cuius militaria facinora cū audimus, cuiuis eam nostræ ætatis uiro animi magnitudine comparamus: cum autem ea, quæ scripsit, legimus, uel antiquis scriptoribus ingenij præstantia simillimam iudicamus. Huiusmodi cum in tua familia mulieres existant, de uiris quæ sunt speranda? quanquam fratres omnes tui, tuq. in primis, ea, quæ sperabantur, iam præstitistis. itaque Carolus Imperator uestra potissimum uirtute, uestraq. fide nititur. nam fratrem tuum, Marchionem de Mondesar, qui ceteros ætate anteit, cum alijs in rebus, tum in uictoria Tunetana, equitibus leuis armaturæ & classi maximæ præpositum, ma

gno

gno suis rebus sensit esse adimento. alterum autem, Episcopatu Iaenensi ornatum, summe propter eruditionem, & prudentiam diligit: tertium Indicis prouincijs pro Rege, quartum Hispanicis triremibus præfecit: te primum sibi uoluit esse in consilio; deinde, cum difficultatem quandam temporum pæne fatalem impendere, & ea, quæ cogitabat, sine summa prudentia non esse tractanda intelligeret, unum e maximo numero delegit, qui apud Venetam Remp. id muneris orator sustineres. quo quidem in munere clarior in dies significatio tuæ uirtutis elucet. nam ad usum rerum, quo uales plurimum, addis doctrinæ cognitionem: quam a libris petitam, grauiore in caussa consilium capere si uis, explicas, ut, proposito præteritarum rerum exitu, cautior præsentium sit deliberatio. quod quoniam maxime præstant historia, & philosophia: tu quidem uehementer utriusque studio teneris; sed nescio quo pacto magis te philosophia delectat; credo quòd pluris apud te est, excogitare quæ nemo uiderit, quàm imitari quæ alij fecerint. Quo in genere cũ omnino nullius ope uidearis indigere, quippe qui ita abundes ingenio, ut, quocunque te applicueris, excellas: tamen uide, quid egerim: iniuiratione, ut iuuare te possem. nam hos Ciceronis de philosophia libros cum uetustis exemplaribus contuli, & emendatos ad te misi; ut tibi, si quando eos in manus sumeres, quasi facilior & expeditior legendi cursus esset. sæpe enim ex te audiui, cum diceres,

ceres, antiquorum in scriptis ita multa esse corrupta, ut in eorum, qui legerent, animos permiste falsa cum ueris influerent: cui malo si quis mederetur, eum te existimare a studiosis omnibus, sed a te ipso certe maximam esse gratiam initurum. quæ me uox non cohortata est, sed impulit, ut id facerem, quod feciſſe me uides. Ac fieri tamen potest, ut meo te studio, & diligentia nihil iuuerim; & ea, quæ ego nunc in his libris restituta, in tuo nomine emitto, iam pridem ipse habeas omnia, domi tuæ nata, & a te ipso quæsita: sed ego ita sum ratiocinatus: cum tu a philosophis didiceris, non in reges solum, & principes, qui summam iuuandi facultatem habeant, sed in tenuiores etiam liberalitatis nomen posse cadere, quòd bene mereri, etiam si non possunt, tamen & cupiant, & præclarum existiment; eadem ratione fore, ut, quòd ego te iuuare uoluerim, pro eo id accipias, quasi maxime iuuerim.

AD MARCELLVM CERVINVM, Sanctæ Crucis Cardinalem, in alteram Ciceronis philosophiæ partem præfatio.

Est genus hominum, qui ita sentiunt: philosophari, aut totum nihil esse, aut non eorum esse, qui rerum agendarum in studio uersantur. quorum in altero mihi uidentur, cum homines sint,

bestiarum consuetudinem imitari; quæ tantum ea, quæ pedibus teruntur, quæq. adsunt, intuentur, ni hil altum suspiciunt, nihil longinquum cogitant: in altero res a natura copulatas uelle seiungere. nam qui ab actione rerum philosophiam excludit, is, quantum in se ipso est, corporis & animi societatem dirimit; cum & corpus regimine animi, et animus ministerio corporis indigeat. Sed proferunt multos, quibus ignoratio philosophiæ non obstitit, quo minus ea, quæ uolebant, rectissime perficerẽt. quasi uero sit eadem rerum omnium natura, & quod uni aliqua in caussa contigerit, id cuilibet omnibus in caussis posse contingere credibile sit. naufragium facit natationis ignarus; arripit tabulam, & amplexu tenens, ad litus incolumis a fluctibus appellitur: num iccirco natandi peritiam negemus esse utilem, quòd, sine ea qui fuit, e periculo tempestatis euaserit? incidit aliquis in febrem; non curatur, & conualescit: tollemus igitur medicinam, quoniam sunt qui sine eius ope sanentur? nihil minus: nisi si ea, quæ in casu sita sunt, anteponimus ijs, quæ ratio gubernat. quod idem de philosophia dicendum est. nam ut illud demus, sine ea multos esse laudem consecutos: non & hoc dabimus, fore, ut sine eadem consequi omnes possint. non eiusdem semper generis agendæ sunt res. est, ubi prudentia uel mediocris abunde satisfaciat: est item, ubi mentis altior contemplatio requiratur. hoc extremum qui poterit, sequitur ut & illud primum:

sed

sed qui illud primum, non & hoc extremum. quod cum ita sit; utrum præstet habere, facilis est dijudicatio. in optione enim, & eligendi potestate, nemo fere est, quin totum partibus censeat esse præferendum: propterea quòd non totum in partibus, sed partes includuntur in toto. Ergo, cum perspicuum hoc sit, accidere & posse, & solere, ut philosophiæ cognitio utilitatem afferat, ignoratio detrimentum: dubium non est, quin ea uideatur esse cum rerum actione coniungenda. Sed ijdem coniungi posse negant: quo argumento? aiunt eas dissimili in genere uersari, alteram in otio, alteram in negotijs: itaque se non uidere, qui possit in utraque unus excellere. Hic ego, Ceruine præstantissime, meam memoriam non excutiam, ut ea, quæ legerim, aut audiuerim, reminiscar. non est consilium, quæ ad illos redarguendos faciant, ueterum e scriptis eruere. uolo, ut exemplo tuo refellantur. Romæ uiuis, & uixisti multos iam annos. nunquâ omnino tua uirtus tam illustri loco latuit: sed postea quàm te Paulus III. incredibili Pontifex non modo sapientia, sed bonitate etiam ornatus, in altiore dignitatis gradu collocatum, suorum omnium consiliorum & participem, & adiutorem esse uoluit; tum uero clarissime sese ostendit lumen animi, ingenijq. tui; ut nullus esset honor tantus, qui in te collatus, non uideretur ei, qui contulisset, magnam esse iudicij laudem allaturus. itaque paullo post Cardinalis factus es, & factus tan

to bonorum applausu, tantáq. lætitia, quantam in animis hominum rectè sentientium summa dignitas uirtuti tributa potuit excitare. quo toto tempore ualde tu quidem fuisti, atque es etiam nunc, districtus a negotijs, maximeq. ab ijs, quæ & ad sedandas Christianorum Principum discordias, & ad restituendam Religioni dignitatem pertinent: sed te tamen a philosophiæ studio nulla res unquam potuit diuellere. sic & animo, & corpori suis utrique muneribus apte distributis, quotidie fere modo a cognitione ad res agendas, modo a rebus agendis ad cognitionem traductus, teq. ipse in hoc quasi circulo identidem reuoluens, effecisti quod ab ijs, de quibus initio dixi, fieri posse negatur, ut & in tractandis negotijs, & in considerandis rerum humanarum diuinarumq. caussis occupatus, dispari in studio, pari tamen cum laude uerseris. ex quo intelligitur, ab ijs, qui rerum actioni se dedunt, & percipi philosophiam, & tractari posse: debere autem ostendimus: est igitur eorum, qui aliter existimant, sententia omnis explodenda. Nos quidem & nostra sponte commoti, & tuo exemplo impulsi, quotidie magis philosophiam admirantes, in eius cognitione cupimus acquiescere; ad eamque, magnis defatigati laboribus, & molestijs, tanquam ad iocundissimum diuersorium properamus. quò si peruenero, uel potius cum peruenero; (cur enim meam ipse cupiditatem ominibus optimis non prosequar?) tum ego quidem multo, quàm nunc, facilius

cilius tua in me merita uel tuebor, uel etiam illustra bo. in ea non sumus otiosi: utinã potius aliquanto minus occupati. prouinciam cepimus duram, atque difficilem, ueterum scriptorum libros emẽdare dum uolumus: omnino in hoc onere sustinendo uale sudamus: sed animus, tuarum cohortationum memoria confirmatus, manet in officio, manebitq., dum id, quod instituimus, absoluatur. nunc edimus Ciceronis libros de philosophia, sane multis a mendis, potissimum ex antiquo Bernardini Maffei, qui te maxime obseruat, iuuenis eloquentissimi, libro uindicatos. qui cum ita digesti essent, ut in duas partes tributi legerẽtur; cumq. ego ex ijs partibus eam maxime uellem tibi inscriptam emittere, quæ tuæ personæ, dignitatiq. aptissima uideretur: feci, ut eam deligerem, in qua de natura deorum elegan ter & acute disputatur: ut, quoniam ualde tibi pro tua ueteri erga me uoluntate, proq. summis officijs deberi fructus industriæ meæ uidentur; ij dum ad maturitatem peruenirent, his te interim quasi floribus oblectares.

AD RAINVTIVM FARNESIVM, Cardinalem, in suos commentarios Ciceronis epistolarum ad Atticum præfatio.

BENE *audire, qui est recte factorum fructus, omnes fere uolumus, amplissime ac præstan-*

tissime Rainuti: ipsum quidem recte facere, unde illud quasi ex fonte deducitur, paucorum hominum semper fuit. est enim tum perfectæ naturæ, tum doctrinæ singularis: ut tamen natura sine doctrina facile possit ad laudem peruenire; doctrina sine natura laudabilis nunquam, turpis etiam sæpe sit. itaque uel in agris inculto homines ingenio uirtutem tamen coluere: doctrinis autem eruditi uiri, quæ ad bene agendum esse instrumenta debuerant, ijs ad perniciem suarum ciuitatum sunt abusi. quid de Pisistrato græcæ historiæ loquuntur? quid nostræ de Cæsare? doctum utrunque, & eloquentem fuisse, ijs tamen utrunque sensibus, ut exempla maiorum, & legum sanctissima iura contemnentes, libertatem suis ciuibus eripere præclarum duxerint. ergo prima laus bonitatis est; quæ nihil, nisi seipsam, spectat, ipsa sibi finis est: altera doctrinæ; quæ nisi ad bonitatem referatur, laudabilis non est; ideoque, ut laudetur, finem sequitur se ipsa præstantiorem. quòd si quis est, qui alterum cum altero coniunxerit; ut & bonus sit, & idem doctrinis institutus; neque rectum ideo solum cupiat, quia sit ipse ad rectum natura propensus, sed quia, quod rectum non est, id esse turpissimum intelligat: hic est, quem in uita humana diuina bona consecutum putemus. præclara res, sed exemplo minus nota: id autem, ut ego opinor, ob eam caussam, quòd unusquisque in uitam Principis, tanquam in speculum, intuens, ad illius similitudinem se ipse fin-

fingit, & format. ideoque uiri sapientes alterutrum recte cupiuerunt, ut aut reges philosopharentur, aut regnarent philosophantes: utrum esset, futurum ut ex uirtute penderemus. Quòd si fuit ullum tempus, cum homines rationes & cogitationes omnes suas in philosophia constituerent: tum profecto cœpit esse, cum auus tuus ad Christianæ Reipublicæ, nimium magno periculo fluctuantis, gubernacula Dei iussu accersitus, sedit in sede pontificia Pontifex dignissimus, ea præditus non solum auctoritate, sed etiam sapientia, ut hic nos in tantis tempestatibus seruare solus a naufragio possit. cumque laudandus est maxime, quòd optime ipse sentit, optimis semper in studijs, consilijsq. defixus: tum, quòd optimos uiros adsciuit sibi & consiliarios, & suæ uoluntatis administros. in quo ego tantum soleo ponere; ut, si mihi ad alterutrum eligendum optio detur, non bonum Principem malim cum bonis administris, quàm bonum cum sui dissimilibus. sed bene, quòd habemus utrunque; & Pontificem, qualem res poscebat, & Collegium tali Pontifice dignissimum. itaque nunc emergit uirtus: honestum reuocatur: desertæ per multos annos litteræ patronos habent, diuque, ut auguror, habebunt. tu Rainuti, fratreque tuus, duo clarissima Italiæ lumina, uterque Cardinalis, & Cardinalis uterque optimus, præclaram consuetudinem tenebitis ab auo traditam. certe enim non ideo te Patauij per tot annos summi doctores erudierunt,

dierunt, ut ea, quæ tantis uigilijs quærebas, conſe
cutus negligeres. amabis eadem, et fouebis: tuúq.
erit proprium ſtudium non ſolum colendæ iuuentutis,
ſed etiam ornandæ. refer animum ad eos, qui mul
tis ante ſæculis extincti, tamen in laude uiuunt:
omnes reperies, his gradibus adſcendentes, ad im-
mortalitatem peruenisſe. quorum tu quia facta i-
mitaris, non dubito, quin eorum ſemper florenti-
bus nominibus ita tuum nomen inſeras, ut nunquá
exareſcat. materiem habes ad gloriam, Anconita
nam prouinciam; quam nunc ita regis adoleſcens,
ut ea præſtes, quæ ſæpe deſideramus in ſenibus.
quæ quanquam ad eos ſolum, quibus cum poteſta-
te præes, pertinere uideantur: tamen illa tuæ ditio
nis terminis non continentur. ſcis conſuetudinem
famæ. illa nos per ora hóminum ſublimes uehit: be
nefacta ſimul et malefacta æque circumfert: ſed be
nefacta laudibus excipiuntur, malefacta conuicijs
exploduntur. itaque noli putare, te Picentibus ſo-
lis eſſe continentem, eſſe iuſtum, eſſe beneficum.
Picentes hæc uident, longinqui audiunt, & prædi
cant. te aiunt eſſe, ad quem aditus omnibus pateat;
cui ſit iuſtitiæ, ſit pietatis antiquiſſima cura; cuius
& poteſtas timeatur, cum omnia poſſis; & boni-
tas diligatur, cum idem non plus licere tibi uelis,
quàm quantum leges præſcribant. macte adoleſcés
laudibus eximie, imitator aui maiorumq. tuorum
recte cogitaſti, In imperio laudem non eſſe, niſi
cum is, qui imperat, imperio dignus eſt. quod quia

tibi

tibi siue a natura, siue a disciplina, siue, ut ego arbitror, ab utraque simul contigit: quod ad naturam attinet, referimus ad Deum: de disciplina, te ipsum & laudamus, qui ad hæc præclara inuigilaueris; et amamus, quia sũt amabiles uirtute prædi ti. me quidem et multis abhinc annis, cum Romæ te uidissem, atque allocutus essem, in tui obseruantiam uoluntas inclinauit, iam tum de tua indole exspectantem ea, quæ consecuta sunt; & postea Patauij, cum in studijs optimarum artium totus esses, iudicium impulit. hæc tua Picentina legatio quasi operis perpolitio fuit: in qua thesauros philosophiæ, multorum annorum studio congestos, explicas, & cum prouincia communicas. itaque cum ego multo ante, quàm istam tibi administrationem summus Pontifex demandasset, eos commentarios, quibus epistolas ad Atticum illustrare sum conatus, in tuo nomine emittere statuissem; postea simul cum tuis laudibus creuit uoluntas mea. eos igitur nunc emitto, serius omnino, quàm non nulli exspectauerant; sed meam tarditatem opus ipsum excusat. epistolas ad Atticum interpretanti properandum non fuit. alijs in rebus possum esse quantúuis strenuus: in hac qui possum esse non tardus? primum multa difficilia, deinde non ijsdem caussis omnia, sed alia propter breuitatem, alia propter historias, alia propter mores. Huc adde, quòd mihi quibusdam in locis non satis fuit explicare ea, quæ aperta nõ erant; sed tentaui, num etiam paullo floridius possem, quàm

quàm nostri grammatici solent. Neque tamen sum nescius, fore multos, qui me in his commentarijs ut hebetem, quia non nulla minus acute uiderim, uel fortasse etiam ut cæcum, quia prorsus non uiderim, reprehendant. qui si mihi, cur id faciant, caussas afferant probabiles; non committam, ut ijdem me etiam ut pertinacem possint reprehendere. amo enim ueritatem, neque eam in me ipso magis, quàm in alio: itaque complectar, sicubi eam uidero. Tibi uero, clarissime Rainuti, quod in has Ciceronis epistolas laboris impendi, maxime ob eam caussam cupio probari, ut, si qui uere iudicare aut propter inscitiam non possunt, aut propter maleuolentiam nolunt, eos a consilio detrahendi, tua deterreat auctoritas. Venetijs, M.D. XLVIII.

AD ALFONSVM CARAFAM, Antonii Marchionis Montisbelli F. in suos commentarios Ciceronis epistolarum ad Q. fratrem præfatio.

SI suo quæque res merito penderetur, Alfonse Carafa; hominum esset in uirtute uigilantium præclara condicio; contraque, quos auersa a ratione uoluntas ad malas artes, et flagitiosa consilia traducit, cum ijs pessime semper ageretur; eorumq. docti exemplo, sapientius deinde alij nó modo suis, uerum etiam publicis rationibus consulerent. itidem

dem enim, ut e corruptis seminibus uitiosæ fruges, sic a malis exemplis improba studia, a laudabilibus optima nascuntur. uerum hoc totum secus est. quippe non modo ad reprehendendum, quæ reprehendi iure possunt, procliuiores, quàm ad laudandum, quæ laude digna sunt, omnes fere sumus, nec satis æqua lance turpe & honestum examinamus; quæ debemus pariter, alterum odisse, alterum diligere: sed etiam sæpe facimus, ut eas res, easq. actiones, quarum caussas ignoramus, quæq. recte ne, an secus fiant, dijudicare non possumus, accusemus tamen, acerrimaq. uituperatione, quæ interdum efferri laudibus oporteret, ea deprimamus. Ac, ne me putes, Alfonse clarissime, huius initium sermonis temere detulisse; ego nunc, si nescis, meam, meam dico? immo uero communem utriusque nostrum caussam ago. aut enim uterque agimus egregie; aut uterque similiter peccamus. Audis ne tu uoces in latinæ linguæ nomen irrumpentes, hominum obtrectantium, qui rei pulcherrimæ scientiam reprehendant; qui nos derideant, ludosq. faciant, atque etiam, si dijs placet, odio dignos existiment, quòd operæ tantum ac temporis in hoc tam nobili studio collocemus? tu fortasse non audis, totus in litteras abditus, multorum a consuetudine seiunctus: aut, si audis, negligis, opinor, magnis non tam fortunæ, in qua tamen ipsa multum inest, quàm rerum omnium laudabilium præsidijs ad omnia munitus. me uero, humilis hominem loci, hac

una

una tibi Romani ſermonis cupiditate parem, cete ris rebus omnibus inferiorem, iſta ſane, quæ ferùt aures meas, uehementer commouent: non quòd ea, quibus utuntur, argumenta firma ſint; quæ oſtendam eſſe inania: ſed quòd, ut eam quiſque uirginem cuius amore flagret, intactam ab iniuria, purá ab omni labe uelit, ſic ego, quaſi lutoſis maculis adſperſam, ac fœdatam eloquentiam, quam ſemper dilexerim, cum adſpicio, ſenſibus intimis afficior, ſic, ut ferre non poſſim. Obijciunt illud primum: quatenus aliquid cognoſci poſſit, eatenus, in eo laborandum: latinam linguam obſoleuiſſe iam, & extinctam pæne totam eſſe: quam enim hodie nationem, ut omnes animo perluſtrentur, latine loqui? quod uero, ex ea ſuperſit in libris, minimum id eſſe, tanquam aliquod inane ſimulacrum corporis exanimis: quocirca neque ſciri perfecte, cum exiguam partem libri contineant, neque pronuntiari decenter, cum ſermonis uſus euanuerit, a nobis poſſe. Secundo loco ſtatuunt: ut abſolute, percipi, quod negant, latina lingua poſſit, mirari ſe tamen etiam atque etiam, cur induſtriam in ea perdiſcenda tam diuturnam ponamus: uitio quidem id fieri uoluntatis, & iudicij: dignitatem in re tantam non eſſe, ut hærere per tot annos in hoc ſtudio debeamus. Concludunt poſtremo: ut de perfecta cognitione, de dignitate, ac præſtantia concedatur; tamen eſſe, cum, ea pulſa, ſucceſſerit alia, minime neceſſariam. Hæc iſti: quæ ſpecie aliquid uidentur;

ego,

ego, re nihil esse, & quando me praesente disputantur, ostendo. Conuenit inter nos, esse aliquid in omnibus facultatibus, atque artibus extremum: quò nostra studia cum peruenerint, quiescendum. sed hoc extremum quibus terminis metimur, rei ne natura, an uulgi opinione? si opinione uulgi: licet pro pemodum otiose uiuere: mediocria, quæ putantur excellere, quæramus: id satis est: illa summa, ubi summum decus habitat, quæ uulgus ignorat, omittamus. sin extremum illud esse uolumus, quò peruentum cum est, progredi longius, non licet: moderata studia non dantur. perfectam enim scientiæ laudem adipisci, maximi operis est: itaque hoc extremum, quod, opinor, Natura nouit una, sapiens nemo unquam se putauit esse consecutum. extant, litterarum clarissimis testata monumentis, exempla summorum philosophorum: qui cum ætatem in abditarum rerum perscrutanda notitia contriuissent, multaq. partim legendo, partim cogitando præclara & eximia reperissent; latere tamen adhuc, magnis inuolutam difficultatibus, ueritatem, & aliquid sibi, atque adeo multum esse quærendum existimabant. Eadem nunc, aut certe similis admodum nostra ratio est. Quærimus id, quod in Latina lingua perfectum putamus. non assequemur: esto: ueruntamen, quo plus, ut assequamur, contenderimus, eo scilicet propius, si quid studio proficitur, accedemus. At laboris, & industriæ terminus tamen statuendus aliquis est. Concedo:

sed

sed hoc quidem, si diligenter attendatur, nihil aliud est, quam perfectum ipsum definire. hoc enim ad unum nostri labores intenduntur, hoc unum ne ra spectat industria. perfectum autem ipsum ego mihi ab hominibus imperitis certe definiri nolo. definiant ij, quibus utor magistris, Cicero, Cæsar, Terentius, Plautus; quorum ex libris, quæ latinæ linguæ sit elegantia, quæ ubertas, quæ uis, facile possum intelligere. quæ si, non dico quanta sunt, (immensa enim esse uideo) sed si ea mihi magna ex parte comparassem; modum fortasse facerem studio meo: sed, ut inter hos, qui nunc homines uiuunt, aliquid esse uideamur, nihil tamen, si uere de nobis ipsis iudicare uolumus, præ illis, quorum extant satis multa scripta diuinitus, nihil, inquam, plane sumus. Quare, quod ad scribendum attinet, habemus abunde, quod imitemur. De pronuntiatione uero minimum laboro. quid enim? an putamus in ijs ipsis, qui tum Romæ uiuebant, eandem pronuntiandi rationem fuisse? non fuit. confluebant in urbem, illecti spe summorum magistratuum, quod habuit illis temporibus præmium eloquentia, oratores ex uniuersa Italia. causas agebant Romani homines pariter & peregrini, sono uocis dissimiles, pronuntiatione diuersi: suam tamen quisque, pro eo, quantum quisque ualebat ingenio, laudem ferebat. si Curibus educatum, aut Arpini, orantem in foro audires; Sabinum statim, aut Arpinatem agnosceres. neque tamen a forensi opera, & a iu-

iudicijs propteret quisquam est excluſus, quia minus Romane, hoc est quia minus apte, minus ue de ce..ter, pronuntiaret. Nunc ipſum, in hac, qua Ita li omnes utimur, ngua est ne omnium in diſiunctis & longinquis urbibus ſimillima pronuntiatio? mehercule ne in ijſdem quidem. Venetijs enim (do meſtico utar exemplo) aliter in urbe media, aliter in extrema loquuntur. quapropter nimis iniuſto priuilegio damnabitur latina lingua, ſi, quod in ceteris linguis uſu uidemus euenire, ut non modo diuerſis, uerum etiam ijsdem & temporibus, & locis non ſimiliter omnes pronuntient, id ei præcipuũ apponatur: cuius etiam magnis ac præſtantibus meritis aliquid largiri, tum humanitatis, tum æquitatis eſſet. Secundum erat de dignitate. in quo, non tam equidem quid ipſe reſpondeã, quàm quid iſtos in hanc mentem impulerit, quæro. Ita ne? dignitatem latinæ litteræ non habent? humiles, & obſcuræ ſunt litteræ illæ, quæ populi Romani nomen extollunt, atque illuſtrant? quæ ſummorum Imperatorum fortiter & præclare geſta per omnes gentes cum laude diſſeminant? quæ maiores opes, quàm ulla unquam lingua, maiora ſuorum meritorum præmia in orbis terrarum domina ciuitate ſunt adeptæ? Sed ineptus ſim, ſi me patronũ latinæ linguæ profitear: quæ tantum poſſidet eloquentiæ, ut, ipſa ſuam cauſſam ſi agat, facile ſe ab aduerſariorum calumnia uindicare poſſit. Nunc, quod iſti poſtremo loco argumentum, quaſi poſtrema in acie ſubſidium

dium firmissimum, collocant, uideamus in eo quantum roboris ac neruorum sit. plus enim est fortasse, quàm ut contemnere, minus certe, quàm ut p[illegible] mescere debeamus. Nusqu[illegible] inquiunt, iuget usus latini sermonis: aliter uti[illegible] omnes loquimur. id uerum est. si quid igitur in latinam linguam studij confertur, opera non bene ponitur. hoc falsum. duplex autem est, qua utor, ratio probandi. Primum illud suscipio, ac defendo: non, quæcúque necessaria non sint, propterea spernenda esse omnia, atque explodenda; deinde, si spectetur utilitas, ita latinam utilem esse linguam, ut etiam necessaria uideatur. Quæ sunt, quæ uere, et proprie necessaria dicimus? nimirum ea, quibus carere nullo modo possumus. huiusmodi sunt primum elementa, deinde, quibus famem, frigoraq. arcemus, uictus, uestimenta, ædes, aut ea, quibus hæc parantur; præterea, in publicis rebus leges, & magistratus, in priuatis seueritas, & uigilantia. ex hoc numero latinam certe non esse linguam, facile concedo. neque enim is ego sum, qui libenter cum ueritate pugnem. Sed præter hæc, quibus hominum uita sustinetur, ac regitur, quàm multa sunt, minime necessaria, quæ tamen habemus in delicijs, quæ amamus, quæ etiam honore prosequimur? gemmas, & uasa pretiosè cælata, columnas marmoreas, laqueata tecta, sericas uestes, textiles picturas, artem in uocibus, et fidibus, odores in unguentis, condimenta in cibis, hæc certe, atque huius generis sexcenta, non ut necessitati

essitati pareret sed ut sensibus satisfaceret, inue-
nit industria. quæ quin habeant iocunditatis & or-
namenti plurimum, nemo negat. quòd si, quæ sen
sus iuuant, & labi nisi quæsita sunt, et retinentur
accurate: quanto nouis ea, quæ animum oblectant,
potiora debent esse? pascitur animus magnitudine
rerum: quid Liuij sublimius historia, quæ populi
R. bellicam uirtutem commemorat? grauitate sen
tentiarum: quis Cicerone prudentius, quis eruditius disputat? elegantia uerborum, & copia: quis eodem ornatior, quis uberior? uarietate scriptorum: quod genus Romanæ litteræ desiderant? poetas habent egregios, historicos, oratores, philosophos etiam excellenti doctrina claros. quæ si uera sunt: (sint, nec ne, res ipsa declarat: ambigere non licet) & si uoluptatem studiosis latina lingua parit incredibilem; possum istis tribuere, quod uolunt, necessariam uulgo non esse; dum ipsi contra, quod ratio postulat, atque exigit, hoc mihi tribuãt, amandam esse uehementer, atque expetendam. Sed hæc ad eam, qua legendo fruimur, uoluptatem pars attinet: nunc, quod eram alterum pollicitus, de utilitate uideamus. Omnes linguæ aliarum admistione linguarum, si moderata sit, augentur; si nimia, corrumpuntur, atque intereunt. quod enim recipitur, id esse debet eiusmodi, ut recipientis naturã suaui, suaq. magnitudine non exsuperet. itaque sermo hic noster Italicus multas Gallici sermonis, multas Hispanici, quasdam aliarum nationum

habet partes. causſam ſi quærimus: non alia, quàm earum gentium interuentus, & conſuetudo, fuit. quòd ſi Gallorum, aut Hiſpanorum immenſa multitudo, (exempli cauſſa dictum a me ſit: omen quidem inane eſſe uolo) ſed ſi earum nationum maior aliqua uis in Italiam irruperit, ac permanſerit: maior ſimul inducetur Gallici, aut Hiſpanici ſermonis uſus; et fortaſſe aduenticium illud uſque eò ualebit, ut hoc domeſticum uincat, ſuisq. ſedibus expellat. quod olim Romanæ linguæ contigit: quam, multarum ætatum ſpatio, multis maximarum rerum adiumentis auctam, atque confirmatam, diuerſis tamen populis Italiam occupantibus diuerſarum linguarum impetus oppreſſit. Cum igitur lingua linguam amplificet; noſtraq. hæc Italica, non multis abhinc ſæculis orta, nec admodum liberaliter præmiorum nutrimentis educata, non ita dum adoleuerit, ut ſuis contenta uiribus eſſe poſſit: ſtatuo ſic, atque concludo; acceſſionem ei fieri maiorem non poſſe, quàm ſi cum latina coniungatur: non modo, quia nulla plenior, aut ornatior: uerum etiam, quia nulla ſimilior: ex quo ſequitur, ut ad coeundam cum ea ſocietatem nulla commodior. Eſt igitur litterarum Romanarum cum per ſe laudabilis admodum, & iucunda tractatio, tum uero, ſiquidem hunc ipſum, quo nũc utimur, auctum exornatumq. ſermonem cupimus, magnopere neceſſaria. Atque hæc tu quoque uides, Alfonſe ingenioſiſſime, tuumq. iudicium cum mea ſententia coniungis.

iungis. itaque, cum a prima pueritia ad eloquentiæ Romanæ cupiditatem incumbere cœpisses; postea te non ambitio, quæ sæpe præclare iacta fundamenta uirtutis euertit, non commodum, non illa bonis artibus inimica, uoluptas ab hoc studio deduxit. ac ne nunc quidem langues; cum tamen omnia uideas ardere bello, armorumq. strepitu aures tuæ quotidie personent. quin, dum patrui tui, Carolus Cardinalis, & Ioannes Palliani Dux, uterque ob uirtutem immortalitate dignissimus, maximeq. pater tuus, Antonius Marchio Montisbelli, natus ad omnem gloriam, omniq. princeps laude cumulatus, urbem Romam, et iura pontificia tuentur, partesq. in bello quisque suas consilio, uigilantia, fortitudine ita explent, ut antiquam maiorum suorum consuetudinem referant; ipse te interea continues in tuis perennibus studijs; animumq. tum alijs magno Principe dignis uirtutibus, tum uero maxime excolis eloquentia, doctorem in ea, ducemq. nactus, diuino quodam munere, uirum excellentem, Ioannem Paulum Flauium; qui te nouo quodam, planeq. admirabili genere disciplinæ, abductum a uulgi erroribus, per directam semitam ad eximium illud ueteris Romanæ linguæ decus facile ducit, quò uel cum summis laboribus ac uigilijs adspirare pauci, aut fortasse etiam nemo potest. quanquam me non nunquam, de statu latinæ linguæ cogitantem, miseratio quædam acerbo cum dolore tangit: quòd ita futurum animo cernam, ut

hæc, per tot iam sæcula, a tot ingenijs, tam diligenter culta, latine scribendi ratio, quæ parentem nostram Italiam nobilitauit, quæ tot in nos merita contulit, ætate demum nostra, nisi remedium aliquod diuinitus extiterit, suam honestatem omnem neglecta prorsus in perpetuum amittat. quòd si rebus inclinatis, iam iamq. cadentibus opem ferre quisquam potest; unus est Paulus IIII, Pontifex omnium optimus, idemq. diuina potius, quàm humana, sapientia præditus. unus, inquam, aut nemo unquam, & latinam linguam, & laudabilia quæque studia ueterem in dignitatem uindicabit. qui cum frater fuerit aui tui; cumq. illum una uirtus ad eum gradum extulerit, unde humana omnia despicit, supra casus omnes, supra fortunam ipsam collocatus: hunc te decet imitari, huius uitam, perpetuo sanctissime tractam, huius omnia facta, consilia, instituta tibi ante oculos ponere. uides pietatem erga me Deum. et in auctoritate Pontificia, id est in ipsa religione tuenda firmitudinem animi, atque constantiam. uides multiplicem rerũ humanarũ diuinarumq. scientiam, trium uero linguarum, hebraicæ, græcæ, latinæ cognitionem pane singularem. eloquentia uero prorsus eum excellere omnes fatentur: qui quidem ita quacunque de re non modo copiosè, uerum etiam eleganter, ac diserte loquatur ex tempore, ut ei non arte quæsita, sed a natura donata uideatur eloquentia. hunc igitur sequere, & in illius uestigio pedem statue. ipse enim

enim Deum secutus est ; cum eam felicitatem, quam plerique mortales ignorant, animo cogitaret. quem tu quoque finem spectas, ut audio: & ob eam causſam futurum homines augurantur, ut eius dignitatis, quæ summæ proxima est, insignia breui omnino consequaris. quod cum euenerit; lætabor primum tua, deinde communium studiorum causſa. qui enim tuos impetus ad laudem nunc uidemus, tuosq. plane sensus intelligimus; an, ubi ad istam uoluntatem auctoritas, atque opes accesserint, fore dubitemus, ut a te ipso dissentias? Præstabis Alfonse tu quidem alia præclara, te ipso scilicet digna, tuaq. familia, in qua florere uides heroes permultos, gloria circumfluentes, uirtutis in studio defixos: maxime uero gratiam referes optime de te meritæ latinæ linguæ, eamque, paullatim Italia cedentem, & ad transalpinas nationes, magno nostro dedecore, migrantem, in suam sedem domiciliumq. reuocabis. Cuius gloriæ causſa, si monendus es, monitorem ad te, sin rogandus, supplicem uolui mittere commentarium hunc meum in epistolas ad M. Brutum, & ad Q. fratrem: qui cum tibi studia commendat eloquentiæ, in quibus ego per tot annos, utinam cum aliqua laude, magno certe cum labore uersor, commendat simul, paullo tamen uerecundius, se ipsum, & uigilias meas: quarum fructus mihi erit uberrimus tum beneuolentia, tum iudicium tuum. Quæsiui omnino, idq. mihi primum fuit, posteritatis utilitatem;

quod est proprium familiæ nostræ: sed in te ipsum simul, cum huic operam commentario dare in, spectaui. tu si probas ea, quæ litteris mandamus; si faues industriæ, optimeq. te esse animatum erga mea studia significas: ego me, quæ summa sint, omnia consecutum putabo.

AD ANTONIVM AELIVM, Polæ Episcopum, in orationis Ciceronis pro P. Sextio commentarium præfatio.

Cvm alia multa, quæ uigebant olim, rerum laudandarum studia periisse, atque extincta prorsus esse; dolendum est, Aeli, uir optime, ac doctissime: tum hanc, in qua sitam omnes uel maximam utilitatem intelligunt, interpretandi rationem ita amisimus; ut ex eorum, quibus nostra patrumque memoria suam hoc in genere industriam locare studium fuit, magno ac infinito prope numero, non tamen ita multos, qui tolerabiles uideantur; qui uero excellant, quampaucissimos, aut fortasse neminem liceat inuenire. atque huius quidem incommodi culpa unde manauerit, exponam. Primum illud in controuersiam non cadit; quo quidque præstantius, eo laboriosius, ac difficilius esse. alioqui nihil iam excelleret. quod enim consequerentur multi, in eo dignitas non esset, & ex copia uilitas existeret. est igitur in magnis rebus item magna, quæ

quæ nos ab earum quasi possessione arcet, constituta difficultas. hæc porro simplex non est, sed in duo genera diuiditur. quædam enim, sicuti existimantur, ita difficilia sunt: quædam, cum non existimentur, tamen sunt. ubi difficultas & est, & apparet; inde multitudo uoluntatem & studium libenter abducit. rem quidem ipsam, quanti est, opinione æstimamus, & uehementer expetimus: magnis uero laboribus, & uigilijs ut ematur, non facile quisquam a se ipso impetrat. amat enim hominis natura moderatam quietem, eaq. alitur, & crescit; nimias contentiones, quibus frangitur, ac minuitur, recusat. ubi uero facile in speciem aliquid ostenditur, difficultas inclusa latet; cuiusmodi non esse pauca, inanis multorum docuit experientia: eò frequentes, bona spe inuitati, accurrūt; facileq. ad eas res aggrediuntur, in quibus uel mediocrem operam si ponant, futurum, ut ex animi sententia succedat, arbitrantur. quos deinde, graui temeritatis infamia, refellit euentus. huius generis hæc est, de qua orationem instituimus, ratio interpretandi. quis enim est, qui se non existimet Liuium posse, Sallustium, Virgilium, ipsum mehercule Ciceronem ita commode explicare, ut desiderari ab eruditis beneq. intelligentibus uiris nihil queat? atque hi, cum in C. Marij, aut in L. Syllæ nomen incident; si Marij, aut Syllæ uitam, a Plutarcho sumptam, in sua scripta totam transtulerint; tum se suas præclare partes absoluisse existimant: cum

interim, in quo doctrinæ, quæ paullo sit occultior, appareant notæ, in quo ingenij lumen eluceat, in quo prudentiæ uis, aut iudicij signa cernantur, nihil afferunt. exire uidemus quotidie, a postremi ordinis hominibus factos, speciosis magnaq. pollicentibus titulis insignes, minimi pretij commentarios: quos non modo qui scribunt, falsa de se ipsis opinione decepti, uerum etiam qui typis impressos edunt, ijs, qui hoc de genere iudicare possunt, inconsultis, quodam modo deformant præclara studia litterarum, & de posteritate ipsa pessime merentur. sed cetera, quæ ferenda non sunt, feramus tamen, ac dissimulemus, sane multa: commentarios uero illos, qui passim leguntur, in Ciceronis orationes, (quem librum? latinorum omnium facile principem) grauem, inquam, illam immensi uoluminis molem quis est qui ferre ullo modo possit? loca sunt in Ciceronis orationibus male mendis affecta quã plurima: sanari nullum uideas. sunt ob antiquitatis obscuram notitiam difficilia: quis est, de tot interpretum numero, qui lumine explanationis illustret? denique communia tantum, quæq. omnibus pæne patent, ea sumunt ad explicandum: ex abditis, quò sine labore et ingenio accessus non est, doctrinæ fontibus nihil hauriunt. contraque, multa corrumpunt magis, dum emendare conantur; multa exponendo peruertũt, et pulcherrimas sæpe sententias turpissimis inscientiæ maculis inquinant. Quæ me ita commouit indignitas, itaq. meum animum,

ut

ut uere dicam, miseratio quædam affecit, quasi ob illatam uiro optimo, egregieq. de litteris merito, Ciceroni, qui Romanæ terminos eloquentiæ longissime protulit, ignominiam; ut statuerim, si cum uita ualetudo, & cum ualetudine otium suppetat, triennium, aut quod omnino res exiget spatij, in hoc omnium pulcherrimo libro interpretando, & studiosorum gratia, consumere: non quòd ego is sim, qui mihi tantum arrogem, ut alijs detractam scientiæ laudem ad me transferam: abest hoc a consuetudine mea, abest a natura plurimum: sed neque rursus is sum, qui, cum ceteros probe nouerim, ipse me prorsus ignorem; & qui, cum alios accusem propterea, quia non præstant ea, quæ ab eorum studio postulantur, ego me, si quid præstare posse mihi uideor, uelim contemnere. non ita laudem fugio; etsi nec nimis appeto. alterum stupidæ cuiusdam sapientiæ, alterum insanæ ambitionis esse uitium semper duxi. neque uero, si quid mihi elegantioribus in litteris assumpsero, longe admodum ab ijs finibus, quos modestiæ ratio præscribit, discedere mihi uidebor. scis tu Aeli, pro nostra uetere amicitia, & familiaritate, per quot annos, quibus laboribus hæc, quæ ab humanitate nomen acceperunt, studia coluerim. sciebat optime omnium, & mihi, cum uiueret, hoc nomine tribuebat plurimum, Bernardinus Maffeus Cardinalis, meus ille, in omni mihi uita deflendus Maffeus, Vrbis deliciæ, lepor, humanitas, exemplum antiqui officij, flos omnium uirtutum.

tutum. is amabat hæc studia mirifice, eaq. quibus poterat rebus (poterat autem plurimis) tuebatur, & fouebat. bene autem de hac, quæcunque in nobis est, uel potius quantulacunque est, latinæ orationis facultate existimabat: neq. quotidie, quantum possem, ut latine scriberem, urgebat. et scribebat ipse, ut scis, luculenter, & egregie. probabat omnino meum consilium, & efferebat, maxime, de commentarijs in Ciceronis orationes; sed exerceri malebat prius industriam meam in Antiquitatibus Romanis, ipso potissimum auctore institutis. interim, ut quasi ex unius partis forma de toto liceret ædificio conijcere, unam aliquam, quæ specimen ingenij mei præberet, orationem subsiciuis horis ut exponendam susciperem, hortatus est. ego sumpsi pro Sextio: nec multis post eum sermonem mensibus hunc, qui nunc in tuo nomine, Antoni Aeli, apparebit, commentarium absolui. et, quod, ille si uiueret, fecissem, ut hoc ei, quidquid est, muneris deferrem, studio meo commotus, illius uirtute impulsus; idem nunc, iisdem adductus caussis, tecum facio libentissime. nam cum amicitia inter nos est, quanta inter duos, quorum & uoluntates, & iudicia consentiant, esse potest maxima: tum habes uirtutem, non eam, quæ petitur a libris, quæ uno scientiæ nomine definitur, sed eam, quæ oritur ex animi præstantia, & multas in se laudes continet, studium in suscipiendis Ecclesiæ caussa laboribus, constantiam in perferendis; humanitatem in

excipiendis hominibus, benignitatem in subleuandis; comitatem in consuetudine familiarium, grauitatem in congressu & sermone clarorum tuiq. similium uirorum; denique uoluntatis propensionem ad optima quæque singularem. itaque te summus ille artium honestarum patronus, decus Italiæ, Alexander Farnesius Cardinalis in oculis fert; tibi arcana communicat; tuis in consilijs, si quid deliberandum est, multum, si quid perficiendum, in uigilantia plurimum ponit. tu, quo apud illum Maffeus olim loco fuit, eodem ipse nunc es: rectissimáq. laudandarum actionum uiam, obseruatis Maffei uestigijs, ingressus, pergis eò fauentibus hominibus, approbante Deo, ubi debitum ijs, qui bene ac laudabiliter uixerint, præmium, summa dignitas persoluitur. Mouit etiam me uehementer illa ratio; quòd erat inter uos coniunctio animorum arctissima, conueniebant sensus, congruebat uoluntas: præterea simplices animi, & puri, nulla simulationis arte obducti, nulla inuidiæ aut maleuolentiæ labe suffusi. Quare, quoniam illa Maffei suauitas, illud ingenium, illa uirtus erepta morte, nimium iniquo fato, nobis est; (tametsi memoriam illius uiri neque mihi mors, neque omnino dies ulla unquam eripiet) & quando, quæ illius erant partes in ornandis liberalibus disciplinis, eæ translatæ ad te uidentur, præclariq. muneris quasi uicarius relictus es: ego quoque, quod in illum studij, quod habui uoluntatis, ac beneuolentiæ, (id erat tantum, ut accede

re

re nihil posset) totum illud in te unum, illi quam simillimum, contuli: & qui te antea, multis ergà me meritis, multis ingenij tui suauitatibus adductus, unice dilexissem, tamen id, quod in amore summum uidebatur, auctum, cum hoc accessit, etiam atque etiam, plenissimeq. cumulatum intelligo. Tibi igitur offero, fructum ingenij mei, in orationem pro Sextio commentarium, operis uniuersi, quod maiores a me uigilias postulat, imaginem: quod ipsum, Maffeo promissum, idem tibi, qui eius in locum successisti, iam nunc animo dicamus. uerum hoc serius fortasse præstabitur. de re enim, quod ad me attinet, constitutum est, &, ut uides, aggressus iam sum: de tempore, is, a quo nostrorum consiliorum pendet euentus, rerum omnium moderator uiderit Deus. Habeo nunc in manibus Antiquitates. eas nisi pertexuero, nihil instituere in animo est. pertexere autem ut possim, duo sunt optanda, ualetudo, & otium: quod utrunque, assiduis annorum superiorum studijs infirmatus, et rei familiaris cura impeditus, nunc quidem magna ex parte desidero. accipe interim hoc, quod adest, argumentum obseruantiæ in te meæ; & illud, quod aliquando, ut speramus, futurum est, suo tempore exspecta.

Ad

AD IOANNEM MORVILLERium, Regis Gallorum apud Venetam Remp. Oratorem, in quattuor Demosthenis Philippicas, latinitate donatas, præfatio.

QVAM *difficili in loco uersetur eorum industria, qui de græco uertunt, neque tu, ut arbitror, ignoras, Ioannes Moruilleri, uir clarissime, cui uel exercitatio litterarum, uel ipsa natura, uel potius utraque simul hoc dedit, ut in iudicando excelleres; & ego experiens ita sensi, ut, qui alijs antea in hoc genere peccantibus acerbior fuissem, ac durior, idem postea, re tentata, eo libentius ignouerim, quo magis eandem ipse culpam extimescerem. Occurrunt ijs, qui de græcis latina faciunt, duo inter se maxime contraria uitia: quorum utrunque cum* euitandum *æque sit, ita periculosa tamẽ cautio est, ut fere, declinare ab altero dum uis, in alterum incurras. nam & qui in eo laborant, ut græca uerba totidem pæne latinis reddant, quòd fideles interpretes haberi uolunt, inepte faciunt, atque in illa ipsa nimis attenuata diligentia grauiter peccant; quoniam quidem res ipsa primum fit obscurior; quod cum interpretis officio pugnat; deinde latinæ orationis dignitate cultuq. destituta sordescit: & qui horum in uerbis referendis religionem improbant, pu-*

putidamq. appellant, libertatem ipsi quandam & licentiam magis amant; his plerunque contingit, ut, dum ad ornamenta toto animo intendunt, ab ipsa sententia longius aberrent. Summum artificiū, summamq. possidet prudentiam, si quis inter has difficultates constitutus, quasi medius inter duas Syrtes ita nauigat, ut naufragium non faciat. quod ætate nostra cum ex transalpinis hominibus multi, ex nostris etiam non pauci tentauerint; tamen, cum omnes excussi, uix unum aut alterum ex uniuersa multitudine reperio, qui perfecti munus interpretis expleuerit. Atque ego uidebam fore in illam ipsam peccantium interpretum turbam conijcerer: & communem esse caußam confiteor: sed mea tamen hoc probabilior est, quòd alij se ad id, quod in hoc genere perfectum est, peruenisse sunt arbitrati; ego, quàm a perfecto longe distem, ipsemet intelligo: ut mihi saltem incorrupta fuerit idea, alijs non solum perficiendi ratio defuerit, uerum etiam iudicandi. Sed quia fieri potest, ut, quemadmodum alij falluntur in eo, quia sua scripta nimis indulgenter probant; ego contra fortasse fallar in eo, quia mea seuere nimis improbem: exspecto, quid tu sentias, Moruilleri sapientissime: ut, siue inter me & alios interpretes aliquid interesse duxeris; siue me quoque in eodem, quod aiunt, hærere luto iudicaueris; ego, quidquid statueris, ad tuam sententiam meum de me ipso iudicium in utranque partem accommodem. Equidem probari a te,

a te, atque etiam laudari mea scripta uelim: &, qui minime soleo esse ambitiosus, tamen igniculis quibusdam cupiditatis incendor, ut meum nomen in ore tuo uersetur. non enim, a quouis homine laudari, optabile est; turpe etiam, a quibusdam. me quidem non tam ipsa laus, quàm laudantis auctoritas afficit. quare cum tu is sis, de quo duo Reges, at quales Reges? omnium, qui in Gallia regnauerint, maximi, pater, & filius, optime senserint; quorum alter legationem tibi ad Venetam remp. detulit, alter eiusdem honorem postea confirmauit; cumq. in ipsa legatione publicam personam omni re, loco, tempore ita sustineas, ac tuearis, ut summam in te grauitatem omnes laudent, nec tamen humanitatem quisquam desideret: magni refert ad ingenij mei commendationem, quid tu, uir primarius, & omni laude circumfluens, de hac mea tenui uigilia sentias. potest obscuram per se lucubrationem tuum testimonium illustrare. quod ego si assequar; ad illa praestantiora, quæ maiorum uigiliarum sunt, quæ scis a me iam esse instituta, fiam alacrior: quæ ipsa posteri cum legent, (non enim dicam, si legent; quia, quod summe cupio, summe etiam sperare iucundum est) de tua, non una, aut altera uirtute, sed sapientia, quæ omnes uirtutes continet, me narrante cognoscent; &, cum cognouerint, ipsi quoque prædicabunt. Venetijs,

M. D. L I.

Ad

AD HIPPOLYTVM ESTENSEM, Cardinalem, in librum de Romanis legibus præfatio.

OMNES artes, atque omnes res, HIPPOLYTE Princeps, & Cardinalis, modo augeri, modo minui, nec eaſdem perpetuo eſſe, ſatis inter omnes conſtat. patet hoc quidem oculis primum, deinde etiam mentibus. oculis notamus euenta: mente, cur quidque eueniat, quò ue referenda ſit cuiuſque rei mutatio, intelligimus. itaque lapides, & metalla, quæ omnium duriſſima ſunt, quæ uis hominum frangere uix poteſt, hæc tamen conficit, & conſumit uetuſtas. quidquid enim ex partibus aliquando coïit, & concretum eſt; id eaſdem in partes aliquando dilabatur, ac diſſipetur, neceſſe eſt. habet hoc materia illa, unde res omnes conſtant, ut formæ mutationem quærat: idque, quod ſequitur, aſſecuta, migrat in alias naturas, quaſi, quod appetiit, eo nunquam eſſe contenta uideatur. neque uero hæc naturales tantum ad res condicio pertinet, ſed inuenta quoque hominum, operaq. attingit. mores, conſuetudines, loquendi ratio, quam linguam uocamus, leges ipſæ, quas ne quid unquam ex hominum memoria deleat, in æs incidimus, omnia demum, quæ ab arte naturam imitante fluxerunt, quotidie mutantur, ac tolluntur, non modo ab externis cauſſis, contra uoluntatem noſtram, uerum etiam

etiam a nobis ipsis, quia tempus ita postulet. sed artes liberales, optimaq. studia, quæ nusquam magis, quàm in Italia, honor aluerat, atque auxerat, ætas nulla magis afflixit, quàm cum Romani Imperatores, imperij sede in Thraciam translata, Italiam barbaris nationibus diripiendam, ac deuastandam reliquerũt. quòd nisi superioribus annis Principes, ac Pontifices aliquot, maxime uero Leonis X egregia, propeq. diuina liberalitas huic malo subuenisset; quem Laurentij Medices, patris sui, clarissimi uiri, exemplo commotum, etiam ueræ laudis cupiditas impulit, ut iacentes ingenuas artes, magnis propositis præmijs, excitaret: barbara, credo, quod ad litteras attinet, magna ex parte nunc esset Italia: dignitas omnis philosophiæ, splendor omnis obsoleuisset eloquentiæ. sed neque ille huius præclari operis summam potuit absoluere, ereptus morte, disciplinis liberalibus nimis immatura: & interitum illius tempora sunt eiusmodi consecuta, ut, quæ paullulum iam luxerant honestarũ scientiarum studia, ea perpetuis multorum annorum tenebris quasi nox quædom obscurauerit prorsus, atque extinxerit. fatalis enim bellorum tempestas non exercitationem modo litterarum sustulit, uerum etiam, quæ sunt in excolenda uirtute positæ laudes, eas labefactauit omnes, atque peruertit. ac nunc quoque, cum pacis aliqua spes, longo sane interuallo, affulsisset; misera rursus eodem malo tentatur Italia, uteresq. calamitates aduersus

bonis artibus nescio quis Genius inuehit. Nunc te, Hippolyte Cardinalis, cui summam iuuandi generis humani uoluntatem Deus tribuit, eximiam ad laudem uocat occasio. suscipe desertum pæne ab omnibus litterarum patrocinium: collige tu, quæ alij dissipant, omnium laudandarum doctrinarum studia, & restitue nobis illa, quæ uel hominum improbitas, uel, ut aliò culpa deriuetur, fortunæ uis eripuit. hæc est actio digna Cardinali, digna Principe, Hippolyto uero & Cardinali, & Principe dignissima. Vidimus tuam præteritam uitam. ab ea nihil humile, nihil obscurum, nihil uulgare, ampla omnia, præclara, inusitati exempli, noui generis exspectantur. quæ tu, ne a te ipso dissentias, nunc quidem magna ex parte præstabis, atque adeo iam præstas, bonis uiris, & eruditis beneficentia subleuandis. quorum ex ingenijs non dubito quin quotidie aliquid efflorescere tuo beneficio uideas. quod quia præclarum est, exemplum alij sequentur. scribent omnes, quod quisque poterit, illecti gloria, & commodorum spe compulsi. nam, ut coniecturam de me ipso faciam; quem esse nihil in litteris fateor; sed, ut aliquid tamen essem, laboraui; ego olim (decennium, opinor, abijt, eoq. amplius) auctoribus duobus eximijs uiris, Petro Bembo Cardinali, & Bernardino Maffeo, qui postea dignitatem eandem magnis in Ecclesiam Christi meritis est consecutus, dederam me ad res Romanas, illas ueteres, obseruandas, & ex omnibus antiquorum monu-

monumenti omni studio colligendas: ut, cum illam remp. qua nulla fuit, nec erit unquam illustrior, uniuersam animo, ac scientia comprehendissem, latinis eam litteris explicarem, egregiumq. bene, ac laudabiliter institutæ ciuitatis exemplum meis, quatenus quidem ipse possem, scriptis expressum, posteris relinquerem. Res erat præclara; meq. delectabat uehementer, & afficiebat ipsa tractatio. itaque meam omnem industriam, omnem curam, omnes denique in hoc studio cogitationes fixeram, ac locaram. sed accidit iniquo meo fato, ut horum utrunque, Bembum primo iam sene, cuius in beneuolentia ornamenti mihi erat plurimum, deinde Maffeum, non ætate minus, quàm uirtute, florentem, in quo mei spes otij sita omnis erat, a quo pendebam totus, importuna morte ereptum amiserim. destitutus eo præsidio, quo meæ fortunæ nitebantur uno, fractus animo, ac debilitatus institutum Antiquitatum Romanarum opus omiseram, & ad alia me conuerteram. postea uero quàm, honorifica in primis condicione delata, magno sum a te tuo beneficio in tuorum familiarũ ordinem inuitatus; quod ego summæ felicitatis loco duxi; erectus mente, atque animo, rursus, quod abieceram, suscepi, onusq. tantum, quantum priuatis opibus perferri uix, aut ne uix quidem potest, te uno fretus egregie sustineo. Et, ut ex parte totum iudicare posses, de decem, quos exorsus sum, libris hunc de legibus potissimum, quem ad

te mitterem, delegi: non quòd ille postularet ordo: (sextum enim in Antiquitatum uolumine locum obtinet) sed, quòd, cum omnium librorum materies non modo coacta iam in unum a me esset uniuersa, uerum etiam satis diligenter in partes distributa; casu accidit, ut hic minus, quàm ceteri, rudis, minus esset impolitus. præterea feci libenter, tuis actionibus admonitus. leges enim hic liber complectitur. porro leges nihil aliud, quàm rationem, nihil, præter ordinem, docent. ratio autem, & ordo, si usquam, in tuis moribus elucet. quippe nihil agis non moderatum, nihil non æquabile, nihil, quod non cum ea, quam sustines, persona, id est cum religione uere Christiana, ac sedis Apostolicæ dignitate consentiat. quare cum omnia mea tua sunt; quandoquidem ego me tibi, quidquid sum, & quantus quantus esse possum, totum addixi: tum uero hic de legibus Romanis liber uere tibi debetur, tibiq. est a me iure optimo inscriptus. quo in libro bene positam a nobis operam si duxeris; de ceteris quin idem sentias, haud equidem uerebor. pergo enim studio pari, uoluntate etiam, ut mihi uideor, acriore. unum modo exoptãdum est, ut, quando nos ab hoc studio nulla utilitas, nulla uoluptas, ne ualetudinis quidem satis imbecillæ ratio potest auellere, nostris laboribus tua beneuolentia quasi propitium numen adsit. sic enim fiet, ne qua prorsus in difficultate, ne quo unquam in scopulo nostra hæreat industria: & in eum, quò spectat ani-

animus, portu secundo cursu, tuæ benignitatis aura prosequente, facile peruehemur. Venetijs, 1557.

IN EDITIONE KALENDARII ROMANI præfatio.

FACTVM *est a me sane libenter, ut, cum edendi essent Romani fasti, e lapidibus Capitolinis descripti, adiungerem ad eos Kalendarium, ex quo ratio dierum, pro ea, quæ Romæ olim fuit, consuetudine, tota patet. atque in hanc me uoluntatem, uel cupiditatem potius primum ea, quam & mea sponte, & patris exemplo semper spectaui, publica litterarum utilitas, deinde etiam Caroli Sigonij, uiri optimi, & ab omni prorsus iniqui animi labe puri, singularis doctrina deduxit. putaui enim, id quod res est, futurum, ut ad Kalendarium ex fastorum societate commendationis tantum accederet, quantum ad ipsos fastos e Sigonij studio, ingenioque esse adiunctum, qui diligenter additamenta ipsius, & in ea commentarium, qui propediem edetur, plenissimum legerit, facile cognoscet. non enim illa supplementa, quæ in lapidibus illis, unde fastos habemus, desiderantur, ex Liuio, aut Dionysio, aut ex duobus tribus ue præterea libris, quos etiam leuiter eruditi homines in manibus habent, colliguntur. non est id, ut rudes antiquitatis homines existimant, ioculare quiddã. opera hæc*

quidem esset, non industria. et operæ quis laudem tribuit, cum in tempore duntaxat posita sit? industria uero non ab ingenio, non ab intentione quadam mentis abest: itaque iure laudatur. quòd si satis esset historiam semel aut iterum legendo percurrere; nemo esset, cui Romanarum rerum notitiam assiduo biennij triennij ue studio comprehendere uniuersam non liceret: in qua tamen ego iam per decennium desudo: &, quo diligentius ea ipsa, quæ legi sæpissime, cogitatione retracto, eo certius, quantum in hoc genere sit difficultatis, intelligo. itaque opto, ut, quæ alij collegerunt, omnes edant statim, & mihi hanc laudem præripere conentur. uideo enim fuisse non nullos, qui, meis scriptis ad huius scientiæ studium aliquot abhinc annis excitati, & indicibus eorum librorum, de quibus edendis cogitare me, iam diu polliceor, animaduersis, quasi quodam lumine ad ineundam studiorum uiã prolato, ambitione præcipites, dum anteire nobis uolunt, in maximos, maximeq. pudendos errores inciderunt. quorum alios alij peritiores, nulla facta mora, alios fortasse nos, non illos quidem nominatim, significatione tamen satis aperta, ne omnino debita laude fraudentur, aliquando refellemus. Redeo ad Sigonium. Ille uero, cum, inspectis antiquis libris, lapidibus, nummis, nomina magistratuum uetustate uel amissa prorsus inuenit, uel mutila perfecit; cum fastorum partem, alienum in locum translatam, in suam sedem retulit; cum cen-

suras,

uras, rum triumphos addidit, & trunco quasi corpori sua membra restituit; nihil potuit difficilius, nihil, in quo maiorem a bonis bonarumq. litterarum studiosis hominibus inire gratiam posset. hoc enim libro, hoc, inquam, quem nos edimus, (nam inchoata quis perfectis anteponat?) qui res Romanas curant, horis fere singulis utantur necesse est. itaque eum qui litteris a me poscebant superioribus mensibus, amici homines aliquot ex Hispania, plures ex Gallia, & Germania; hoc adscribebant omnes, cum Caroli Sigonij supplementis. quorum a me uoluntati satisfactum esse, uehementer gaudeo, eoq. magis, quòd adiunxi, quod fortasse non exspectabant, non poscebant certe, Kalendarium Romanum, utile illud quidem dierum caussa, quorum in eo genera distinguuntur, sed utilius ob id ali quanto, quòd ad comitia, iudicia, senatum, Romana denique omnia, qui coniectura, ingenioq. ualebunt, multam inde scientiam deriuabunt.

AD HIERONYMVM FALETVM, Herculis Ferrarienſium Principis apud Venetam Remp. oratorem, in ipſius poemata præfatio.

MAGNA laus est eorum, Hieronyme Falete, qui non ad uulgarem humilemq. artem, sed ad nobilem aliquam, liberalemq. doctrinam sua studia contulerunt: maxima uero, si quis eam philo-

sophiæ partem, quæ poesis appellatur, ita est complexus, itaq. hæret in ea cognoscenda, ut aueli nulla prorsus ratione possit. itaque ueteres illos, quibus optimi ac summi Dei uocem audire, eiusq. sermone frui sæpe licuit, homines sapientissimos, atque sanctissimos, poeticæ facultatis admodum studiosos fuisse constat, suasq. cogitationes non eo, quo quilibet uteretur, sermone, sed uersibus exponere uoluisse. quorum extant non nulla, sane præclara: quæ cum legimus, afficimur, &, quasi diuina quadã ui abrepti, extollitur haud paullo altius, quàm qui rerum humanarum in studio uersantur. Habet igitur ars poetica dignitatem; quandoquidem in ea latent arcana philosophiæ, quæ profanis oculis non patent: ea rudes animos excolit: ea nos ab rerum humilium studio deducit: ad egregios mores, ad ueram religionem, ad excellentem magnarum rerum cupiditatem uocat. Habet eadem suauitatem: quia uocibus apte constructa oratio miram infundit auribus animisq. iocunditatem. Et, ut uno uerbo comprehendam, poesis numerus est: numerus porro nihil aliud, quàm ordo: ordinis autem principium a Deo fluxit. diuini sunt igitur homines poetæ, nec ullo non honorum genere decorandi. poetas autem definio, non quicunque uersus faciunt; qui molesta & odiosa garrulitate sæpe nobis obstrepunt; sed eos, quorum in uita non minus, quàm in scriptis, elucet ordo; a quibus colitur humanitas, & beneficentia non modo laudatur, uerum

rum etiam pro facultatibus exercetur. hæc enim sunt sacra illa mysteria, quæ poesis fabularum specie ita uelat, ut ea tamen uatum excellentium, hoc est bonorum uirorum, mentes intelligant. quæ uero his uirtutibus aduersantur uitia, hæc sunt illa monstra, inimica naturæ, quæ poeticis figmentis ostenduntur, sus Erymanthius, leo Nemeæus, hydra Lernæa, gigantes, & harpyæ, quæq. alia traduntur, perdendis hominibus, aut frugibus nata. Neque uero tu, Falete doctissime, tantam animi præstantiam possideres; non esses tam ad omnem uirtutem, ad omnem laudem propensus; non tam in moribus elegans, in consuetudine comis, atque etiam pro tuarum copiarum ratione beneficus, ac liberalis; nisi magistram ab ineunte ætate habuisses poeticam artem; quæ te suis præceptis erudiit, atque informauit; nihil ut ageres, quod ab honesto dissideret; nihil ut in omni uita, præter decus, & antiqua maiorum tuorum, hominum clarissimorum, instituta, cogitares. cuius tanti beneficij non est apud immemorem gratia collocata. habes enim poesim in delicijs: eam amas: eam ornas. cumque Herculis, Ferrariensium Principis post hominum memoriam maximi personam sustineas, idq. tanto splendore, ac tanta, quanta nemo unquam antea, dignitate; summis tamen magnarum rerum occupationibus districtus, scribis sæpe uersus Callio pe dictante, & a grauissimis curis tanquam in amœnissimos Musarum hortos animi caussa diuertis.

tis. superioribus quidem diebus, cum egregium illum Athenagoræ, ueteris philosophi, librum, de altera hominum uita græce scriptum, Italicum in sermonem conuertisses; atque ego te, quod uiatores, difficili confecto itinere, consueuerunt, aliquot dierum quietem uelle capere existimarem: inueni te poema tuum de bello Sicambrico, non nullis abhinc annis compositum, ita tractantem accurate, ut adderes non pauca, quædam detraheres, multa corrigeres. quæ cum legerem, admiratus elegantiam uerborum, splendoremque sententiarum, hortatus sum ut ederes, & eo magis, quòd reliqua tua poemata, non modo iam typis impressa, uerum etiam scripta, per manus, perque ora doctorum uirorum eximia tua cum laude uolitarent. qua in re non modo meo, uerum etiam studiosorum omnium nomine gratias tibi habeo, habeboque, dum uiuam, immortales; quòd meis hortatibus, ac precibus tribuisti tantum, ut te mihi totum remitteres, tuorumq. poematum ius omne tuum, omnemq. plane potestatem ad me liberalissime transferres. quod cum impetrassem, exceptus sum illico ea cura, Principi ne alicui uiro, quod fere solet, an amico homini, ac familiari, an uero tibi ipsi potius ingenij tui fetus essent dicandi. tibi quidem tua deberi uidebantur: sed ab huiusmodi consilio tua mihi multis in rebus perspecta modestia deterrebat. rursus, cum intelligerem, omnes fere libros, qui typis diuulgantur, uel ijs dicari solere,

quorum

quorum auctoritas, aut quorum opes utilitatem aliquando aliquam ei, qui mitteret, parere posset; uel ijs, quos pro magnis eorum beneficijs aliquo munere remunerari æquum esset; uel ijs denique, cum quibus minime uulgaris intercederet amicitia: hæc, Valete humanissime, cum omnia concurrerent, uictus sum, tuaq. ad te ipsum scripta mittere constitui. nam etsi Princeps tu quidem fortuna non es, summis tamen Principibus tua te uirtus ita commendauit, carumq. reddidit, ut eorum opibus æque, ac tuis, eos, quos diligis, beare possis. sed omitto reliquos. Hercules uero, Ferrariensium Princeps, immortalitate dignissimus, cui te totum uni addixisti, cuius esse uis quidquid in omni uita præstare potes, is quo te numero habeat, facile declarauit, cum, post multas legationes, ad Sarmatarum Regem, ad Imperatorem, ad Pontificem, oratoris apud Venetam remp. munus honorificentissimum tibi commisit. quapropter, quod ad hanc partem attinet, parui refert, utrum Principis nomine liber aliquis inscribatur, an uero eius, cuius apud Principes auctoritas ea sit, ut prodesse quibus uelit non mediocriter possit. De tuis autem erga me officijs quid agam pluribus? quæ cum & multa sint, & maxima; tum uero illud excellit, quòd in hac mea satis diuturna oculorum ualetudine uenire domum meam quamsæpissime, animumq. meũ, tristibus curis affectum, tuo adspectu, ac sermone recreare solitus es. Amicitia uero si spectan

da

da fuit; neminem tibi debui aut deferre. coniunxit enim nos non casus, ut multos, non uulgare aliquot studium, non ambitio, non utilitas, sed ipsa, quæ omnes res nobilitate uincit, uirtus, & artium liberalium societas; quarum uterque nostrum incredibili studio tenetur. Mitto igitur ad te, quando ita ratio postulat, tua poemata, non ut tibi, de me optime merito, quasi gratiam referam de tuo; sed ut habeat a me nostra ætas, atque adeo posteritas ipsa, primum, testimonium beneuolentiæ, atque obseruantiæ in te meæ, deinde beneficium, quod, tua scripta cum leget, fatebitur esse maximum. Interea peto a te, ut in illo maiorum uigiliarum opere de fisco, cui non dum extremam manũ imposuisti, exorari te sinas, id est ut absoluas, atque perpolias. magnum enim inde fructum capient omnes iurisconsulti: cum te difficiles admodum reconditæ materiæ nodos ingenio soluentem, & quæstiones illas implicatas atque inuolutas explicantẽ, exquisitoq. quodam ordine tractantem intuebuntur. Neque uero tua mihi est occupatio minus nota: cum & negotia tractes Principis eximij; & ob tuam uirtutem nobiles uiri non modo quotidie, uerum omnibus pæne horis officij honorisq. causſa ad te adeant: sed rursus eum te esse noui, qui, quod tibi occupationes eripiunt, id ingenij præstantia consequaris. consule igitur gloriæ tuæ: consule studiosis omnibus antiquarum nouarumq. legum: effice, ut, quantum in poetica facultate, quantum eloquentia polles,

tantum

tantum in iure ciuili, maximeq. in ea parte, quæ obscuritatis habet plurimum, ualere te tua scripta significent. Meam uero hanc, quam profecto in hac epistola uides elucere, uoluntatem, animiq. singularem ad te amandum propensionem amplectere: atque ita statue, si tu mihi, quod, ut uideo, præclare facis, in amore respondebis, par amicorum neque nostra, neque ueterum memoria coniunctius ullum fuisse. idq. quanti a me fiat; dabo operam, quantum in me erit, quotidie certius ut intelligas.

AD ISABELLAM VILLAMARINAM, Salernitani Principis coniugem, in Scipionis Capicii poemata præfatio.

Ex *omnibus rebus humanis cum nihil sit litteris doctrinaq. præstantius; sequitur, ut litterato Principe laudabilius nihil esse uideatur. non enim, si quis humili fortuna scientijs animum excoluerit, quamuis omnium uirtutum intelligentia sit ornatus, æque tamen eas uirtutes exercere poterit, ut summo loco natus. omnium est scire, non omnium tamen agere. non cadit in quemuis administratio iustitiæ, non liberalitatis. esse oportet, quibus imperes, ut iustitiam colere possis; esse, quod des, ut liberalitatem. Et quoniam ad hæc primum a natura formamur, et fingimur, ut, quæ laudabilia sunt, nostra sponte diligamus; deinde præceptis instituimur,*

mur, ut uoluntatem ratio confirmet: utrunque ſi quis habet, ueriſſimis laudibus ornatur, eo magis, ſi is eſt, cui tertium etiam illud contigerit, ut fortunæ commodis abundet. nam qui uirtutem non ut primum bonum, ſed ut alterius boni cauſſam quærit, ut diuitiarum, ut honorum: ei uirtus, quæ perfecta non eſt, quia quæritur ad aliud, perfectam laudem afferre non poteſt. perfecta uero uirtus eſt, quæ ſe ipſa contenta nihil appetit, quod extra ſit. hanc ſi quis eſt qui ſequatur, qui unam dilogat, qui ipſam propter ipſam, non propter aliud, expetendam ducat; hic eſt, quem Dij præter ceteros diligere putantur, cui quidem eam mentem dederint, ut præter ceteros ſaperet. Tua hæc eſt, Iſabella præſtantiſſima, tua inquam hæc maxime laus eſt. cum enim tibi aut ad opes, aut ad dignitatem nihil fere poſſet accedere; quarum rerum cupiditate adducti, magnarum artium in ſtudijs plerique uigilarunt; ipſa, nihil huiuſmodi ſpectans, uirtutis amore capta, cuius pulchritudinem animo cerneres, effecifti, ſtudio tu quidem, ſed ingenio magis, ut, cum eſſes omnium nobiliſſima, omniumq. pulcherrima, quorum alterum maiorum tuorum, maximeq. uiri tui, Principis omni laude cumulati, magnis rebus teſtata uirtus, alterum benigniſſima tibi Natura dedit, eadem & ſis, & habearis omnium doctiſſima. hinc illa ad te colendam ſingularis omnium propenſio: hinc multorum poetarum, quibus grauiſſima Regum bella magni operis argumen-

tum

tum suppeditare poterant, ad te canendam tradu-
cta ingenia: hinc Capicius ille tuus, tuarum laudum
laudatissimus præco: qui te admiratur unam, qui
obseruat: qui cum de te multa, et uera prædicauit,
ita concludit, unam habere, quæ optabilia sint, om
nia. itaque me quidem eodem studio inflammauit,
nihil unquam ut ardentius optarim, quàm ex tuis
unus esse. quod quo facilius impetrarem, feci, ipso
permittente, atque etiam libente Capicio, ut eius
libros, de Principijs rerum duos, de uate maximo
tres, meæ in te summæ obseruantiæ testes emitte-
rem. diuinum carmen est, multis luminibus inge-
nij, multa arte distinctum. equidem nihil legi in
hoc genere perfectius: ut ne Lucretius quidem plu
ris apud me sit: quo cum antea propter sermonis e-
legantiam delectarer, utererq. multum, cœpit mi
hi iam minus esse familiaris, postea quàm Capicium
legi. Hoc opus, & quia scriptum est a tui studioſiſ-
simo, & quia uersibus te dignis, id est luculentiſſi-
mis, non dubito, quin a me missum auide accipias,
sic inquam, ut de isto me munere ames plurimum.

AD TORQVATVM BEMBVM, Petri filium, in Virgilium præfatio.

QVOD ego de poetica facultate sentio, idem tibi, Torquate Bembe, qui res præclaras ingenio studioq. consecutus es, bene iam esse cognitum ac per-

persuasum facile puto; non esse eam inter ea, quæ minimi ducuntur; non uulgarem, non leuem; summum esse quiddam, ac plane diuinum; quiq. suas ad eam cogitationes conferant, etiam si, quod uolunt, non assequantur, probandos tamen esse, quia scilicet ad maxima contendant; qui uero in ea ita uersentur, ut excellant, colendos nobis esse uehementer, omniq. omnium laudum genere coboneslandos. Ac miror equidem fuisse, hodieq. esse non nullos, qui rem hanc pulcherrimam, ac deorum nobis munere concessam, parui pendant, atque etiam, si dijs placet, in fermonibus uituperent. Quid, inquiunt, est poetica? fabulas continet: fabulis autem quid inanius? Ridicule: qui ex ipsorum ingenijs ceterorum ingenia metiantur; quæq. ipsis obscura sunt, ea reliquos uidere non putent. Ego contra ita soleo disputare; utinam, Torquate, te præsente, ac tui similibus: nihil enim tam optandum, quàm habere iudicem in cõtrouersijs, qui causam, qua de agitur, quæq. propter aliquam difficultatem in dubium uocatur, optime calleat. sed ego contra, cum in hos incidi, ita soleo disputare. Est ne aliquid hominum generi utilius, aut omnino philosophia præstantius? negare coguntur. si negent, eos ratio refellet, & ueritas ipsa: quæ cum pugnat, facile uincit. una enim est philosophia, quæ uitia nostris ex animis euellat; una, quæ inserat uirtutes: humana omnia, multis obstructa difficultatibus, aperit; diuina, non illa quidem prorsus, sed magna tamen

ex

ex parte patefacit. atque hanc, quæ tantas res præ
stat, siue artem, siue scientiam, ne communis esset
omnibus, uulgiq. tractatione impuris q. mentibus
contaminata sordesceret, obscuris fabularum inuo
lucris, quasi aliquid sacrosanctum, uelauit, et custo
diuit antiquitas. fabulas porro ipsas non eo, quo
uulgus utebatur, communi, & soluto, sed exquisi
to, & numeris adstricto orationis genere prisci illi,
summa homines sapientia præditi, prodiderunt. pla
cebat. hoc illis, primum ut rei dignitatem, si pos-
set, & quatenus posset, uerborum augeret elegan
tia: lectis enim, admodumq. puris e uocibus effici
tur uersus: nihil hauritur de fæce: deinde, quia,
cum philosophiam tractarent, maiore nescio qua
suauitate ex illo concentu, quem numerosa uocum
in uersibus compositio gignit, aures animos q. per-
fundi pulchrum putabant. quæ cum ita sint: neque
fabulas, quæ philosophiam continent, neque uersus
quibus fabulæ ipsæ continentur, iure quisquam re-
prehenderit. His ego ad coarguendam istorum in-
scitiam, aliis q. præterea utor argumentis. addo
exempla, eaq. Italorum, & eorum hominum,
qui nostra, patrumq. memoria floruerunt. Pon-
tanos, Sannazarios, Fracastorios (omitto alios:
sunt enim multi) non ne musarum in primis con-
suetudo delectauit? propius accedo. pater tuus,
Torquate, Petrus Bembus, quem orbis terrarum
tantat: nec iniuria: nixit enim, quantus ei uitæ
cursus fuit, in uirtute totus: is cum alias coluit phi

losophiæ partes, tum uero poeticam artem amauit amore quodam ardentissimo; eiusq. studium a prima pueritia complexus, nunquam ne in extrema quidem senectute dimisit. scripsit autem uersus in omni ætate multos, et scripsit omnium elegantissime, sic, ut ei Apollo dictasse uideatur. itaque recte fecit, optimoq. sane consilio pater meus, qui latinorum poetarum principem Virgilium eius nomini, quem optimum poetam nouerat, inscriptum emiserit. recte item ego, qui patris mei exemplum secutus, tibi, & tanti uiri filio, multis uirtutibus ornato, & facultatis poeticæ studiosissimo, ac peritissimo, eundem poetam, quasi munus Bembæ familiæ debitum, dicauerim. nam quemadmodum parentes nostri alter alterum tum sermonibus, tum scriptis ornabat; ut, quantum inter se amarent, æqui & iniqui cognoscerent: item ego cupio, et conabor, quantum in me erit, (an præstare possim, nescio; sed conabor certe) ut ex meis scriptis nostrã amicitiam, meamq. in te summam obseruantiam etiam ipsa posteritas intelligat. non enim, cum hanc meam multis abhinc annis ad te amandum et colendum uoluntatem contuli, id solum spectaui, ut quasi hereditatem adirem amicitiæ paternæ: tametsi hoc ipsum quoque me mouit, sicuti mouere debuit, sane plurimum: sed tua quædam propria secutus sum: tuos, inquam, mores, tua studia, tuas uirtutes uidi primum: deinde ex iudicio fluxit amor; &, quò mea sponte propendebam, ratio impulit,

pulit. noui te adolescentem, noui iuuenem, et Patauij, & Venetijs, sanctissime iuuentem, & præclara illa cum doctissimis uiris philosophiæ studia tractantem. in quibus cum iam, tuo quidem aliquid, aliorum autem iudicio multum profecisses; Romam te, in eam urbem, contulisti, quam pater tuus theatrum per annos multos habuit suarum uirtutum celeberrimum. ibi nunc tu quoque spectaris, & probaris: ibi plausum fers a bene intelligentibus, beneq. sentientibus uiris: ibi denique uera illa Petri Bembi cernitur, & agnoscitur in te filio non minus animi, quàm corporis, effigies: &, ut principia se dant, futurum omnes existimant, ut summi tibi in Ecclesia Petri honores, ac præfecturæ deferantur: deberi quidem iam, nemo est, qui non intelligat. Quare lætor equidem, ac fruor iam nunc, pro meo erga te studio, quasi præsentibus honoribus tuis; & præcipio gaudia, quanta potest animus meus capere maxima, tuæ futuræ dignitatis. perge modo, ut cœpisti, in tuis perennibus studijs, & animum tuum pulcherrimis, teq. dignis cogitationibus exerce. uides eam uiam, qua pater tuus iuit. extant uestigia. istac euntibus rectissimus est ad gloriam cursus, offensio nulla, nullus error. quod feciſti, laudamus: sunt enim magni, uereq. laudandi processus in uirtute tui. quod reliquum est: quia te summum illud ad decus, quod excellentibus ingenijs propositum est, tanquam ad metam peruenire cupimus; &, quod cupimus, id

in te ipso positum uidemus; fauemus animis, prosequimur studijs, uocibus cohortamur. Atque ego quidem, huiusce animi mei non obscurum, ut opinor, argumentum, hunc librum, qui me tacente apud omnes gentes loquetur, tibi inscriptum ad te mitto. uolo æternum extare monumentum, unde homines, quid de te senserim, quid iudicauerim, intelligant. uolo, habeas ipse munus a me, unde, quid tua caussa uelim, conijcias; & maiora, cum ornandi tui maior aliqua facultas existet, officia, studiaq. exspectes. Venetijs, M. D. LV.

AD PAVLVM RHAMNVSIVM, Ioannis Baptistæ filium, in Cæsaris commentarios præfatio.

Qvi magistram uitæ dixit esse historiam; næ ille, Paule Rhamnusi, & dixisse uere, & præclare sensisse mihi uideri solet. facile enim unus homo, quid multis hominibus euenerit, cum intelligit, eruditur, atque ipse sibi normam componit actionum suarum, uitæq. totius inter omnes errores, omniaq. pericula ad ueritatem, ac salutem dirigendæ. nec aliud est nostra prudentia, quàm euentorum obseruatio, rerumq. præsentium, ac futurarum ex præteritis, tanquam ex fonte, scientia deriuata. quod ex uniuerso litterarum genere uel solæ uel certe maxime præstat historia, præsertim si quis eam ita tractet, ut, euenta dum notat, animum refert

ferat ad causas, in easq. attente inspiciat, & rationem quærat, cur hoc factum, illud omissum, cur ex illo calamitates, ex hoc optata contigerint. Atque hoc primum est de historiæ fructu. Sequitur dignitas. Res gestæ narrantur inter summos Reges, potentissimas ciuitates, bellicosissimas nationes. causæ porro bellorum sunt, quæ sunt humanarum rerum maximæ, imperium, salus, gloria: quæ ponuntur in armis omnia, & a consilio ducum, a uirtute militum, ab ipsa fortuna pendent. Neque uero dignitatem quidem habet, ac fructum, uoluptatem autem historia desiderat. nam si uoluptas est, quam magnarum uariarumq. rerum adspectus animis nostris infundit: nulla pulchrior species, nulla gratior, nulla prorsus historia iucundior. uides, ut in tabula picta, aduersa ducum excellentium stratagemata, artes, insidias; spem potiundi, metum amittendi; cæsos exercitus, urbes captas, imperia deleta: age, fortuna commutata, cadere insultantem, uictum exsurgere; eodem pæne momento lætitiam pelli mærore succedente, mæroremq. lætitia. hæc dum legimus, haurit animus uoluptatem incredibilem; aliturq. pabulo suauissimo, nec satiatur, donec ad exitum peruenerit. Cyrus ille, Persarum Rex, qui orientem subegit, Pyrrhus Epirota, castrametandi laude præter ceteros insignis, & duo illi, barbarorum omnium clarissimi, Alexander Macedo, & Hannibal, præterea de Græcis Themistocles, Agesilaus, Epaminondas, quo modo, cum

eorum facta commemorantur, animos nostros affi-
ciunt? exspectatione suspendunt, pascunt gaudio,
metu macerant. uerum hæc maxime Romana pa-
tent in historia: quæ uel diuturnitate, ac magnitu-
dine bellorum, uel uarietate fortunæ uberrimam
exemplorum in omni genere copiam suppeditat.
Romana porro uiri præstantes multi cum litterа-
rum monumentis tradiderint; quorũ ingenijs, quæ
cuique merces gloriæ pro cuiusque facultate debe-
batur, ea posteritatis iudicio persoluta; eminet in-
ter omnes, mea sententia, (nec uero secus antiqui-
tas sensit) primumq. sibi dignitatis gradum C.
Cæsar iure uindicat. nam & uixit qua plurimum
ætate Romæ floruit eloquentia: & coluit ipse elo-
quentiam præter ceteros: rebus uero gerendis non
interfuit modo, uerum etiam præfuit: quo factum,
ut usum quoque, qui ualet in scribenda historia mul
tum, cum doctrina coniunxerit. extant, bono quo
dam litterarum fato, præclari illius de bellis, ipso
Duce gestis, commentarij; qui se non solum omni-
bus omnium historijs æquare, uerum, ut omnes fa-
tentur, anteferre etiam uidentur. Breuitatem scis
in oratione magnam esse laudem, cum eo tamen,
si uitetur obscuritas. facile enim, dum illam sequi-
mur, in hanc incidimus. quod in Thucydide uitium
Cicero notauit, cum esset alioqui scriptor egregius.
At uero C. Cæsar, cum breuitatem maxime om-
nium adamauerit, ita tamen pressus est, ut eodem
nihil fieri possit illustrius. proprie loquitur, & si-

gnifi-

ificanter: ornamentorum tantum habet, quantum in exponenda re decet. nam elaboratam studio suis orationem, nimiaq. excultam elegantia prudentium aures non modo in commentarijs, uerum in historia quoque respuũt. Hic tibi est, Rhamnusi optime, mihiq. multis nominibus carissime, in manibus habendus, tractandus assidue, obseruandus, ediscendus: ut eum penitus, si fieri potest, aut certe quantum potest, imitatione exprimas. nam cum tibi Veneta Resp. bellum illud memorabile, omniumq. difficillimum, quod Henrico Dandulo Duce aduersus Byzantios gestum est, latina oratione tradiderit explicandum; magnisq. etiam tuam industriam præmijs honestandam decreto publico censuerit: debes eniti uehementer, ac omnes ingenij tui neruos contendere, ne quis te tanto imparem oneri fuisse unquam putet. Atque ego quidem, qui te fero in oculis, qui tuæ gloriæ faueo, cum in ipsam rem intueor, grauem sane, admodumq. difficilem, paullulum commoueor: rursus, cum ad ingenium tuum, ad industriam, ad illos animi tui præclaros ad laudem impetus mentem & cogitationem refero, facile confirmor, & huiusce tibi commissi muneris eum, quem cupio, id est plane gloriosum exitum exspecto. Verum, ne sint in te ipso, quæ sunt; & sit hæc, quæ tibi ineunda uia est, quantumuis lubrica, incerta, impedita: an tu potes labi, potes errare, potes usquam offendere, ducem secutus patrem tuum, Ioannem Baptistam Rhamnusium, spectatæ

tæ ſapientiæ uirum, conſiliorum omnium ſum
X uirum collegij participem; cuius eluceant in urbe
noſtra uirtutes eximiæ, nomen autem, æternis con
ſignatum atque impreſſum ingenij monumentis,
per orbem terrarum fama diſſipauit. is te ſua do-
ctrina inſtruet, conſilio monebit, prudentia reget.
at quo ſtudio? quo ſcilicet pater filium, & quo ta-
lis pater talem filium debet. nec ſane uideo, quem
deceret magis, aut in quem hæc aptius, quàm in te,
prouincia conueniret. nam cum eas res, quæ tibi
ſunt latinis litteris tractandæ, magna ex parte li-
ber, ut audio, contineat Gallica ſcriptus uetere lin
gua, tum ipſa perobſcura, tum multis præterea di-
uerſarum linguarum uocabulis permiſta, atque
confuſa; eum porro librum pater tuus & unicum
habeat, et unus ipſe (de noſtris quidem homini-
bus) optime omnium intelligat: ſapientiſſime, ut
in omni re ſemper, ita proximis mẽſibus decre-
tum a X uiris eſt, ut hæc tibi potiſſimum Ve-
netæ pars hiſtoriæ mandaretur, cuius haurire
ſcientiam non aliunde, quàm ex tuis ædibus,
licebat. Ego quidem, etſi intelligo, qui ſis, quàm
te delectet uerus honor, quàm tua ſponte incumbas
ad decus; tamen hortor te, ſenſus huc omnes tuos,
cogitationeſq. conuertas; excites ipſe te; conſide-
res etiam atque etiam, quid ſuſceperis, a quibus
commiſſum, qua tua ætate, qua omnium exſpecta
tione. Venetam ſcribis hiſtoriam, nec uniuerſam,
ſed quod in ea maxime putatur excellere: ſcribis

Principum

rincipum Reip. decreto: scribis adolescens: qua ætate magnas res aggressos uel insignis admodum manet gloria, uel temeritatis nota sempiternæ. Quibus ex rebus, et quòd ante studiorum tuorum præstantes fructus edidisti; & quòd patris tui uirtus tua uirtus putatur, nec tibi sunt petenda extrinsecus quæ domi tuæ nascuntur; orta est inter homines opinio, historiam te nobis daturum egregiam; in qua Venetæ urbis ita narres præclara facinora, ut aliena cum laude tui nominis immortalitatē coniungas. quod ita futurum, mihi persuasum est, si te ad legendos assidue Cæsaris cōmentarios contuleris, eorumq. ad imitationem, & quasi imaginem totum effinxeris. hoc enim in genere nihil habent perfectius latinæ litteræ: et eos, quo tibi essent, tui iuris quodam modo facti, cariores aliquanto, cum hoc tempore nostris ex ædibus haud paullo, quàm antea, emēdatiores exirent, uolui in tuo nomine apparere, multis in hanc mentem caussis, ijsq. minime uulgaribus adductus. nam, ut omittam, quòd historiam scribenti nihil aptius, nihil omnino his cōmentarijs utilius quisquam dixerit: ualde me commouit multorum annorum, ac pæne sæculorum in fouendis optimarum artium studijs præclara tuæ gentis consuetudo. ac uolo mihi, quod attinet ad illa uetustiora, silentium imponere: uenio ad ea, quæ propius ad ætatem nostram accedunt. Auo tuo, cuius tu nomen, et una cum nomine uirtutem refers, quis in omni uita uirtutem amauit ardentius? qui

cum

cum in litteris usquequaque excelluerit, tum uer iuris ciuilis cognitionē egregie consecutus est: eiusq; rei testes habuit amplissimas Veneti imperij ciuitates, in quibus tum ciuilium, tum capitalium rerum iudicijs, magna pariter & integritatis, & doctrinæ laude, præfuit. Mitto Hieronymum, patruum tuum, medicinæ, ac philosophiæ studijs præstantem: qui cum in Syriam eo consilio esset profectus, ut Arabicis litteris imbueretur; paucis annis tantum profecit, ut plerosque Auicennæ libros in latinam linguam egregie conuerterit. Alios quoque possum de tuis maioribus, hac laude præstantes, minime paucos inuenire: sed parente tuo contentus uno esse possum: quo semper in hac ciuitate non solum amico, uerum etiam patrono eruditi homines usi sunt, neque sibi ornamenti, aut præsidij plus in eius amicitia, atque auctoritate, quàm commodi repositum in benignitate senserunt. Accedit illud, quòd idem pater tuus cū in Gallia, reip. caussa, diu uixerit, eamq́. prouinciam, Rege Ludouico XII, uniuersam fere peragrauerit; magnam eorū locorum partem, de quibus mentionem in his commentarijs fieri uides, præsens ipse nouit, eaq́. tibi in sermone, non secus ac in tabula picta, diligenter, uerissimeq́. ostendere solitus est. itaque, cum hunc librum ad te statui mittere, illud intellexi, magistrū te habere excellentem in hoc rerum ac locorū Gallicæ prouinciæ studio, parentem tuum: quo sum aliquanto magis in suscepto consilio confirmatus. Tibi

bi uero displicere meum erga te officium non existimo. mihi quidem ipsi ob eam causſam gratissimum fuit, ut ex tenui munere beneuolentiam in te meã perspiceres: quæ cum a parentum nostrorum coniunctione, qua nulla maior esse potuit, originem duxerit, quotidie tamen augetur studijs erga me tuis, maxime uero causſis ijs, unde facile manat amor, uirtute, ac probitate, quarum altera tuis in scriptis, altera in moribus elucet.

AD ANTONIVM TRIVLTIVM, Cardinalem, in historiam Salluſtii præfatio.

Cvm omnes me litteræ, omnisq. libero homine digna cognitio uehemẽter delectat, Antoni Triulti Cardinalis amplissime: tum uero pascor incredibili uoluptate, & afficior maiorem quendam in modum sensibus intimis, dum historiã tracto. quid enim potest esse iocundius? Rerum interitus obliuio est. at eæ reuiuiscunt historia, cum in nostram memoriam reuocantur: quæq. multorum annorũ spatio, multis abhinc sæculis gesta sunt, ea nos, exiguo uolumine comprehensa, & tanquam in conspectu nostro posita, cognoscimus. Si sermonibus delectamur: resonat in scriptis hominũ uox eloquentissimorum, nihil temere, nihil incomposite narrantium, omnia grauiter, suo quidque ordine, & loco. si consuetudine clarorum uirorum: uersamur, uetera legentes, cum Regibus, cum Principibus uiris,

ris, magnis in bello ducibus, sapiẽtissimis rerump. rectoribus: ora ipsa mehercule, lineamenta, et formam non tam corporis, quàm animi, eorum, quos nunquam uidimus, uidemur tamen quasi præsentes intueri. Quòd si recte instituendæ uitæ ratione ac doctrinam sequimur: usu maxime rerum quæritur prudentia. usus est, uel cum experimur ipsi, uel cum, experientibus alijs, quid euenerit, obseruamus. nobis ipsis, experiri multa si uelimus, facile non licet. labore opus est, ac tempore: & fortuna tentanda; nec tentatur interdum sine periculo. cõmodius ergo, ac tutius, euentis aliorum examinandis, prudentia comparatur. id autem, profecto uides Antoni doctissime, ac sapientissime, proprium esse historiæ bonum: in qua patent fortunæ uicissitudines, regnorum mutationes, hominum siue uitia, siue uirtutes: ex quibus, quæ uitãda nobis sint, quæ expetenda, nullo nostro periculo, nullo labore, sedentes in otio docemur. Atque hoc in genere Polybius inter Græcos, de nostris maxime is, cuius nunc libros tibi inscriptos emitto, Sallustius excellit. euenta enim ita narrat, ut causas simul aperiat. ex quo oritur illa omnium pulcherrima scientia, ut, malorum, & calamitatum origine perspecta, nihil agamus, nisi quod ratio præscribit; omniaq. nostra consilia, omnes actiones ueterum exẽplorum regula metiamur. Quæ cum sit omnium, qui annales antiquorum euoluunt, communis utilitas: alia quædam tua condicio est. habes enim histo-

riam

riam in familia tua: neque tibi, si quid inuenire uis egregium, & imitatione dignum, confugere ad libros necesse est, neque longius euagari, & quasi peregrinari animo, ac mente, more multorum. domo petas, licet, omnium uirtutum exempla. perse quere maiores tuos cogitando. quæ fuerit eorum in pace iustitia, in bello uirtus, in omni fortuna moderatio, si attendes, nihil ad gloriam domesticam requires. iustus Aristides, prudens Themistocles, fortis Epaminondas: de Romanis multi, multis eximijsq. uirtutibus insignes. horum alij facta dum legunt, bonas artes ex eorum uita discunt, & ad easdem res, eademq. studia laudis cupiditate rapiuntur. at tu refer animum ad tuos maiores. eminere uidebis, instructum egregijs artibus, Ioannem illũ Iacobum Triultium, magni animi, summi consilij uirum, scientia rei militaris ætate sua facile principem; præterea, iustum, liberalẽ, abstinentem, plane, præter decus, & gloriam, nihil in uita cogitantem. Nam de laudibus Hieronymi, parentis tui, quia tecum quasi loquor, ne seruire tuis auribus uidear, nolo multus esse: tantum dicam; quàm diu uixerit, Gallicá rem in bello floruisse; postea quàm, hostium multitudine oppressus, fortiter pugnans in acie perierit, concidisse. tantum in uno uiro momenti fuit, ac roboris. Age, sint hæc, ut ita dicam, in campestri quadam luce posita: quid? in urbe Roma, id est in omnium gẽtium celeberrimo theatro, non spectata, probataq. uehementer est trium tuæ

gentis

gentis Cardinalium doctrina, religio, sapientia? ut, Triultiorum nomine multorum uocibus in multas partes dissipato, non ipsa tantum Roma, sed omnis plane Italia, omnis, ubi colitur humanitas, Europa personaret. Omitto alios: sunt enim multi: nec tu quenquam ignoras. non enim sunt ex imaginibus, aut ex illa colorum inani specie maiores tui cognoscendi. quærenda tibi facies tuorum non est. clari sunt ex recte factis: uirtute distinguuntur: cum alius in alia, in omnibus simul omnes enituerint. Quæ tu quoniam a primis annis ad hanc ætatem non modo cogitasti, uerum etiam uita, ac moribus expressisti; propterea te, Episcopatu Tolonensi iá antea insignitum, legationibus honestatum, primú Perusina, et Auenionensi, in quibus miram iustitiæ laudem tulisti, deinde ad Regem Galliæ, & ad Venetam Remp. ubi prudentiam, ubi grauitatem incredibilem præstitisti, proximis diebus Cardinalem creauit Paulus IIII. Pontifex omnium optimus, omniumq. maximus, iudicio præditus acerrimo in æstimandis hominum ingenijs, ac moribus, itaq. animatus, ut, quæ cuiusque meritis præmia debentur, ea libētissime, ac liberalissime persoluat. in quo, nemo est, qui tuam animi singularem æquitatem, ac moderationem uehementer non admiretur, ac laudet; qui summæ nuntium dignitatis, cum est ad te, multis præsentibus allatus, ita acceperis, ut nemo, te commotum, nemo, ne leuiter quidem affectum, ex uultu, aut oratione, aut ullo corporis

gestu

gestu potuerit intelligere. ita patuit, quod ab insipientibus ambigi, ac disputari quandoque solet, a bonis uiris uirtutem magis ipsam diligi, quàm uirtutis insignia; honorem esse præmium recte agẽdi, finem non esse; magnos illos, ac præstantes esse homines, qui laudabiliter ita uiuant, quasi laudẽ percupiant, ita laudem, aut dignitatẽ excipiant, quasi nihil minus antea cogitauerint. quod in te & animaduersum est maxime, & obseruatur quotidie magis. colere enim te quidem studiosius, quàm antea, omnes uidentur: ipse autem, qui antea fueras, idem omnibus es. nemo excluditur sermone tuo, nemo congressu: tui omnibus copiam facis: eandem omnibus humanitatem ostendis. Sequitur insolentia fortunam: comes est rerum secundarum arrogantia: tu mansuetudinem amas: tu continentiam, tu benignitatem perpetuo retines. iure ergo hoc etiam nomine Cardinalis es: iure habes hanc, quò tui te pro Petri Ecclesia suscepti labores extulerunt, maximi sacerdotij dignitatem. et nunc tu quidem comitatu stipatus honestissimo familiarium tuorum, multo tamen insignior, atque ornatior cohorte tuarum uirtutum, quæ tibi comites ubique sunt, Romam redibis exspectatus, expetitusque, columen futurus Christianæ reip. splendor sacri Collegij, ornamentum familiæ tuæ. I, decus Italiæ, amor, ac deliciæ bonorum omnium, dijs bene iuuantibus, ad eam urbem, quæ sola peregrinam uirtutem excipit, sola ornat honoribus, sola dominam facit

cit rerum omnium humanarum. nos autem, quibus tuam iustitiam, tuam benignitatem ostenderas, læti tua dignitate, mæsti discessu, te prosequimur abeuntem optimis omnibus; fauemus animis, precamur linguis; uota prorsus eadem, quæ pro parentibus, ac liberis nostris, pro tua salute suscipimus. Atque ego, in hac omnium eximia lætitia pariter & molestia, præcipuo quodã dolore divellor; quia fato nescio quo meo contigerit, ut, quàm diu Venetijs fuisti, ego semper afflictus importuno morbo iacuerim: quo etiam nunc langueo: & ad morbum accedit ægritudo: quoniam quidem, alijs ad te adeuntibus, deq. ista dignitate gratulantibus, ipse excludor unus, nec possum meæ summæ erga te obseruantiæ præsenti officio satisfacere. hac tamen spe sustentor, quòd humanitas ac sapientia tua facile fortunam a crimine seiunget. consilio aliquid peccatur: accuses: iure feceris. culpam autem in ijs rebus, quæ non a uoluntate nostra pendent, sapiens nemo unquam dixit esse. quare nec tu mihi, quia non ualeo, uitio dandum putabis: & hoc ipsum, quia, me non ualere, non tam corporis, quàm officij caussa doleo, laudi etiam fortasse tribues. equidem habeo non uoluntatis modo testem, uerum etiam studij ac beneuolentiæ auctorem in te meæ, hominem honoratum, & cum omni uirtute excellentem, tum uero omnium, quos ego in uita uiderim, humanissimum, Petrum Carneseccum Protonotarium; qui te amat egregie, facitq. plurimi, tuasq.

alij tantum, ut addant, quæ utilia putant, elaborant; nos etiam, quæ non utilia sunt, & discendi cupidis contraria, quæ scilicet Calepinus ipse non recte percepit, hæc, inquam, dedimus operam, ut de libro, tanquam de tritico lolium, eximeremus. addidimus, mutauimus, sustulimus, prout res postulauit. dictiones certe græcas, ex multiplici lectione deprauatas, ut est fere, nisi diligenter caueas, corruptrix librorum typographia, tam multas correximus, ut, quod fabulosum est, nos dicere ἰσοπινῶς possimus, Augeæ stabulum a nobis esse purgatum. Nostrum etiam in hoc opere proprium illud putamus, quòd, cum alij in addendo supra modum curiosi fuerint, ut liber excresceret; nos contra, ne quid præter rem addderemus, superstitiosi fuimus, nec minus in exsecando diligentes. ut in dictionibus græcis, latinarum ordini insertis, uel potius intrusis, multas, quasi de alieno loco, migrare coegimus. exempli gratia inter latinas dictiones quem locum habere potuit catabathynus, aut hodœdocus, aut pseudonymus, & huiusmodi, quæ a latinis scriptoribus latine pro exemplo adducta minime reperias: quæ propemodum innumerabilia sustulimus, eodem iure quo latina uocabula de Græco dictionario tolleremus. Et quoniam hoc uolumẽ, ob uariam infinitamq. doctrinam, multorum per manus circumfertur: facile futurum putaui, ut, si tibi a me inscriptum exiret, significationem multis daret amoris erga te mei. nam, ut omittam merita

in me tua, quæ nulla unquam delebit obliuio, tum me suauitates ingenij, tua incredibilis humanitas, singularis probitas, eximia ad colendam uirtutem animi propensio ad amandum alliciunt. non enim ideo mihi carus es, quia sis Venetæ reip. omnium amplissimæ, a secretis, aut quia nunc una cum uiro clarissimo, omnibusq. uirtutibus ornatissimo, Michaele Suriano Legato, particeps & minister consiliorum omnium ad Philippum, Hispaniæ Regem, sis profectus: sed, quia talem te præstas, ut & hæc tibi, admodum ampla, atque honorifica, munera iure deferantur, et egregijs animi tui bonis maiora quoque debeantur. Sit igitur hic liber et tibi, & reliquis argumentum beneuolentiæ meæ, testimonium iudicij, grati uero animi, non omnino quale uelim, sed quale possum hoc tempore, monumentū. tu autem istam præclaram in nos uoluntatem conserua: &, quo instituisti cursu, per directam, maximeq. expetitam, ac certam litterarum uiam ad gloriam contende. quod ego quidem, qui tuos sensus, tuos ad laudem impetus optime teneo, ita opto, ut sperem, ita spero, ut futurum mihi persuadeam. idq. etiam reliquis prædicare non desino.

Venetijs, M. D. LVIII.

Ad

AD MICHAELEM GHISLERIUM, Cardinalem, in librum de locutione Dei, Academiæ Venetæ nomine, præfatio.

RERVM *humanarum exitus, quàm uaria sint hominum consilia, declarant. quòd si quis bene cogitat; sequitur, ut idem laudabiliter agat. recte autem agentem, nihil unquam frustrabitur, nihil fallet. Decet igitur nos optima speniti, admodumq. firma, quibus, in condenda, atque instituenda Academia nostra, nihil, præter Dei gloriam, & communem hominum utilitatem, propositum fuit. Neque uero actiones nostræ, ut speramus, eiusmodi erunt, ut hanc ad optimas res animorum nostrorum incredibilem propensionem ambigue aliquis interpretari, aut in dubium reuocare possit. apparantur quotidie summa cura, & edentur a nobis diuina doctrina referti, qui pietatem, ac religionem complectuntur, illustres libri. & interim, quasi specimen quoddam, aut pignus nostræ uoluntatis, egregia quædam de locutione Dei, ab excellenti uiro conscripta, pijs mentibus, ac sacrarum litterarum, id est ueræ gloriæ, studiosis communicanda censuimus. quæ duabus maxime de caussis, præstantissime uir, tuo nomine decuit esse inscripta: primum, quòd, suscepto Academiæ nostræ patrocinio, nihil prætermittis, quod ad eam ornandam, au-*

gendamq. pertineat: & nos, quæ a te officia proficiscuntur, quibus animis, quàm libentibus, quàm gratis excipiamus, aliquo item officio tum ipsi tibi, tum ceteris omnibus indicatum, maximeq. perspicuum esse cupimus: deinde, quæ de Deo loquuntur, ad quem potius mitti æquum fuit, quàm ad eum, qui diuina studia in omni suæ uitæ cursu, cunctis et opibus, & honoribus antepositit? qui cum uniuersam de Deo, diuinisq. rebus doctrinam accuratissime quæsiuit; tum uero cum ipsa doctrina uitæ rationem coniunxit, &, ut omnes rectam, salutaremq. uiam tenerent, aut, qui diuerterant, in eam reuocarentur, studio, consilio, monitis, auctoritate contendit. nihil obscure fama loquitur de tuis uirtutibus. nihil de te aut exiguum, aut dubium affertur. patent multis, ac certissimis argumentis eximia tua in Christi Ecclesiam merita: colunt te omnes ob doctrinam: imitantur multi ob integritatem: amant ob humanitatem, maximeq. ob rectam, ac simplicem naturam, ab omni fuco, omniq. fastu longissime remotam. præconem uero tuarum laudum omnibus horis audimus eum, qui summa ipse laude dignus est, Federicum Baduarium, auctorem, & conditorem, Deo duce, Academiæ nostræ: cui quidem uiro tum uitæ probitas, tum exassiduo studio doctrina, & ex diuturno rerum usu prudentia fidem, atque auctoritatem in omni sermone conciliat. ipso igitur non modo approbante, uerum etiam hortante, præclarum de Deo libellum,

sum, grauem sententijs, illustrem uerbis, ad te mittit, tuoq. dicatum nomini cum omnibus gentibus Academia nostra communicat. quæ cum se tibi, suo primum iudicio commota, tuis deinde meritis impulsa, penitus addixerit, eandem obseruantiam in omni uita præstabit, et, ut eam futuræ quoque gentes intelligant, ipso, ad quem omnia referimus, summo Deo opem ferente, aliquo merito consequemur. Tu interim, quando iam hoc tribuisti humanitati tuæ, ut nos susciperes; tribue idem constantiæ, ut susceptos tuearis, ac foueas, ita tamen, si nos tuo præsidio, ac studio dignos, id est nostra ingenia in optimis artibus exercentes, nostrasq. uoluntates ad unam uirtutem dirigentes, & audies, & re ipsa cognosces. Venetijs, M. D. LVIII.

AD ANTONIVM CARLONEM, Allifarum Principem, in Sannazarii poemata præfatio.

VT *est præclarum, ornatissime Princeps, in arte poetica excellere: sic ea cognoscere, quibus ad illam laudem perueniatur, maximum quiddam, ac difficillimum est. fallitur enim, siquis absoluti poetæ partes in eo positas arbitratur, ut, cum metiendi carminis rationem optime perceperit, cum elegantissimarum uocum supellectilem quasi quandá sibi compararit, addo etiam cum materiem animo cõprehensam ordine quodam atque artificio distin-*

xerit, hisce rebus tanquam egregie munitus ad scri-
bendum se conferat. graviora sunt, quæ requiruntur, et ex abditis plurimarum artium ac doctrinarum fontibus haurienda. nam cum eius consilium, qui hoc in genere elaborat, uel in primis id spectare debeat, ut, uoluptati uersuum utilitate sententiarum admiscenda, nihilo minus lectorẽ moneat, quàm oblectet; monita uero illa plerunque necessaria sint, ut in uitijs summam turpitudinem inesse, in uirtutibus summam gloriam, ostendatur: quo modo hoc sine philosophiæ cognitione prudenter ac perite poterit efficere? Iam, si res exigat, ut aut de cæli stellarumq. ratione, aut de regionũ terrestriũ ac maritimarum situ dicendum sit: certe hos locos non poterit, nisi qui Astrologiam & Geographiã attigerit, commode tractare. itaque si quis huius facultatis studium eo complexus animo est, ut aliquando, quæ litteris mandare studuerit, ea se speret, ueluti pictorem egregium, omnibus artis coloribus illustraturum: is omnium fere disciplinarum scientiam, quæ ad bene beateq. uiuendũ pertinent, ne prorsus ignoret, necesse est. Quòd si ad assequendum poetæ nomen ubertatẽ illam ingenij a natura datam satis esse putat; atque hac una instructus, facile audet canoros illos quidem, rerũ tamen inanes uersus uel domi pangere, uel in triuijs ad populi aures effundere: statim ab intelligentibus explodetur, neque solum imprudens, aut parum uerecundus, sed etiam plane stultus, ac temerarius habebitur.

tur. Quo minus est mirandum, si, ut hac arte præstarent, quampauciſſimis contigit; cũ in omni præterea liberalium doctrinarum genere plurimi semper floruerint. Sed egregiorum poetarum multo etiam maiorem hac noſtra tempeſtate, quàm priſcis temporibus, penuriam eſſe conſtat: ſiue quòd ſæculi felicitas illa fuit: ſiue, quod equidem magis exiſtimo, quia non ijſdem, quibus olim, præmijs ad uirtutem nunc homines excitantur. Eorum autem, quos in hoc genere præſtantes cognouimus, ſine cõtrouerſia primum locum obtinuit uir eximius, & omni laude cumulatus, Iacobus Sannazarius: cuius ingenij monumenta non uetuſtas, non obliuio delebit ulla: ut ex tot Regum triumphis haud paullo clarior, quàm ex unius hominis doctrina, atque ingenio, Parthenope ſit futura. Hoc autem, Princeps egregie, tui muneris fere totum eſt: qui, cum ad ſummam generis nobilitatem etiam optimarum diſciplinarum ſcientiam adiunxeris; tamen hæc per ſe, niſi accederet ſtudium de poſteris bene merendi, quaſi minima iudicans, quæcunque a doctis uiris mandata litteris, digna, quæ inter manus uerſentur, exiſtimas, in apertum ut referantur, maximopere contendis. Quo nomine ipſi profecto Sannazarij manes tibi non uulgares gratias habent, cũ eos libros, quos ille moriens tuæ fidei cõmendarat, peruulgandos diligentiſſime curas. Qui uero ingenuarum artium ſtudijs dediti ſunt, ij ſe tibi tantum debere profitentur, quantum perſolui nullo modo poſſit.

possit. itaque a me, qui eodem in ære sum, petere uidentur, uniuersorum causſam ut suscipiam, tibiq. , propter hoc officium, quid omnes de te et sentiant, et loquantur, aliqua ratione significem. Ego, licet ipsa te recte factorum conscientia contentum esse, nihil præterea requirere, exploratum habeá; tamen, ut eorum honestissimo desiderio ne desim, do me libenter in eam partem, in quam etiam mea sponte propendebam; & ad ostendendum non eorum modo animum, sed etiam obseruantiam et pietatem in te meam, hæc ipsa Sannazarij poemata, quæ nostris typis edenda curasti, nomini tuo dicata ad te mitto. Leges hic omnia, quæcunque ab eo latine scripta nunc extant. primum autem erit diuinum illud, quod ipse de partu Virginis inscripsit, opusculum: dein Christi lamentatio: mox eclogæ quinque: quas tamen decem scripserat; sed e Gallia reuersus, has tantum, quas emisimus, & fragmentum illud, quod post Salices collocauimus, inuenit, reliquis aut furto surreptis, aut per incuriam suorum, quibus eas discedens crediderat, amissis. sequuntur elegiarum libri tres, epigrammatum totidē. quæ omnia tuo inscripta nomini apparebunt; ut eius beneuolentiæ, quàm Sannazario & uiuo, et mortuo præstitisti, hunc saltē fructum percipias. Venetijs, M. D. XXXV.

INDEX

INDEX EORVM, AD QVOS missæ sunt epistolæ.

ALEXANDRO *Crispo*. 81
Alfonso Carafæ. 2
Aloysio Estensi. 177
Andreæ Duditio. 102. 104. 105. 106. 107 108. 109. 146.
Andreæ Patricio. 121. 122. 159. 158
Andreæ Zebridouio. 97
Antonio Augustino. 39. 40. 42
Antonio Merlo. 142
Antonio Possevino. 24
Antonio Rolando. 170
Antonio Verantio. 95
BARTHOLOMAEO *Riccio*. 37
Benedicto Accolto. 138. 139
Benedicto Rhamberto. 42
Bernardino Maffeo. 15
CAESARI *Ferrantio*. 57
Camillo Palæotto. 155
Carolo Sigonio. 172
Christophoro Madrutio. 21
DIONYSIO *Lambino*. 124. 160
FABIO *Stellæ*. 44
Francisco Gonzagæ. 23
Francisco Luisino. 17
Francisco Molino. 64
Francisco Morando. 127

Francisco

Franciſco Othomano. 48
Franciſco Robortello. 180
Franciſco Seuero. 132
Franciſco Vargæ. 29
GABRIELI Catiano. 16
Gaſpari Contareno. 137
Gilberto Cognato. 123
Gulielmo Paccio. 148
HANNIBALI Caro. 59.60.61
Hannibali Cruceio. 141
Hieronymo Capilupo. 174
Hieronymo Faleto. 30
Hieronymo Furnarino. 52
Hieronymo Lippomano. 25.27
Hieronymo Seripando. 176
Hippolyto Eſtenſi. 63
Horatio Vrſino. 167
IACOBO Grifolo. 140
Io. Antonio Turoneo. 165
Io. Baptiſtæ Paſtorio. 46
Io. Baptiſtæ Pignæ. 144
Io. Baptiſtæ Raſario. 169
Io. Baptiſtæ Rhamnuſio. 82
Io. Baptiſtæ Saracio. 178
Ioanni Sambuco. 135. 145
Ioanni Sturmio. 49. 50
Io. Vincentio Pinello. 100
Iulio Bellogrado. 176
Iulio Pogiano. 161

INDEX

LAEVINO Torrentio. 52.128.157
Lazaro Bonamico. 148
Laurentio Gambaræ. 129.147
MARCELLO Ceruino. 13
M. Antonio Lombardino. 54
M. Antonio Mureto. 65.66.67.68.69.70 71.72.73.74.75.76.77.78.79.80.81 173.
M. Antonio Nattæ. 84.85.86.87.88.89 90.91.92.93.
Mario Corrado. 43.133
Mario Nizolio. 35
Michaeli Turriano. 94
NICASIO Casletano. 175
Nicolao Nathanaelo. 129
OCTAVIANO Ferrario. 156.164.165.168
Ottauiano Magio. 62
PAVLO Contareno. 19
Paulo Magnulo. 149.150
Paulo Sacrato. 179
Petro Celso. 134
Petro Miscouio. 97 98.158
Petro * 124
RAINVTIO Farnesio. 1
Romulo Ceruino. 22.125
SEBASTIANO Leoni. 59.151
Siluestro Aldobrandino. 151
Siluio Antoniano. 36
Stanislao Fogeluetrio. 159

Stephano

Stephano Saullo. 3.6.9
VIDO *Fabro.* 12
Vido Lolgio. 58
Vido Pancirolo. 107
Vincentio Giliano. 126
Vincentio Stellæ. 47
* 51.130.131.182

INDEX EORVM, AD QVOS missæ sunt præfationes.

AD *Alexandrum Cæsarinum.* 192
Alfonsum Carafam. 205
Aloysium Garzonium. 233
Antonium Carlonem. 236
Antonium Aelium. 211
Antonium Triultium. 230
AD *Benedictum Accoltum.* 189
Benedictum Rhambertum. 197
AD *Carolum Pisaurium.* 187
AD *Diegum Hurtadum.* 198
AD *Gulielmum Bellaium.* 191
AD *Hieronymum Faletum.* 220
Hippolytum Estensem. 216
AD *Ioannem Monlucium.* 194
Ioannem Moruillerium. 215
Isabellam Villamarinam. 223
KALENDARII *Romani præfatio.* 219

AD

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
14072